
32
5 I
16

EPISTOLARUM
REGINALDI POLI
S. R. E. CARDINALIS
Et aliorum ad ipsum
COLLECTIO.




egregia pictura, maxime Pole,
corporis effigies:
M. Ant. Flamin.
Pingi, nil oculi

EPISTOLARUM
REGINALDI POLI
S. R. E. CARDINALIS
Et aliorum ad ipſum
PARS II.
QUÆ SCRIPTAS COMPLECTITUR
ANNIS MDXXXVII. MDXXXVIII. MDXXXIX.

SCILICET

Ab inita Legatione Belgica
uſque ad deſitam Legationem Hiſpanicam.

PRÆMITTUNTUR

Animadverſiones in Epiſt. Jo: Georg. Schelbornii, Diatriba, & Monumenta quædam præliminaria ad eaſdem Epiſtolas.






BRIXIÆ
Excudebat JOANNES - MARIA RIZZARDI.
CIↃ IↃ CC XLV.
SUPERIORUM APPROBATIONE.



JOACHIMO PORTOCARRERO
S. R. E.
CARDINALI AMPLISSIMO

ANGELUS MARIA QUIRINUS CARD. BIBLIOTHECARIUS.



UBLICUM *singularis meæ erga Te observantiæ argumentum exhibere jamdiu in animo habens, quo pacto hujusce consilii perficiendi occasionem capiam ex altero, quod modo in lucem edo,* REGINALDI POLI *Epistolarum Collectionis Volumine, statim absque prologo explicabo. Gerit in eo primarum partium personam Vir eidem* POLO *amicissimus, optimus, nobilissimusque, bellicæ quidem disciplinæ deditus, & in ea præcellentissimus, at*

una

uni simul iis Christianis virtutibus, eo juvandæ Catholicæ religionis studio, ea in maximis Apostolicæ Sedis negotiis conficiendis prudentia insignis, ut dotibus istis suis summam promeritus fuerit apud Romanos Pontifices, Paulum III. Julium III. Paulum IV. existimationem, qua effectum est, ut horum postremus dignum eundem reputaverit, quem in Ædibus Vaticanis penes se haberet, & militari licet sago indutum universis Pontificii regiminis curis præficeret. Præcipua Viri hujusce decora binæ ad ipsum Poli *Epistolæ, & quidem inter prolixiores meæ hujus Collectionis, nimirum LVI. & LVII. graphice repræsentant; aperteque ex iis innotescit, quo ardore tantus Heros pro Christiana Rep. adversus irruentes in ipsam Turcicos exercitus armis tuenda flagrabat, eodem quoque præsto ipsum fuisse sanctis consiliis Romanæ Aulæ primatibus pro instauranda Ecclesiastica disciplina, cujus vitia aditum ea tempestate Catholicam quoque doctrinam insectandi Heterodoxis præbebant.*

Ea igitur decora, menti meæ altius post absolutum Volumen istud defixa, in causa fuisse affirmabo, ut Tibi, Cardinalis Amplissime, illud nuncupandi injectam mihi senserim cogitationem; quandoquidem, etsi longissimo ego distem intervallo a Poli *Cardinalis virtutibus, tuis ipse tamen præstantissi-*

tissi-

tissimum illum Poli *amicum adeo proxime refers, ut haud temere mihi facere videar, si ejus nuncupationis causa Te adeam, qui haud minus Te observem, & colam, quam cultus fuisse a* Polo *dignoscitur firmissimus ille causæ Dei, & religionis Athleta. Quid ni, quum Te quoque, antequam Clericali Ordini adscribereris, tam arma fortiter gesta, quam splendidissima munia populis, civitatibusque regendis sapienter obita, honestarint? Quum Te quoque Romanæ Curiæ cœtus omnis maximi faciat, adeo ut, ea quodammodo efflagitante, Cardinalatus honorem* Benedicti *XIV. sapientia Tibi detulerit? Quum tandem eo auctus, par & ipse, universorum judicio, censearis gravioribus quibusvis Apostolicæ Sedis negotiis bene, & pro dignitate gerendis, siquidem fidei Tuæ committantur?*

Neque vero ei tantum similitudini, quam hucusque persequutus sum, susceptum libri hujusce mei nomine Tuo ornandi consilium debeo; est alia prætérea similitudo, quæ mihi ad Tua auspicia currenti calcar addidit; ea scilicet, quæ inter Te, & Franciscum Barbarum, cujus pariter gestis illustrandis, ut tute scis, nuperrime incubui, & adhuc incumbo, intercedit. Eximias Civis mei illius præclarissimi virtutes brevi elogio complexus est Flavius Blondus, dum scribit, incertum manere, quænam

nam in eo gloria præferenda sit, num doctrinæ, num in administranda Rep. sapientiæ, num pietatis, num rerum apud Brixiam præsertim gestarum; quas virtutes omnes Barbarum non ad patriæ suæ tantum, sed ad Romanæ etiam Ecclesiæ utilitates contulisse, hoc illud est quod Tibi, aliisque ob oculos posui nuperrime in Pastorali ad Clerum, & populum Brixianum Epistola. Par omnino dubitatio, quæ Blondum de Barbaro scribentem, me quoque Tua, antequam Romanæ Ecclesiæ officiis Te dederes, gesta contemplantem, dum ancipitem facit, annon stimulos novos mihi admoveret, ut meæ cuipiam lucubrationi patrocinii Tui favorem accerserem? quod profecto si benigne impertitus modo fueris, hoc summo beneficio Tuo efficies, ut Tuæ pariter res gestæ apud Brixiam Urbem prædicentur. Efficies præterea, ut studia mea, quæ potissimum in efferendis clarissimorum hominum virtutibus versantur, cariora mihi in posterum evadant. At ea ipsa multo jucundissima erunt, si earundem exempla ad memoriam meam identidem revocent, quid a me officii Apostolica Sedes præstoletur, pro qua scilicet naviter laborare, & laborasse video eos etiam, qui Ecclesiasticæ militiæ aut nunquam, aut valde sero nomen dederunt, dum ipse in eadem veterani jam locum obtinens, omnium forte digito monstror,

Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



Uandoquidem collectæ hoc Volumine Epistolæ seu REGINALDI POLI, seu aliorum ad ipsum, tres dumtaxat ad annos pertinent, nimirum MDXXXVII. MDXXXVIII. MDXXXIX. statim, Lector, intelligis, earundem copia fieri non posse quin singularem in modum explanentur præstantissimi illius Cardinalis eo triennio res gestæ, imo vero præcipua quævis capita tam Sacræ, quam Politicæ Historiæ, cujus pars maxima res utique illæ fuerunt; nec dubito tibi visum iri, vix, aut ne vixquidem, Annalium genus ullum extare, seu Baronii, seu Raynaldi, seu quos alios mavis, in quibus æque brevi annorum spatio elucidando, æque pretiosa monumentorum veterum supellex, alveo æque pleno confluxisse comperiatur. Confidenter adeo de meæ in hoc Volumine Collectionis pretio loquor, quod ea non ex copia tantum, sed ex raritate etiam mercium, quas omnium primus in dias luminis auras profero, superbiat. Duas & nonaginta eadem complectitur Epistolas; octoginta enim octo, quas appositorum ad ipsas numerorum indicat series, addendæ sunt una, quæ numero destituitur ex incuria Typothetæ, atque alia, in qua proxime superioris numerus ex eadem causa iteratur, ac demum binæ in Appendicem rejectæ. Ex illis vero omnibus,

bus, quatuor tantum, videlicet una Poli, & una Sadoleti, binæque Bembi, antea editæ fuisse deprehenduntur. Insuper tam Poli, quam Contareni Epistolæ, quæ (ut cuivis Volumen aperienti statim constabit) ejusdem Collectionis utramque paginam faciunt, pleræque omnes erutæ sunt ex ipsismet Authotum autographis. In ea (obiter Te monebo) nescio quo modo factum sit, celebrem Abbatem Schannatum, Belgam, oculos minime conjecisse, etsi describendis Poli Epistolis Romæ vacanti Vaticana scrinia omnia patuerint; quemadmodum multo magis professus alibi sum me latere, cur in pauculis earundem a se transcriptis ex uno Codice, qui eidem exemplarium acervum exhibuit, omnino exlegem sectatus fuerit transcribendi rationem: quæ illa res est, quam valde admirati contigit quotquot hominis illius paginas, data opera, ut quam enormiter adversus artis fidem ille peccasset, animadverterent, spectatum admisi, prout occasio mihi in Alma Urbe se obtulit. Caveas tamen, velim, ne putes, me, quæ comperi de Viri illius laboribus, palam vulgantem, adversus grati animi vices delinquere, qui contra ingenue fateor, humanitati ejusdem, quod paginas illas mecum communicaverit, magnopere me debere, & præterea, quod suis illis laboribus ignotos ipsi Poli Epistolarum fontes in ipsismet Vaticanis Codicibus investigandi desiderium mihi injecerit.

Ut autem fidem illico adstruam iis, quæ superius de

de Epiſtolarum hoc Volumine comprehenſarum præſtantia affirmavi, utque ea ratione rem etiam gratam Tibi faciam, earundem ſummam in paucas chartas collatam oculis tuis hoc loco ſubjicere haud refugio; idque a me commode præſtari poſſe video, ſi eaſdem in quatuor claſſes diſpertiar. Harum prima Epiſtolas exhibebit, quas ob delatam ſibi Cardinalatus dignitatem gratulatorias Polus accepit, & officioſa hujus ad illas reſponſa: altera Epiſtolas Belgicæ Legationis ab eodem obitæ conſilia exponentes: tertia conſcriptas poſt ejus reditum in Italiam: quarta tandem de Hiſpanicæ Legationis, ei pariter demandatæ, negotio exaratas. Atque ut de ſingulis iis claſſibus aliquid breviter dicam, primam tredecim Epiſtolæ, principem locum in ipſo Volumine nactæ, conficiunt, earumque, ut dixi, unum & idem eſt argumentum, Poli videlicet in Cardinalium Collegium cooptatio, & unus idemque ſenſus, omnium ſcilicet qui eidem gratulationis officium perſolverunt, ſinceræ, geſtientiſque lætitiæ; illius vero, impoſitum ſibi onus reformidantis, modeſtiæ ſingularis, ac fere dixerim mœſtitiæ. Perſuaſioni illi, quæ hominum mentibus de ſummis Poli virtutibus inerat, exultantis animi motus, quos officia illa produnt, juſte admodum reſpondiſſe, nulla omnino eſt Collectionis meæ pagina, quæ apertiſſime non demonſtret. Novum hujuſce rei teſtimonium nuperrime (his nempe ipſis diebus, quibus hæc ſcribo) mihi hu-

maniſſime communicatum ab ampliſſimo Cardinali, quem in Voluminis hujus Mecœnatem adſcivi, hocque ex Archivo Urbis Auguſtinenſis Ordinis, meretur profecto, ut hic locum inveniat. Extat ipſum in Epiſtola Hieronymi Seripandi, ejuſdem Ordinis Præfecti Generalis, & poſtea Cardinalis, ad Divum Thomam de Villanova, Archipræſulem Valentinum, die XXVIII. Novemb. MDXLIV. agiturque in ea de proventu cujuſdam Dignitatis, quo in Eccleſia illa Cardinalis Polus potiebatur. Ibi ergo eidem Cardinali hujuſcemodi elogium texitur: *Eſt in Sacroſancto Senatu Cardinalium* Raynaldus Polus, *Angliæ Cardinalis, Vir ſpectatæ virtutis, pietatis vere Chriſtianæ, & doctrinæ ſingularis; de cujus humanitate, & ſanctiſſimis moribus, tanta eſt apud bonos omnes opinio, ut qui hunc non colit & obſervat, in honorum numero haberi non poſſit. Ego certe nulla re unquam me exiſtimabo feliciorem, atque hac, quod Vir hic in omni virtutum genere maximus, ſua me conſuetudine domeſtica dignetur, & in ſuam admittat familiaritatem: quem quoties de divinis loquentem audio, non hominem, ſed Angelum de Cœlo Evangelium æternum ad homines afferentem, mihi audire videor. Nunquam ſilerem, ſi quæcumque mihi in mentem veniunt de* Raynaldi Poli *innocentia, & vitæ ſanctimonia, ac patientia in rebus adverſis, quæ una Chriſtiani hominis egregia virtus eſt, enarrare vellem.* Reliqua, ut dixi, Poli virtutum teſtimonia ſingulæ meæ Collectionis paginæ repræſentant, ſimulque

que admirandam Pauli III. perſpicaciam, ac ſapientiam in evehendis ad eam ipſam dignitatem, quam Polo detulit, Viris præclariſſimis, iiſque vocatis, & rogatis, deprædicant. Quis crederet, inter ejuſdem ſapientiæ laudatores enituiſſe hominem, quo nemo inſignior in licentia detrahendi, præſertim de Principibus, ac de Aula Romana, Petrum, inquam, Aretinum? Hic adeo Pontificem illum ex ea cauſa celebravit, ut ſcribere non dubitaverit in Epiſtola ad eundem: *Gli altri Paſtori creano Cardinali Reverendiſſimi, & voi create Vicari di Chriſto, e ciò verificarebbe il lungo andare, caſo che viveſſero ſecondo il dovere delle virtù loro, & il biſognio della fede noſtra. Veramente ſi come eſſi non potevano naſcere in tempo più opportuno, ne a i giorni di miglior Papa; coſi voi non potevate diſpenſare le dignità ſacroſante in più neceſſaria occaſione, ne in più giuſte creature*. Hominis iſtius vaticinium eventus utique comprobavit; nam quatuor Pontifices, qui proxime poſt Paulum III. ſederunt, nempe Julius III. Marcellus II. Paulus IV. Pius IV. omnes ex iis fuerunt, quos ad Cardinalium Ordinem Paulus III. evexit.

Claſſis altera Epiſtolarum hujus Voluminis initium ducit a numero XIII. & definit in numero XXXVI. dataeque omnes viſuntur a menſe Februario an. MDXXXVII. quo Polus itineri ſe dedit, Galliam primo, deinde Belgium verſus, uſque ad menſem Auguſtum, quo in Italiam e Belgio remeavit. Legationis, cujus cauſa longinquam illam

lam, incommoda prorſus anni tempeſtate, ingreſſus eſt ille profectionem, quam ſana, quam ſapientia, quam Chriſtiana fuerint conſilia, tot fere extant teſtimonia, quot Epiſtolarum illarum ſeu verba, ſeu apices. Ad eas itaque provoco quotquot de Viri illius animo in eo munere obeundo corrupte judicantes, inhumanitatis ipſi ſenſus tribuunt, quibus nihil longius abſuit ab ejuſdem pectore. In primis vero provoco Cl. Jo: Georgium Schelhornium, Memmingenſem Bibliothecarium, eoque liberius, quod ipſemet ad Epiſtolas illas appellaſſe cenſendus eſt, dum datis ad me literis die VII. Junii proxime elapſi, Diatribam meam, huic ipſi Volumini inſitam, lectam a ſe fuiſſe affirmans (nam eam, quemadmodum ſuperioris Voluminis illam, in anteceſſum eidem legendam tranſmiſeram) humaniſſimis ſenſibus, quibus mentem ſuam de eadem mihi aperuit, verba iſta ſubjunxit, *Sollicite perluſtrandæ forent ipſæ* Poli, *aliorumque, quarum elucidationi doctiſſima Diatribe deſtinata eſt, Epiſtolæ*. En igitur Epiſtolas, quas illi perluſtrandas modo offero. Sollicite, quæſo, imo ſollicitiſſime eaſdem perluſtret, & hanc curam cum Gregalibus ſuis partiatur; audiantque horum ſinguli, quo rem deducam: herbam ſcilicet a me porrectum iri polliceor, ſiquidem oſtendant, vel guttam odii illius Vatiniani, & novercalis, cujus Polum inſimulant, e fontibus illis manare. Viciſſim contendo, homines illos dextra fidem ſancire debere, imo

ſa-

ſacramento ſe adigere, non amplius commiſſuros, ut POLI ſeu Geſta, ſeu Scripta in malam partem accipiant, ſiquidem earum Epiſtolarum lectio æquiſſimum, & humaniſſimum ejuſdem animum ipſis commendet. An pietatis, an prudentiæ, an ſinceri erga Henricum Regem amoris, an teneræ erga patriam charitatis, an alias hujuſmodi notas, Chriſtiano homine digniſſimas, ac proinde maxime alienas a quavis crudelitatis, aſperitatis, & odii contumelia, Epiſtolæ illæ præſeferant, meridiana luce clarius iis omnibus innoteſcet, qui oculos conjiciant in earum ſingulas, quas POLUS ea Legatione ſuſcepta exaravit, ſeu ad Paulum Pontificem, ſeu ad Cardinalem Contarenum, ſeu ad Erardum de Marka, Cardinalem Leodienſem, ſeu ad Cardinalem Rodulphum Pium, Carpenſem, apud Regem Galliarum Apoſtolicæ Sedis Adminiſtrum. Artes, fallacias, offucias POLUM adhibuiſſe, dum iiſdem publicæ rei ſibi commiſſæ conſilia, atque ſucceſſus expoſuit, ſiquis perfracte affirmare vellet, is certe & lingua, & mente deliraret. Hoc loco ſatis mihi erit partem deſcribere Epiſtolæ unius ad Cardinalem Pium, quæ copioſiſſima eſt, & principem ſedem tenet inter illas, quas de Legationis ſuæ negotiis conſcripſit. Sublata ſibi facultate Franciſcum Regem, etſi ad hujus Aulæ fores pene perveniſſet, adeundi, POLUS adactum ſe vidit, antequam e Galliis excederet, opera uti Matthæi Giberti, Veronenſis Antiſtitis, qui ſe ultro obtulerat, eundem

Pium

Pium convenire, ut istius consilia in omnibus exquireret, quæ ad POLUM referret. Abeuntem itaque Gibertum literis suis ad eum Cardinalem datis comitatus est, & in iis inter cætera hæc leguntur: *Cum enim illa duo capita hæc nostra Legatio contineat, ut primum de Pace cum Principibus agamus, deinde de Concilio: an aliquid his temporibus, quod magis ad Dei honorem, & ad Ecclesiæ pertineat utilitatem tractari potest? Tertium illud, quod de rebus Anglicis est adjunctum, an non eodem pertinet? Quid enim aliud mihi mandatum est, nisi ut Insulam fluctuantem in dogmatibus Fidei, & propterea tumultuantem, ac in omne genus seditionis erumpentem, cum summo Ecclesiæ damno, propter nobilitatem illius membri, quod cæteris exemplum veræ, & stabilis religionis solebat esse, quantum in me esset, qui ex illis essem, omni ratione curarem, ut in antiquam stabilitatem reduceretur; unde Regno quies, & salus, & Regi ipsi honor, & Ecclesiæ pax, ad Christi gloriam consequi posset? Hic certe finis meæ Legationis in his, quæ ad res Anglicas pertinent, fuit. Quem si nemo reprehendere potest, videamus, an viam, quam ingressus sum, ut ad hunc finem pervenirem, alienam a majorum instituto quisquam dicere possit. Cum igitur a capite in universum Insulæ corpus hic quasi morbus defluxisset, cui medendi duæ erant rationes, altera per chirurgiam (ut medicorum more nunc loquar) altera per diætam; cumque priorem illam complures in tam inveterato morbo dicerent esse adhibendam, id quod*

sane

sane multi in Insula se sentire sumptis armis ostenderant ; an quod molliorem viam secutus sim , quod rationem per diætam curandi prætulerim, quod semper, ut mitior via iniretur, multis repugnantibus pugnaverim, adeo ne erravi? Statimque subdit: *Certe cum ad Regem Christianissimum iter pararem, a cujus colloquio nunc excludor, ejus opera, cujus salutem maxime expetebam; hanc solam viam mihi proponebam, in qua, ut ad id quod volebam pervenirem, maximam opportunitatem habere videbatur amicitia duorum illorum Regum; amicitia præterea Regis Christianissimi cum Summo Pontifice, & Christi nomine summa ejusdem obedientia, a qua quia alter Rex jampridem defecerat, omnia hinc mala in illa Insula erant orta. Ac maxime quidem idoneus videbatur ipse Rex Christianissimus, qui parem ordine Regem, eundemque amicitia sibi conjunctum, ad eandem, quam ipse sequebatur, obedientiam, ad eandem normam in omnibus iis, quæ ad religionis dogmata pertinent, sequendam hortari, & pertrahere, omnibus modis conaretur. Quantam vero occasionem id ei persuadendi dabat motus ille populorum nuper in Anglia ob has causas excitatus (qui quamvis pro tempore sedaretur, tamen ille nunquam nisi constitutis rebus religionis securus esset) ut hoc ei consilium vel salutis, & incolumitatis suæ causa maxime sequendum videretur? Hæc quidem summa erat omnium, quæ mihi cum Rege Christianissimo Angliæ causa agenda erant.* Ac tandem addit: *Multa autem omitto de ratione, & via, quam*

excogitaveram, ut etiam cum summo Regis Angliæ bonore, & cum universæ Ecclesiæ gaudio hæc fierent. Quæ si minus ille a me initio audire vellet propter alienatum a nostro ordine ejus animum, adducebam mecum illum, cujus summa officia amoris, & pietatis plena in ipsum Regem extiterant, dum rerum Romanarum sub Pontifice Clemente gubernacula teneret, quem tota nostra Natio amicissimum semper, & officiosissimum in se est experta, cujus etiam officia sibi gratissima Regem prædicantem sæpe audiveram. Is est Veronensis Episcopus, non minus etiam ob similia officia erga se Regi Christianissimo gratiosus, in primis autem Deo carus, cui sic in munere Episcopali jam multos annos inservit, ut omnes eum tamquam exemplar quoddam singulare justi, & veri Episcopi suspiciant, quale vix multis sæculis Deus populis donare solet. Hunc igitur maxime idoneum judicaveram, qui duobus his Regibus ea persuaderet, quæ utriusque dignitatem maxime decerent, ad alterius vero salutem etiam in primis conducerent, eumque ab Episcopatu suo abstractum interposita summi Pontificis auctoritate, & jussu, hac de causa mecum adduxi. Quidnam est (Schelhornium appello, suosque omnes Contribules) in tota hac Poli oratione, quod Tisyphonem repræsentet e Stygiis emissam tenebris, feros implexam pro crinibus angues, cujusmodi imaginem Polo, Legationem illam obeunti, affingere censendi sunt, qui eundem flagrasse contendunt odio in Henricum Regem novercali, Vatiniano, & si quid etiam deterius

terius est? Æque lurida aconita aliis omnibus in literis ad eandem Legationem spectantibus terribilem POLUM miscuisse iidem deprehendent; aconita tamen hujusmodi, quæ Henrici morbos non facerent, sed tollerent, si in medico fuisset, ut æger relevaretur.

Belgica Legatione successu omni fraudata, Poloque proinde a Pontifice in Italiam revocato, hanc iste ingressus est mense Septembri desinente, ejusque literæ ex agro Veronensi ad Contarenum datæ, tertiæ ei classi initium faciunt, de qua modo dicendum. Constat ista Epistolis vigintiquinque, scilicet a XXXVII. usque ad LXI. Viri illius obtrectatores sibi certe persuadebunt, teterrimo illo odio, cujus eum insimulant, efferbuisse universas illas, quas ex Urbe, in Belgium transmisit ad Cardinalem Erardum, Episcopum Leodiensem, cæterosque illius regionis, quibus, inter eos agens, suum illud virus aspersisset; hocque præterea inficere studuisse Romanam Aulam omnem, & Summum in primis Pontificem, cujus lateri assiduus hærebat. At ita judicantes, toto prorsus cœlo aberrabunt; nam contra redolent undique ex literæ animum omnino pacatum, atque compositum, & violenta quævis quam maxime aversantem. Ut primo Romam ingressus est, nihil antiquius habens, quam ut filialis pietatis partes impleret erga Cardinalem memoratum, quem in se tuendo, dum apud ipsum substitit, numeris omnibus indulgentissimi patris satisfecisse expertus fuerat, sex proinde ad illum

 exa-

exaravit literas, nimirum a XXXIX. ad XLIV. altumque in ipsis de Rege Henrico, de rebus Anglicis silentium, atque unice versantur in explicando eo studio, quod libentissimo animo suscipiebat, ut sanctum Leodiensis Cardinalis propositum in urgenda provinciæ suæ, & Cleri præsertim, reformatione, firmioribus Pontificiæ potestatis præsidiis adversus refractarios quosdam ex eodem Clero muniretur. Retulit itaque Polus in Italiam animum omnis perturbationis expertem, nec ullo pacto in mentem ei venit per annum, & amplius, quo apud Pontificem substitit, paratas ab Henrico Rege adversus vitam suam insidias, quas certis argumentis, in Belgio degens, compererat, atrocibus ullis seu verbis, seu factis ulcisci. Imo adeo longe aberat a violentia omni, atque feritate adamanda, ut vel in ipso Leodiensis reformationis negotio pertractando, mitem prorsus animum exhibuerit; atque ita mitem, ut opus habuerit in literis ad eos datis, quos in ministerium pii illius operis sibi Leodiensis selegerat, naturæ suæ quamdam veluti ignaviam accusare. Quare ita ad eos scribit in Epistola XLV. *Etsi* (inquit) *negare non possum ad exemplum aliorum maxime necessarium esse, ut rebelles castigentur, & in hac re non dubito ejus Reverendissimam Dominationem illa usurum moderatione, quæ ejus personam decet; tamen, ut dixi, mea natura non patitur, ut non aliqua hac de re ad meos amicissimos scribam, vel unum potius significem, etsi rebelles sunt, filii tamen sunt, & filii* re-

rebelles, quos si convertendi ad obedientiam ulla mitior ratio inveniatur, ut ea primum exerceatur, etiam post confirmatam authoritatem castigandi eos, cupio, ut prius quatiatur virga in conspectu illorum fugientium, antequam exerceatur per illum castigatio. Qua in re certe non tam admoneor naturæ meæ sive lenitate, sive ignavia, quam exemplo maximi Apostoli etiam in gravissimis delictis filiorum. Quemadmodum ergo in curandis inveteratis patriæ suæ morbis diætam chirurgiæ præferendam censuit lenissimi animi homo, ut paulo ante vidimus, ita vel in negotio reformationis, intra unius Diœcesis limites circumscriptæ, gravissima factiosorum delicta nonnisi magna cum lenitate castigari debere existimavit. De medendis autem Catholicæ in universum Ecclesiæ morbis binæ in ea ipsa classe, quam percurrimus, Poli literæ extant, scilicet LVI. & LVII. ad Camillum Ursinum datæ, Virum præter bellicam fortitudinem, & Reip. administrandæ sapientiam, Christianis etiam virtutibus præcellentissimum. Sancta hujus consilia in ea curatione aggredienda admodum quidem ille probavit, at una simul eundem monuit, ipsum, zelo suo moderantem, cogitare debere, sibi rem esse cum hominibus in tenebrosa valle habitantibus, ubi sunt domicilia Principum hujus mundi, quorum oculi currum Israel in sublime elatum conspicere non valerent, cum hominibus carnalibus, non spiritualibus, quibus propterea lac præbere tanquam pueris præstaret, po-

tius

tius quam ſolidum cibum. Reliqua omnia, quæ binis illis Epiſtolis (quibus nullæ in tota mea Collectione productiores) continentur, ne ſcintillam quidem feritatis præſeferunt, ſed hominem oſtendunt rerum cæleſtium, ac divinarum apprime ſtudioſum, totumque in ea cogitatione defixum, ut ad ſanctioris diſciplinæ præcepta vitam ſuam conformaret. Eadem omnino pietas, ac ſanctimonia, idem mundanarum rerum contemptus elucet in binis aliis ipſius literis LVIII. & LIX. ad Marcum Monachum datis. Tandem, inter illas vigintiquinque, quas tertiam claſſem conflare dixi, binæ quidem adſunt res Anglicas memorantes, at paucis tantum verbis, quæque Chriſtianæ lenitati nec mediocriter repugnent: *Quo magis* (ait ille ad Dominum de Granvelle, primarium Cæſaris Conſiliarium, & Adminiſtrum, ſcribens) *horrenda ſunt auditu cuivis animo Chriſtiano, quæ ex Anglia de rebus religionis nuntiantur, eo magis me, & pietas erga Deum, & amor erga Patriam ſtimulant, ut hanc cauſam fidei, & religioni Cæſareæ Majeſtatis, etſi antea a Sanctiſſimo Domino Noſtro commendatam, iterum meis litteris religioſiſſimo Cæſaris animo renovarem.* Paria ferme habet in literis ad Cæſaris Confeſſarium. Datæ ſunt ambæ eodem tempore, nempe ultimo Novembr. MDXXXVIII. præferuntque in Collectione mea numeros LIV. LV. Earundem itaque verba, quæ recitavi, furialia illa ſunt ſibila e Poli calamo emiſſa per annum & amplius, quem, ut dixi, redux

dux e Belgica Legatione in Aula Romana peregit, singulari apud Pontificem gratia, & auctoritate florens, ac proinde maxime idoneus, qui eidem jugiter permixta furore consilia ministraret.

Reliquæ omnes, quæ percurrendæ restant hujus Voluminis Epistolæ, scilicet a LXII. usque ad omnium postremam, classem quartam componunt, spectantque universæ ad tempus Legationis Hispanicæ a POLO initæ mense Decembri an. MDXXXVIII. desitæque mense Septembri an. MDXXXIX. Multo graviore tumultu, quam adversus Belgicam, obstrepitant adversus Hispaniensem istam quamplures, præsertim Heterodoxi, perinde ac si POLO ad eam exercendam Roma discedenti Pontifex ferale illud mandatum injunxerit, *Disjice compositam pacem, sere crimina belli*. At animadvertant, velim, disjiciendæ pacis, abrumpendæ scilicet cum Angliæ Rege amicitiæ, captam jam fuisse deliberationem a Cæsare, atque a Galliæ Rege, antequam POLUS Roma pedem moveret, imo vero ex initis inter utrumque Principem de ea re conventionibus Legationis POLO ad eosdem demandandæ consilium profluxisse. Quapropter si culpa istud minime vacare censeamus, hanc potius in Principes illos, quam in POLUM recidisse a nemine profecto in dubium poterit revocari. Id tantum negotii POLO datum fuit a Pontifice, ut iidem pactiones, quibus se obstrinxerant, cum factis conjungerent. Cui muneri ut ille satisfaceret, quænam crimina serere adlabo-

laboraverit, ipſemet planum fecit in literis ad Contarenum ſcriptis, indicatiſqne numero LXXVIII. *Vides vero* (ita Contarenum alloquitur) *hac in cauſa quanti momenti ſit Regis Chriſtianiſſimi animum prius explorare, imo in hoc eſſe omnia. Neque enim eo repugnante, aut non grato animo meum adventum excipiente, ut eo proficiſcar, unquam ſcio ſuadebis. Quid ergo hic faciendum, ut omnibus ſatisfiat? Hoc ſolum quod eſt facillimum, ſi Cæſarem ſententiam ſuam clarius explicari patiantur, ut mecum afferre poſſem certum aliquod teſtimonium ejus, quod verbis oſtendunt. Hujus ſcilicet, primum Cæſarem contentum eſſe, ut amborum nomine mittantur, qui Anglo proteſtentur &c. Deinde hoc clare explicet, quod in omni proteſtatione intelligitur, Anglo non obediente, ſe contentum una cum Rege Chriſtianiſſimo exequi, quæ ad obedientiam Principum Catholicorum pertinent &c. Hoc ſolum ſi exprimatur, vel teſtimonio litterarum, quas Majeſtas Cæſarea poteſt ad Pontificem ſcribere, quæ ſi ad me poſtea deferantur, cum litteris ejus Sanctitatis, quæ me proficiſci jubeant, jam vides, quanto majore cum authoritate omnia fient, & bonore Sedis Apoſtolicæ. Et quid minus a Cæſare poteſt poſtulari, præſertim cum verbis hoc jam promittat facturum? At verbis nonne ſatis erit jam teſtari, quod reipſa poſtea per ſuum Oratorem apud Chriſtianiſſimum eſt confirmaturus? Recte quidem, ſi Regi Chriſtianiſſimo ita ſatisfieret. At vero cum verbis hoc idem de voluntate Cæſaris ad eum deferebatur, referente Ab-*

bate

bate S. Salvatoris, tamen cum de eadem re, & de meo adventu postea loqueretur Nuncius cum Magno Contestabile, hoc tum in meo adventu exigebat, ut aliquid certius afferrem de voluntate Cæsaris; significans interim aliter haud gratum fore meum adventum, & cum hoc gratissimum: quod quo pacto fieret, nisi aut Cæsar per litteras hoc significaret, aut certum hominem ex suis una mecum, qui hoc testaretur, ad Regem mitteret, ipse quidem nihil video. Quod enim jam proponitur, de quo ipse agam cum Rege Christianissimo, ut causam hanc amplexari velit, jam per Abbatem est actum, & a Rege ipso toties responsum: Si Cæsar velit in eam incumbere, se nunquam defuturum. Unde autem acciderit, istorum Principum facta consiliis minime respondisse, eorum temporum Historiæ nos edocent, ex quarum fide vel ipsi Scriptores Gallici (inter quos Abbas Joachimus le Grand in Tom. II. libri sui *Histoire du Divorce* p. 198. &c.) apertis verbis fateri non dubitarunt, mutuas eorum Principum suspiciones in causa fuisse, ut iidem, Polo Legationem obeunte, fluctuare animo, ac tergiversari cœperint, ac demum præferendum duxerint *l'utile & le present a l'honeste, & au futur*, ut loquitur idem Abbas le Grand. Innoxio igitur animo Polus negotium illud pertractavit, & mente prorsus æqua. Hanc ab ipso servatam fuisse, quo tempore fratrem primo, deinde matrem ipsius Henricus capitali sententiæ subjecisset, hoc profecto inter divinæ gratiæ prodigia haberi debet. At non

æquam tantum mentem Polus in acerbissimo eo casu tolerando servavit, verum præterea ita se gessit, ut nihil ejus virtute, & sapientia admirabilius, quemadmodum testatur Sadoletus ad Contarenum ita scribens: Polus *collega noster, optimus atque amplissimus vir, dignissimus illa fortuna in qua erat natus, non hac quæ nunc illi obstat, graviterque infesta est, iter faciens in Hispaniam, Carpentoracte ad me divertit: suoque mihi adventu cum non mediocrem dolorem, tum magnam etiam attulit voluptatem. Videre enim & aspicere hominem eum, quem summe diligo, & affari præsentem, quem absentem desiderare sum solitus, insigni quadam lætitia me afficit; audire autem ex eodem acerbos familiæ suæ casus, & nobilissimam immanitate teterrimi tyranni pene extinctam domum intelligere, sane usque eo mihi miserum & crudele visum est, ut nisi ejusdem* Poli, *cui erat illa calamitas inflicta, virtute & sapientia lenitus essem, modum meo dolori facturus non fuerim. Verum ille, qua suis in rebus omnibus animi constantia & moderatione est, cum Deo semper se subjiciens, atque illius voluntati obtemperare paratus, de suis acerbissimis rebus, tanquam de alienis loqueretur, suum domesticum quidem incommodum fortiter ferebat, de publico vero Christiani nominis incommodo gravius commovebatur*. Et in Epistola ad Cardinalem Alexandrum Farnesium: Polus *tuus* (inquit) *vir fortissimi animi, virtutisque non eximiæ solum, verum etiam admirabilis, (quod ipse & alias sæpe, & nunc cum maxime,*

me,

me in hac iniquitate fortunæ, acerbisque suorum eventibus declaravit) summa mea cum voluptate nunc est Carpentoracti. Itaque ab omnibus colitur, & in honore habetur, ut non hominem nostri temporis, sed quasi e cœlo demissum, aut ab antiquitate nobis redditum, videantur intueri. Tanta est sapientia, modestia, humanitate, religione: quod quidem etiam in gloriam vestri nominis cedit; cum videant hæ nationes, cujusmodi vos viros ad Sedis Apostolicæ gubernacula acciendos esse putaveritis. Quid ni? POLUM ipsum de eo familiæ suæ excidio loquentem audiamus. *Audisti* (ita ipse in Epistola ad Contarenum posita num. LXXXIII.) *credo de mea matre ad mortem consilio publico damnatam, idest ad vitam, & eam æternam, nisi enim ego ita vere interpretarer, ne vivere quidem possem, & ne cum illa quidem firmissima animi persuasione solem intueri possem, nisi sub petra latitarem, & in foramine illo me absconderem, ubi gloriam Domini transeuntem expecto. Nec vero solam damnatam mulierem septuagenariam, qua nulla, excepta filia propinquiorem habet, &, ut ille ipse, qui eam damnavit, sæpe dicere solebat, nec regnum illud sanctiorem habuit feminam, sed cum nepote suo, filio fratris mei, puero, spe reliqua stirpis nostræ. Vide quo est progressa hæc tyrannis, quæ incœpit a Sacerdotibus, in quorum ordine nonnisi optimos consumpsit, deinde ad Nobiles, & illic omnium optimos similiter perdidit, tandem ad mulieres est perventum, & ad pueros innocentes, nec enim mea mater sola condemnatur, sed*

conjux etiam illius Marchionis, qui cum meo fratre est interfectus, quæ ipsa bonitatis fama apud nostros fuit maxime insignis, quam filius parvus ejus est sequuturus. Deinde vero totus est in publico Christiani nominis incommodo deplorando, questusque de Cæsaris in eo vindicando seu inertia, seu cessatione, his tandem verbis animi sui tranquillitatem testantibus, Epistolam illam concludit: *Ad eum ergo, qui solus potest, preces fundamus, ejusque voluntatem cum patientia expectemus.* Huic consilio, voluntatis scilicet divinæ cum patientia expectandæ, totum se POLUM dedisse, postquam inanem operam a se apud utrumque Principem sumi intellexit, aperte dignoscimus ex pluribus ejus literis, quibus enixe studuit, ut licentia a publicis omnibus negotiis cessandi, degendæque vitæ ab hominum oculis, & convictu remotæ, sibi a Pontifice indulgeretur. In LXXXIII. ita scribit Contareno: *Cum omnes viæ ad serviendum causæ sint, ut video, interclusæ, hoc quidem opto, quod sola ejus Sanctitas mibi concedere potest, ut secedere ad tempus a negotiis liceat, ut orare liceat, ut lugere. Hoc sive mibi concedat in bis locis, sive in Italia, ubi procul ab urbanis negotiis vivere possim, quia celebritatem illam animus reformidat, me in voluntate quidem illius Sanctitatis pono, sed, ut secedere liceat, hoc in meis precibus, in quibus eo plus juris habere videor, quo magis in dies audio quæ me, ut sub petra me abscondam, & ut in absconditum tabernaculum ejus fugiam,*

cu-

cujus causa affligor, impellunt. Religiosis hisce sensibus, maximopere dissitis ab ea impotentis animi effrænatione, qua Principes ad arma adversus Henricum sumenda Polus concitasse accusatur, optime etiam respondisse vitæ rationem, quam iste, dum Legati ad eosdem munere fungeretur, sectandam sibi duxit, apertissime nobis constat ex indubiis plurimarum Epistolarum monumentis. Quod spectat ad pias Poli, sociorumque ejus in Carpentoractensi domicilio exercitationes, eas ipse testatur ad Contarenum Epistola LXVIII. hæc scribens: *Noi* (de Priolo etiam, & de Beccatello loquitur) *per la nostra consolazione mutua havemo cominciato a conferire insieme li Salmi di quel grande Propheta e Re, il quale Dio aveva eletto secundum cor suum, ed hoggi eramo arrivati a quel Salmo che comincia :* Salvum me fac Domine quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana via *&c. Reliqua nosti. E certo chi prattica coi huomini, sa quanto è bisogno a pregar Dio di guardarci, e di ringraziar quando trova in qualchuno illam prudentem simplicitatem, che conviene così bene ai servi di Dio, e di questo posso dar testimonio, e di uno, e dell' altro più che mai, per la prattica che Dio mi ha fatto havere in questo negozio di tutte due vie. Io non posso dir altro, che sia laudata S. M. del tutto; e per tante difficoltadi che sono mostrate in questa causa di Dio, non restarò però manco fidente di veder buona resoluzione all' onor di S. M. supponendo*

que-

questo, che tutte quasi le grandi imprese in natura vanno per grandi difficultadi, e le cose pervengono all' honore vero di Dio per la maggior parte per impossibilità, secondo quel che pare a noi. Quam sancte autem idem Polus, Belgica Legatione fungens, diei horas partiretur in Leodiensi commoratione, fidem facit Prioli Epistola ex eadem ad Beccatellum data, in qua hæc habentur: *La mattina ogn' uno si sta nella sua camera fino a un' hora e mezza innanzi pranzo, nella qual' hora convenimo in una Chiesivola domestica, ed insieme cantiamo le ore more Theatinico senza canto. Monsig. di Verona è il nostro Maestro di capella. Dette le hore, si ode Messa, e poco dappoi si disna: a parte della mensa si legge S. Bernardo; poi si ragiona.* Postquam vero exempta fames epulis &c. *il Vescovo legge ordinariamente un Capitolo d' Eusebio* de Demonstratione Evangelica: *si continua, e ripiglia dappoi qualche onesto e grato ragionamento che dura fino a una, o doi hore dopo mezzo giorno; ed allora ogn' uno ritorna alla sua camera, ove si sta fino a un' ora, e mezza innanzi cena: a quell' hora cantiamo Vespero, e Compieta; e dappoi il Rmo Legato si ha tandem lasciato exorare di leggerci le Epistole di S. Paolo alternis diebus; ed ha incominciato dalla prima a Timoteo, con somma sodisfazione del Vescovo, e di tutti noi.* Hominem tam impensæ erga sacras istas exercitationes voluntatis furiis mentem efferam gestasse, Vatiniano scilicet, & novercali odio adversus Principem suum inflammatam,

matam,

matam, hoc profecto quicumque affirmaverit, omni primum pietatis sensu, deinde etiam communi carere, nisi jure ac merito censeatur, quidnam sint sensus illi, minime me intelligere profiteor.

Hactenus de Epistolis hoc Volumine comprehensis. Nunc ad ea veniendum, quæ illis in eodem præmittuntur. Primum locum tenet Epistola altera Cl. Jo: Georgii Schelhornii cum meis ad eandem Animadversionibus. Omnem ille in ea lapidem movet, ut ostendat, POLUM, dum binas superius memoratas Legationes obivit, animum gessisse belli in Regem Henricum ciendi cupidissimum, ac propterea maximopere curasse, ut Carolus Cæsar, & Franciscus Rex, odii, & inimicitiarum armis uterentur, quibus eundem opprimerent, atque spoliarent. Schelhornium ista scribentem Andabatarum more pugnare, præterquam pervici profecto, æqui cujusque hominis judicio, in meis illis Animadversionibus, & in iis etiam, quas primæ ejus Epistolæ, primo hujus Collectionis Volumini insitæ, apposui, multo adhuc clarius dignoscent quotquot Epistolas a POLO de earundem Legationum negotiis exaratas perlustrabunt. Quod quum primum faciet Schelhornius, non dubito quin & ipse intelligat, se longissime a veritate aberrasse, quippe qui avem in serpentem, agnum in tygridem transformare non dubitavit. Miros ille exciverat antea tumultus adversus librum de Unitate Ecclesiastica a POLO compositum, & ab ipso transmissum ad Re-
gem

gem Henricum, præsertim vero adversus Orationem ad Cæsarem conversam, quæ in eodem continetur; at nuperam Epistolam suam, de qua hic agitur, scribens, ensem quodammodo illum vagina texisse censendus est, dum ad compescendos ejus tumultus argumentationes a me in prioribus illis Animadversionibus adhibitas, in pauca ista conferens verba: *Tu autem, Domine, ut maculam hanc a* Poli *nomine abstergas, regeris Orationem ad Cæsarem conversam, in ejus Opere pro remedio adhibitam a* Polo *fuisse, ut Henricus periculum amittendi Regni, in quod se conjecerat, offensis summis in Orbe terrarum Potestatibus declinaret; eam vero Cæsari fuisse transmittendam, non autem libro ad solum Regem transmisso inserendam, si ad exitium Regis, potius quam ad salutem ejusdem spectasset*, paulo post hæc alia subjungit, *Lubens largior animum* Polo, *cum Opus suum concinnaret, haud fuisse, & exteros Principes, & Angliæ populum ad arma contra Henricum capienda sollicitare*. Æque lubentem largiturum modo spero, perlustratis scilicet Epistolis, quæ in hoc Volumine exhibentur, eundem animum a Polo pariter abfuisse, dum Legationes exercuit. Has unice in invidiam pertrahit in Epistola ista sua, qui tamen usurpatam a Polo in eo libro scribendo rationem multo graviori, quam Legationes illas, censuræ subjecerat in Amœn. Tom. I. Hist. Eccl. Liter. animadvertens p. 172. eundem in Epistola ad Eduardum Regem conatum quidem fuisse, eas Legationes defen-

fendere, at intacta reliquisse, quæ Operi illi suo ad excitandum in Henricum, & subditum ipsi populum, & extraneos Principes inseruerat, *cum tamen* (inquit) *ea, siquid judico, virgula censoria sint omnium dignissima*; idque consentanee iis, quæ p. 128. ejusdem Tomi scripserat hisce verbis: *Scripsit ita contumeliose in Regem, ut valde dubitem, an ab orbe condito unquam ullum scriptum injuriosius in Regem, & Magistratum suum a quodam in lucem emissum sit. Scripsit denique hoc animo, ut & ejus imperio subjectos ad seditionem, & potentissimos Principes ad bellum Regi suo inferendum concitaret.* Invisus itaque olim homini illi Poli liber, multo magis quam ejus Legationes, si postea ejusdem judicio culpæ expers censendus foret, dummodo Legationes abfuissent, istas quoque eidem innocuas inposterum visum iri, perlustratis, ut dixi, hujus Voluminis Epistolis, cur non confidam? Addam, me non videre, quo pacto ab eo Scriptore simul componi possint verba illa, *Lubens largior* &c. atque ea, quæ statim sequuntur, *Si iis monitis, ac reprehensionibus suis locum dans* (Henricus) *Pontificis Primatum in Anglia iterum stabilire, seque & suum Regnum ejus dominationi in sacris denuo submittere non recusaret*, componi, inquam, possint cum odio novercali, cujus labem adeo frequenter, & præfervide Polo idem Schelhornius inurit. Certe nec Vir ille doctus, nec alius quivis sanæ mentis homo, dixerit, jactas a filio in scelestum parentem, etsi vehemen-

tissimas, reprehensiones, seu a medico in ægrotum de vita periclitantem, seu a Confessario in pœnitentem vitiis inquinatum, ex odio proficisci, siquidem ad eorum, in quos illæ jaciuntur, bonum, & commoda unice referantur; qua ratione Henrici Regis incolumitatem, & felicitatem POLUS in eo libro styli acerbitate usus, unice persequebatur. Non ita profecto odisse didicerunt novercæ privignos suos. Tandem observo, verba, quæ paulo ante recitatis subdit Schelhornius: *Si vero res aliter cecidisset* (si POLO scilicet auscultare Henricus renuisset) *tum in antecessum jam satis superque animum tumultus, ac belli in Regem ciendi cupidissimum prodidit*, consistere nec ipsa posse cum superioribus, quibus ille diserte affirmaverat, eum animum a POLO abfuisse, cum Opus suum concinnaret. At nihil in eo Schelhornii convicio mirabilius, quam quod ad illud probandum utitur POLI Oratione ad Cæsarem conversa, ea ipsa, quam Cæsari fuisse transmittendam, non autem libro ad solum Regem transmisso inserendam, si ad exitium Regis, potius quam ad salutem ejusdem, spectasset, me præeunte adnotaverat, indeque adductus fuerat ad munifice largiendum, quod verba illa, *Largior libenter*, declararunt.

Post Schelhornii Epistolam subsequitur in hoc Volumine Diatriba, cujus Epistola illa vestibulum reputari potest. In ea Diatriba, Lector, invenies recenseri Epistolas singulas ipsius Voluminis, earum-

rumque loca illa præsertim, seu recitari, seu adnotari, ex quibus enitescat Romanæ Ecclesiæ ea ætate, ad quam eædem Epistolæ spectant, conspectus, indeque constet, injuste ab eadem Sectarios defecisse. Mea ista lucubratio, ut superius prodidi, haud refugi, quin ejusdem Schelhornii oculos, & judicium subiret pluribus mensibus antequam in vulgus spargeretur. Prodidi pariter, quam singulari humanitate ab eodem excepra fuerit, & quonam ipsum desiderio affecerit perlustrandarum Epistolarum, quarum recensioni, & elucidationi destinatur. Addam modo, hæc mihi ab eodem ingenue scripta fuisse, *Haud equidem deessent quæ de Paulo III. aliisque e genuinis historiarum monumentis regerere possem, sed iis Tibi, quem observantissime veneror, gravis esse nolo.* Haud equidem gravis mihi Vir ille eruditus, & humanus fuisset, si honesti censoris animum sumens, tradita a me in Diatriba ista mea ad examen revocare suscepisset, nec abnuissem quotquot ejus admonitu & sine pondere, & honore indigna in eadem comperissem, movere loco, etsi intra penetralia Vestæ versari quodammodo viderentur post appositum iisdem Typographicum veluti sigillum. At si veritus est homo ille mihi lima sua gratificari, velim tamen, ut comiter, & gratiose excipiens Opusculum, ex ea ipsa Diatriba nuperrime procreatum, citoque ad ejus manus perventurum, libellum, inquam, de Pauli III. Gestis, eo saltem perlecto, mecum libere commu-

nicare non dedignetur quæcumque immortalibus ejus Pontificis laudibus adversantia e Bibliothecæ suæ armariis (pharetras illas dico venenatis gravidas sagittis, ut norunt omnes, quicunque Amœnitatum ejus Tomos evolverint, ea sæpe Syntagmata proferentes, quibus nihil Catholicorum auribus inamœnius) depromere potis erit. In iis vero maxime cupio, ut ab eo investigentur quæ idonea putaverit ad eam accusationem tuendam, quam adversus Pontificem illum Amœnit. Histor. Eccles. & Liter. p. 464. & sqq. intentavit ob fidem ab eo præstitam Astrologiæ judiciariæ. Innititur Schelhornii accusatio ista auctoritati Hieronymi Cardani, qui in libro Geniturarum profert ejusdem Pontificis Genituram, a Paride Astronomo Mantuano confectam ipso, nondum Pontifice, mandante, & inter arcanas chartas Petri Aloysii Farnesii, Parmæ, & Placentiæ Ducis, repertam. Ego vero in Diatriba aperte demonstravi, vel ab ipso Adversario habendum esse pro figmento thema illud genethliacum, quippe qui divinatricis artis deridet vanitatem, de ea agens ejusdem Tomi p. 609. & sqq., & præterea ostendi indubiis innixus documentis, studium, quo Paulus III. tenebatur Philosophiæ, præsertim illius, quæ circa sydera, & cælestes Orbes versatur, non innocuum dumtaxat fuisse, sed supremo Ecclesiæ Hierarcha dignissimum, quod tenderet ad rectam Cyclorum Ecclesiasticorum constitutionem omnimode necessariam, ne in Ecclesia Catholica, magno

Hæ-

Hæreticorum, & Judæorum risu, sanctum Pascha præpostere celebretur. De egregiis aliis Pauli Pontificis Græcis, Latinisque studiis fuse egi in I. Capite Opusculi mei paulo ante memorati, & multa præterea ad ejus calcem attuli ex Romuli Amasei Oratione. His omnibus adjungere modo juvat quod Ludovicus Nogarola (cujus doctissimæ adhuc superstites in Codicibus Mss. lucubrationes magna cum laude commemorantur in parte II. præclarissimi Operis, *Verona illustrata*) testatum reliquit, nimirum, Paulum III. mensæ assidentem in more habuisse de eruditæ vetustatis quæstionibus inter se decertantes audire, quod literatos Viros maximopere diligeret, literis ipse omnigenis ita excultus, ut provecta etiam admodum ætate utrumque Homeri Poema, & Horatii Carmina ex toto memoria retineret. Eximiam hanc ejusdem literaturam Græcam, Latinamque collaudari tradidi in Diatriba, etiam a M. Antonio Flaminio in Epistola, qua ei nuncupat suas in Psalmos Explanationes. Et quoniam iste ibidem his verbis Paulum III. compellat: *Quid? quod castissimus summi Dei cultus, plenissimaque pietatis religio, summa omnium voluntate fidei tuæ, præstantissimæque virtuti credita est, atque in terris maximi numinis locum tenes. Ad quem igitur mitterem potius explanationem libri sanctissimi, quam ad custodem, & principem omnis sanctitatis, quem jure omnes sanctissimum & colimus, & nominamus?* Schelhornii erit inspicere, quænam ipsi ineunda sit via pro componendis

nendis, quæ ipſe exaravit in Syntagmate de M. Antonii Flaminii religione, initio Tomi II. Amœn. Hiſtor. Eccleſ. Liter. cum iis poteſtatis, & ſanctitatis notis, quas Paulo III. impertitus eſt idem Flaminius. Hunc profecto quandoquidem ille eo ipſo loco ſuas ad partes pertrahere omni niſu conatur, ejus Chriſtianam pietatem, quam præcipue in iis Pſalmorum Explanationibus apertam fecerit, ſanctumque Deo unice placendi ſtudium mirifice extollens, animo vehementer fluctuet, & angatur, oportet, dum eundem audit in ipſa earum Explanationum Præfatione tam ſancte, & tam magnifice de Pauli III. ſuprema in ſacris rebus auctoritate loquentem. Hæc, & alia plura a me ſive in Diatriba, ſive in Opuſculo illo in medium allata, videlicet de ſincero Pauli III. animo in urgenda Eccleſiæ Univerſalis Reformatione, de ejus æquitate, ac ſapientia in Schiſmatis Anglicani negotio, de cura in derivandis ex privato familiæ ſuæ commodo publicis utilitatibus, demum de Cardinalium delectu, deque ipſius benignitate in excipiendis horum conſiliis, excitent, velim, Schelhornium, ut in medium & ipſe afferat, quæ a ſe regeri poſſe de Paulo III. affirmavit, dummodo ex Horatiano monito, paulo ante indicato, *Cum tabulis animum cenſoris ſumat boneſti*, quod profecto non faceret, ſi iniquiorem erga eum Pontificem ſe exhiberet Petro Aretino, cujus verba ſuperius recitavi.

Tandem Epiſtolis hujus Voluminis præmittuntur

tur Monumenta quædam, & primo loco octo literæ a Paulo III. post demandatam Polo primam Legationem conscriptæ ad Angliæ populos, ad Regem Scotiæ, ad Regem Galliæ, ad Reginam Belgii Gubernatricem, ad Regem Romanorum, ad Cardinalem Leodiensem, & demum ad Cardinalem Polum. Eas omnes debeo Odorico Raynaldo, qui illas ex Vaticani Archivi Codicibus depromsit, quum nondum in more positum fuisset, institutoque majorum, ut ad custodiendas loci illius fores, velut ad Hesperidum hortos, excubitor sederet. Ostium Raynaldo patuisse non illæ tantum octo literæ fidem faciunt, sed alia quoque documenta, quibus ejus Annales redundant, & quibus diligenter adscribitur Codex ejusdem Archivi, & pagina, unde sunt eruta. Schelhornius, quo nemo diligentior, ac solertior in venandis undique causæ suæ præsidiis, sibi persuadet, nihil Pauli literis illis luculentius afferri posse ad evincendum seditionis studium, quo Polus incendebatur: *E quibus* (ait ille) *affatim patet, Polum tumultus Anglici fovendi causa Legationem illam potissimum gessisse, imo idem Raynaldus* §. 42. *memoriæ prodidit, Polum quidem a Pontifice ingenti auri vi instructum fuisse, tum ut sumptus itineris toleraret, tum etiam ut Catholicis stipendia suppeditaret*. At ejusmodi persuasio pugnat omnino cum eo apertissimo testimonio, quod Poli animo in ea Legatione obeunda perhibent ipsius literæ superius laudatæ ad Cardinalem Carpensem; apertissimo, inquam, & validissimo,

simo, nec enim in Schelhornium cadere potest desipientia, qua autumet, POLUM ad eum Cardinalem scribentem de rebus, collata opera ex ipsius Pontificis mente ab utroque apud Regem Christianissimum tractandis, non ex animo dixisse quæ sentiret, sed eundem mendaciis obvelasse. Arma ad curandum Angliæ morbum ab ejus populis sumi, Polus, ut in iis literis palam profitetur, haudquaquam probavit, imo asseveravit, ei curationi potius diætæ, quam chirurgiæ remedia convenire; unice probavit, ad eos tumultus, ad quos Angliæ populum excitabat avitæ religionis tuendæ ardor, seu ab Apostolica Sede, Christianorum omnium matre, seu a Principibus Christi nomine eandem venerantibus, diligenti cum cura advigilari, quod ex illis *Regno quies, & salus* (ut loquitur Polus in iisdem literis) *& Regi ipsi bonor, & Ecclesiæ pax ad Christi gloriam consequi posset;* quandoquidem facile ex iisdem Henricus intellexisset, se, nisi constitutis religionis rebus, nunquam securum futurum. *Quantam occasionem id ei* (Henrico) *persuadendi* (subdit idem Polus loquens de Regis Christianissimi hortationibus) *dabat motus ille populorum nuper in Anglia ob has causas excitatus, ut hoc ei consilium vel salutis, & incolumitatis suæ causa maxime sequendum videretur?* Ex iis ipsis motibus occasionem Paulum III. cepisse pecuniario aliquo subsidio juvandi quotquot in eo Regno compererat summas in angustias adductos, quod recusarent, prisca religione ejurata,

a Romana Ecclesiæ fide deficere, inauditumque omnibus sæculis supremæ, quam sibi Rex Henricus in sacris arrogaverat, potestatis monstrum admittere, hoc, inquam, Pauli III. factum, si cui grave crimen videatur, non deerunt certe qui sentiant, eundem Pontificem, contra æternæ eorundem salutis curam projecisse visum iri Catholico universo gregi, ni paternæ charitatis viscera eo subsidio expandere studuisset miseris illis, quorum visceribus, & sanguini immanissimus Catholicæ fidei oppugnator inhiabat. Seditiosam fuisse hujuscemodi charitatem dum clamitant Heterodoxi, latere nostros existimant, quæcunque illi conculcatis Sacerdotii & Imperii juribus omnibus tentare sunt ausi omni ætate, ut Christifideles a sancta unitate divellentes, suis eos partibus adjungerent. Quare juste in eosdem illud Poetæ regeremus, *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?*

Octo hucusque recensitis Pauli III. literis subjunximus binas Instructiones, quarum una spectat ad Belgicam POLI Legationem, altera ad Hispanicam. Primam (etsi Instructio nominetur) Pontifici obtulit POLUS ad illius mentem recte percipiendam, ut imposito sibi munere rite, fideliterque fungi posset. Ea quoque inter POLI Scripta recenseri debet, quæ apertissime comprobant, summa lenitate ejusdem animum præditum fuisse; namque in ipsa inter cætera leguntur: *Piacerà a V. Sant. ordinare mi sia data una informazione di quello che era solito di communicar la Chiesa de Anglia con questa Santa*

Sede, perche sappino, che è quello, a che si devono ridurre, & ancora della maniera con che si avesse ad accettare il Re alla penitenza, benche credo purche venisse, quando non si potesse ridurre a tutto quello, a che più esso che gli altri doveria esser pronto, che V. Sant. si contenteria di quel a che si potesse condurre purche non fosse fuora delli termini del dovere. Quæ ultimo loco in eadem traduntur de pecunia a Pontifice suppeditanda, qua subventum iretur Anglici populi, in Catholica unitate perseverantis, miserrimis ærumnis, eam Poli lenitatem non evertunt, sed magis adhuc adstruunt, ut paulo ante demonstravi. Instructio autem altera fidem facit, Pontificem, demandata Polo Legatione ad Cæsarem, id unum intendisse, ne ulterius Henrico Regi liceret impune sævire in Deum, & in Sanctos ejus; quare prohibenda monet commercia, inter eundem scilicet Henricum, & Principes, ex quorum consiliis Diploma primo adversus eum Regem, deinde deliberatio commerciorum ei subtrahendorum emanaverant. In utrumque Scriptum istud statim ac oculos Schelhornius conjecerit, novum, ut bene intelligo, sibi partum subsidium ad impingendam in Polum seditionis culpam gratulabitur; quod dum egerit, novum ille mihi argumentum præbebit damnandi infensissimum ejus animum in Poli seu factis, seu dictis carpendis. Non ita profecto turbarum adversus Henricum concitator fuit Polus, ac adversus Polum Schelhornius ipse, omnia

sus

ſus deque vertens, dummodo ſeditionis facem, & flabellum POLUM repræſentet. Præter ea, quæ quamplurimis locis a me ſunt allata ad comprobandam hominis voluntatem illam, unum hoc loco afferendum occurrit, quod vel ex ſe ſolo eandem nullo modo excuſari poſſe pervincit. Recitat ipſe prolixum POLI locum, quo Henrici vitia carpit, ex libro tertio ejus Operis de Unit. Eccleſ. ſub finem, atque de illo ita pronunciat: *Hæc & alia profecto ita ſunt comparata, ut nullo modo excuſari queant;* ſtatimque ſui hujuſce judicii cauſam ſubdit: *Minime vero decebat Anglici regni civem, qualis* POLUS *erat, adeo ferociter in Regem ſuum inſurgere, & nihil non audere, ut tam Britannos ejus imperio ſubjectos, quam exteros Principes in eum concitaret.* At quidnam ſit quod excuſationem non admittit, num POLI locus ille a Schelhornio recitatus in Hiſtor. Oper. de Unit. Eccleſ. p. 118. uſque ad p. 123. an vero Schelhornii fides in illo recitando, quivis, locum illum in ipſo fonte perlegens, facile dijudicabit. Hiſce verbis librum illum tertium POLUS concludit: *Ubi ergo auxilium, ubi remedium tot tuis malis, ſi neque in divitiis, neque in amicis ſpei quicquam ſupereſt? An omnia ſunt deſperationis plena? Minime equidem ita ſentio, quin potius (ac vide, quo progrediar) ſi modo te ipſe non deceperis, ut inſtantem jam tibi perniciem agnoſcere nolis, ſed omnia tuta, ac periculo vacua putes; idem ego, qui jam dudum videor tibi nihil relinquere, ex quo ſalutem ſperare poſ-*

sis; ego inquam, non solum remedium esse dico, sed me etiam illud habere, & nisi tu recuses, adhibiturum esse profiteor. Et mox subdit: *Id autem quale sit, alio libro, quando hic pene ultra modum excrevisse videatur, exponam*. Quartum autem librum illum ita exorditur: *Ventum est aliquando tandem, Princeps, ad eum locum, quem ego jamdudum, quasi quendam ex longa jactatione portum expetebam; ut postquam ea, quæ tute tibi contraxisti, mala, ac pericula demonstravi, deinceps expeditissimam salutis viam tibi ostendam*. Dijudicandum cuivis, ut dixi, relinquo, an excusari nullo modo queat, seu Poli locus a Schelhornio in medium allatus, seu Schelhornii fides in eo afferendo, prætermissis iis verbis, quæ cum eodem connexa deprehendit, quæque extra omnem controversiam constituunt, locum illum, & alia quoque, ea tantum de causa ab Auctore exarata fuisse, & in Henrici aures ingesta, ut iste pericula, quæ sibi tam a Britannis suis, quam ab exteris Principibus imminebant, declinaret.

Ultimum locum in Monumentorum, de quibus hic agitur, serie occupant literæ quatuor Cardinalis Alexandri Farnesii, Toleto datæ, dum Pontificii Ablegati ad Carolum Cæsarem officio fungeretur, quarum unæ ad Cardin. Polum sunt scriptæ, reliquæ tres ad Paulum III. Eas mecum communicari ex Codicibus MSS. Marcelli II. Pontificis Maximi, Senis apud nobiles Cervinos servatis, benigne indulsit Thomas Cervinus, Patriarcha Hieroso-

solymitanus, spectatissimæ probitatis Præsul, summa etiam cum laude commemorandus ob magni momenti, & ponderis munera, quæ in Aula Romana jamdiu diligentissime obivit, & modo adhuc obit, dignusque omnino ejus stirpis nomine, cui tantum decoris, & splendoris accessit ex Pontifice illo, qui etsi paucis tantum diebus in Petri Cathedra sederit, magnæ tamen & bonitatis, & sanctitatis famam reliquit. Ex illis quatuor literis binas integras attuli, quod ex toto in rebus religionis, Anglicis præsertim, versentur; at ex binis aliis ea tantum recitavi, quæ faciunt ad illa ipsa publica negotia, omissis quæ spectant ad privata Farnesiæ familiæ. Eæ omnes magis, magisque confirmant, Paulum III. Christianæ Reip. utilitatibus nihil antiquius habuisse, omnique propterea nisu curasse, ut iisdem Ecclesia Catholica potiretur. Præter res Anglicas, agitur ibidem de Christianorum Principum pace, de fœdere adversus Turcas, de Concilii Generalis convocatione. Confirmant præterea, Cardinalem Farnesium ad gravissima illa negotia pertractanda, licet octodecim annos dumtaxat natum, eam adhibuisse ingenii præstantiam, ac maturitatem, quam in causa fuisse affirmavi, integerrimorum Scriptorum testimonio, ut rem neque periculosam, neque lubricam fecisse censendus sit ejus Sanctissimus Avus, dum illum admodum adolescentem inter Romanæ Ecclesiæ Senatores cooptavit. Confirmant denique, in Anglicis rebus nihil

Pon-

Pontificem unquam decrevisse, nisi communicatis cum Carolo, & Francisco consiliis. Eas sibi cordi esse quum Cæsar profiteretur, expedire tamen putabat, ut prius Germanicis rebus succurreretur. Hanc ipsam sententiam quum Cæsarei Consiliarii tuendam suscepissent in habito ex Cæsaris jussu cum Cardinale Farnesio colloquio, iste in hunc modum se respondisse significat Pontifici: *Che quanto a questo parer di Sua Maestà, venendo da così prudente, e catholico Principe non saprei che dir' altro eccetto di riferirlo a V. Sant. Ma che io vedevo bene nel differire la cosa d' Inghilterra farsi una gran ferita alla Sede Apostolica, perche essendo già emanate le censure, e le Bolle contra quel Re di parer di l' una, e l' altra Maestà Cesarea, & Christianissima (come lor Signorie sapevano bene) ove hora non si exequissero, l' autorità di quella Santa Sede diveria molto negletta, & ogn' uno conosceria, che si portava più rispetto al Re d' Inghilterra così impio, & scelerato, come è, che alla Sede Apostolica. Perochè almeno per riparare a questo inconveniente si doveria far' in modo, che apparisce la pratica mantenersi viva, & che se le Bolle non sono ancora exequite, o non si exequiscono così presto, non resta per negligersi, ma per honestare, & maturar meglio la execuzione, & però che almeno non si doveva restar hora di non mandar li dui Ambasciatori a quel Re, come si era ordinato &c. Confessorno, che io dicevo il vero, & che si doveva mantener la pratica viva come havevo detto, & attender' in tanto*

to ad acconciare le cose di Germania, & che questa propria era la via, ma sterno però nella medesima opinione di prima, che fosse necessaria l'andata del Cardin. Polo *in Francia avanti che li Ambasciatori si mandassero, dicendo che trovandosi S. S. Rma in Avignone lo porria far subito, & che così li Ambasciatori andarebboro subito.* Et in alia Epistola eidem Pontifici ita scribit: *D'Inghilterra stiamo sul trovar modo, s'el si potrà, che quelli protestanti vadino, & che il Cardin.* Polo *anch'egli vada alla Corte di Francia, ma dubito sarà cosa difficile, perche il Nunzio con Monsig. di Granuele aveva loro tocco il fundo della oppinione di S. Maestà, quale è in somma, che ancora che li protestanti si mandassero, finche le cose in Germania non sono acconcie, S. Maestà non vuol romper con Inghilterra. Faccia il Re di Francia quel che vuole, & acconcie le cose di Germania, & che il Re di Francia non volesse concorrer, S. Maestà sola vendicherà ad ogni modo l'ingiurie della Sede Apostolica, & sue.* En nova luculentissima testimonia, Pontificiæ in Henricum Regem execrationis Diploma emanasse, assentientibus, consulentibusque Principibus Carolo, & Francisco, nec eos detrectasse pro eodem exequendo socias manus jungere; quod tamen facinus mutuæ eorundem suspiciones disturbarunt.

Ut autem aliquid etiam indicem de Farnesiis negotiis, quorum mentio fit in iis Cardin. Alexandri literis, ea statim istarum verba recitabo, quæ aperte de-

cla-

clarant, innocuam prorsus fuisse initam a Pontifice rationem Camerinensis Ducatus in familiam suam transcribendi: *Finite le cose publiche con Sua Maestà come nell' ultima lettera ho scritto, entrammo su le private, & cominciai io a dire, come tenevo lettere del Signor Duca mio padre dopo la partita mia di Roma, per la quale ero avvisato, che Madama Margarita mia cognata, e figlia di Sua Maestà, & esso mio padre vedendo che horamai lo stato di Camerino era liberato di ogni interessi altrui per aver il Duca, & la Duchezza di Urbino ceduto liberamente, & ricevuto la dote sua, & perche il Signor Hercole Vezano vedendosi vecchio, & che la sua investitura non passa a figli, come savio faceva istantia a V. Bñe di ceder ancor lui le sue ragioni, confidando che V. Santità non li mancaria di qualche mercede che passasse a figli in modo che potessero vivere da gentilhomeni, vedendo dico questo, havevano fatta instantia a V. Santità che volessi farlo venir nel Sig. Prefetto mio fratello & in essa Madama sua Moglie, aggiungendo, che anch' essa n' haveva parlato a V. Santità particularmente perche mi scrivono, che V. Santità rispose, che quanto a se l' amore che porta a quella Signora per infinite virtu, & rare qualità sue, & al Signor Prefetto suo nipote le insegnava a desiderarle ogni bene, ma che per hora la non sapia se non rimettersene alla prudentia di S. Maestà inteso che avesse le qualità della cosa*. Postea narrat quæ de eo negotio ultro citroque dicta fuerunt tam a se, quam a Cæsare,

ejus-

ejusque Consiliariis, & in primis de præstanda Apostolicæ Sedi indemnitate centum, & quinquaginta nummorum aureorum, quos ipsa pro Ducatu illo redipiscendo expenderat. In iisdem literis sermo etiam fit nuptiarum, pro quibus inter sororem Cardin. Farnesii, & Sabaudiæ Principem paciscendis tractationem instituerat Cardinalis Eporediensis: *Parendomi ogni cosa rasserenata, dissi in ultimo quello che il Card. d'Iurea ha significato a V. Sant. circa il maritaggio di mia sorella col Principe di Savoja, che lo colsi improviso, & narrai per ordine la cosa come V. Sant. me la scrive, & in ultimo supplicando S. Maestà in nome particulare di tutta casa nostra a degnarsi di pigliar cura che questa sorella sotto gli auspici di S. Maestà ci esca presto di casa, & si collochi secondo che conviene a una cognata di una filia di S. Maestà, la pregai di una delle due cose, overo che S. Maestà piaciendogli il parentado, ne volesse scrivere a quel Duca l'animo suo, overo quando il Duca ne scriverà a S. Maestà, laudare la cosa, & abbracciandola condurla all'ultima perfetione, con molte altre parole, che mi parveno convenire, quali per brevità taccio.* Quæ omnia ne in malam partem accipiantur, nimirum perinde ac si studiosius, quam par foret, Paulus III. amplificandis familiæ suæ commodis incubuisset, consulendum est Caput II. Opusculi mei de ejus Pontificis Gestis, unde cuivis facile persuadebitur, eam amplificationem cum Christianæ Reip. utilitatibus fuisse con-

****** jun-

junctam. Consulenda est etiam Sadoleti Epist. XIV. lib. XII. & Opusculi illius mei Cap. IV. p. 75. laudata, quam ille solum non probaverit, cui aut mala bile ferveat pectus adversus Paulum Pontificem, aut qui multo rectius, & justius, quam Sadoletus se videre existimet, quæ tranquillitati publicæ, quieti Italiæ, Pontificiæ authoritatis sustentaculo, ea ætate convenirent, aut denique Cardinalem illum sanctissimum, habitumque (ut eum appellat Lud. Don. d'Attichy, Episcopus Æduensis, Vitam ejus describens in Tomo tertio Florum Histor. S.R.E. Cardin.) tanquam alterum sui temporis Apostolum, vili assentatorum gregi adscribat. Ab horum consortio quantum ille abfuerit, docent saluberrima illa monita, sapientissimaque consilia, quibus ejus Epistolæ scatent, non tantum sine adulatione ulla, sed etiam cum libertate maxima conscriptæ. In earum unis ad Cardin. Alexandrum Farnesium datis ita loquitur: *Agam fortiter, utarque libertate, quam tribuit mihi Deus: neque eum Principem, cui omnia debeo, cujus eximiam laudem virtutis, probitatis, sapientiæ, ullis hominum sermonibus infringi, aut imminui iniquissimo animo patior, falsis assentationibus in errorem inducam*. Libertatem illam, qua usi sunt præter Sadoletum, alii etiam Cardinales, æqui bonique consuluit Paulus III. ut Opusculi mei Capite ultimo comprobavi. Quæ Pontificis benignitas ea etiam de causa singularem commendationem promeretur, quod ille plerosque omnes eos

Car-

Cardinales, non ſapientia tantum, ſed ætate etiam, geſtiſque pro Chriſtiana Republica (per quadraginta & amplius annos Vaticana Purpura claruit) domi, foriſque ampliſſimis muneribus, antecelleret. Ea utique benignitas innumeris aliis Pauli III. præclariſſimis dotibus miro fœdere conjuncta palam oſtendit, nihil verius dici potuiſſe, quam quod idem Sadoletus de eodem Pontifice in alia Epiſtola affirmavit, Deo maximas gratias habendas fuiſſe, *Qui populo ſuo tam neceſſario tempore talem Pontificem præficere dignatus eſt*; & nihil proinde minus verum, quam eundem Pontificem eam notam promeruiſſe, quam illi inuſſiſſe reperitur Jac. Auguſtus Thuanus Hiſtor. lib. I. ad an. MDXXXIV. *In reliqua vita* (loquitur de Henrico, qui Pontificiam authoritatem ſuo in Regno abrogaverat) *ita ſe geſſit ille Rex, ut eum, ſi æquiores, & prudentiores Pontifices nactus fuiſſet, ſponte ſe ſubjecturum ipſorum poteſtati fuiſſe appareret*. Longius adhuc diſtant a veritate eæ laudes, quibus idem Hiſtoricus Regem illum cumulavit, ita de eo ſcribens: *Princeps omnibus naturæ donis cumulatiſſimus, & in quo, ſi in voluptates ſolutior non fuiſſet, nihil merito deſiderare poſſes*. Quid in Henrico deſideraverint ejus imperio ſubjecti Britanni, facile quivis intelliget ex eorum temporum Hiſtoricis, & ex recentibus etiam, quibus, nemine ex ipſis prorſus refragante (nec Burnetium, nec alios Anglos Scriptores excipio) Regis illius tyrannicæ immanitates deſcribuntur.

De-

Demum ad Polum reversus, confidenter affirmabo, nihil heroicis ejus virtutibus defuisse, quin & ipse iis Cardinalibus adnumerari mereatur, quos cum fama Sanctitatis obiisse ex recitato eorum Catalogo in praestantissimo Opere de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canonizat. lib. III. Cap. XXXIII. docemur. In Diatribae §. VI. Poli literas recitavi ad Cardinalem Betonium, Archiepiscopum Sanct-Andreanum in Scotia, ubi inter caetera ex ejusdem virtutibus magnas Scotiae primo, deinde universae Britanniae utilitates, ob quas sanguis quoque foret fundendus, derivatum iri ominatus, ita subdit: *Cujus rei nos inter alia maxime vel vestimentum ipsum nostrum nos admonet, unde nos si aliquis, ut Propheta ille, interroget: Quare rubrum est vestimentum tuum? hoc solum habemus quod respondeamus: quod Christus fecit; quod nos factis potius, quam verbis respondere decet. Id quod sperare de Rma Dominatione Vestra, & mihi firmiter polliceri non dubitabo*. Quae verba quum recitassem, adnotavi, Cardinali quoque Polo ad subeundum Martyrium, cujus hortatorem se Betonio praebuerat, non animum, sed occasionem defuisse, ut sexcenta Epistolarum ejus loca, praeter ipsius Vitam, evincunt, indeque affirmavi, Confessoris nobilissimi titulum eidem deberi, ac propterea locum in eo ipso Cardinalium Catalogo.

Haec praefatus, & forte prolixius quam par foret, nil aliud addam, nisi ut salvere, Lector, Te jubeam.

EMI-

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

ANGELO MARIÆ QUIRINO
S. R. E. CARDINALI, ET BIBLIOTHECARIO AMPLISSIMO EPISCOPO BRIXIENSI

Jo. Georgius Schelhornius Felicitatem perpetuam.

EXpositurus dulcem illum sensum, quem oculis animoque percepi, PURPURATORUM EMINENTISSIME, cum libri TUI exquisitissimi, vel potius reconditæ eruditionis thesauri, munus χρυσοῦ χρυσότερον, mihi redderentur, in eam me angustiam conjectum esse video, ut omni plane facultate illum, sicuti vellem, declarandi, quantumque TUÆ incomparabili liberalitati hoc nomine debeam, rite demonstrandi me destitutum esse fatendum sit. Hoc unum TIBI devota mente, ac ipsa veritate suffragante testatum cupio, incredibilem voluptatem cum summa utilitate conjunctam, quam ex iis hausi, plus ad valetudinem confirmandam, suumque animo vigorem roborandum contulisse, quam balinei acidularumque usum. Bone Deus! quam stupenda in illis polyhistoria, quantæ ingenii, doctrinæ, sedulitatis opes, quod judicandi acumen, quæ suadæ medulla, ac profluens dicendi copia, quam mirandus immensæ lectionis apparatus, quam eximia in illo dignitatis culmine modestia, quanta denique abstrusa quævis & antehac nemini cognita ex intimis penetralibus eruendi solertia atque felicitas! ut ipsas TIBI scriptitanti Musas Gratiasque adstitisse, mentemque manumque flexisse dicendum sit. Ego certe candido lapillo diem hunc notabo, qui tanti me thesauri compotem reddidit, eruntque splendida illa volumina, quibus mea jam bibliothecula mirifice superbit, perenne & ad posteros quoque, siqui futuri sunt, meos duraturum clementiæ in me haud merentem ac liberalitatis TUÆ nunquam satis prædicandæ monumentum. Idem etiam dictum volo de pulcherrimis

æneis tabulis, magnificentiæ TUÆ testibus locupletissimis, quæ in pinacothecula mea inter reliquas icones splendent, tanquam inter stellas luna minores, ac oculos mentemque spectatorum afficiunt tenerrime. Sed & aliud superest, quo TIBI me devinxisti maximopere, PRINCEPS INDULGENTISSIME, insignis nempe illa comitas, cum pari eruditione atque elegantia certans in doctissimis TUIS Animadversionibus, quas epistolæ meæ apologeticæ adjicere visum TIBI fuit. Meo me metiri modulo didici, nec ita mihi suffenus sum, ut illam ulla ratione dignam esse suaviter mihi blandiar eo honore, quo ipsam affecisti sola TUA rarissima humanitate ductus, inserens quippe eam Præfationi primo Epistolarum Card. Poli Volumini præmissæ, adeoque vilem meum pannum magnificæ purpuræ TUÆ assuens. Neque sane per somnium unquam in eam cogitationem incidi, id consilii abs TE, DOMINE, susceptum iri; omnem alias movissem lapidem, quod in illa festinatione ac inter tot interpellationes haud eo, quo par erat, modo fieri potuit, ut ipsa limatior & copiosior in TUAS, TEque proxeneta in eruditorum pervenisset manus. Bonum autem factum, quod tam indulgenter ac placide mecum egeris, quæ omnem laudem supergrediens humanitas non nostri tantum, sed futuri etiam ævi cordatis viris admirationi erit, summæque animi TUI lenitatis memoriam posteris quoque reddet venerabilem. Haud quidem mihi deessent, quæ ad Animadversiones, doctrinæ, elegantiæ, humanitatis plenissimas, possem regerere: certumque mihi est ac indubitatum, TE, CARDINALIS EMINENTISSIME, qua pereximia polles æquanimitate, mihi libertatem sentiendi ac tuendi ea, quæ solidis rationibus subnixa mihi videntur, facile concessurum. Sed statutum cum animo atque deliberatum mihi est, calamum, quod ad hanc quidem causam, satis inter nos disceptatam, pertinet, jam deponere, ac lectorum judicio rem totam permittere; cum mens mea TIBI devotissima in certamen TEcum, quem observantissime veneror, amplius descendere plane recuset. Floreat igitur inter nos perpetuo pulcherrimum
&

& dulcissimum pacis nomen! Unicum tamen patere clementer, PRINCEPS, ut adhuc moneam. Cardo rei inter nos ventilatæ in eo, ni fallor, potissimum vertitur, num Polus in Regem suum subditum ipsi populum ad seditionem, & exteros Principes ad bellum ei inferendum concitare revera contenderit, atque adeo, quod prono inde mihi fluere videtur alveo, Vatiniano in illum odio flagrasse jure dicatur. TU, DOMINE, negas & pernegas, ego ajo. Hoc vero ex ejus orationibus ad Angliam & Carolum V. directis, quas interim denuo studiosissime legi relegique, sole meridiano clarius elucere censeo, mecumque, scio, plures censebunt, qui iis curate legendis operam insumere volent.

ANIMADVERSIO.

Quo humanius, quo blandius, quo benignius mecum agis, erudite Schelhorni, dum & munuscula mea, libros scilicet, quos Tibi obtuli, & initam in causa Orthodoxæ religionis propugnanda rationem, liberali exornas encomio, eo magis doleo, nihil Tibi alteram hanc Epistolam exaranti ex ea acerbitate decessisse, qua in superiore susceptum a REGINALDO POLO consilium de Rege Henrico ad bonam frugem adducendo, ceu a Vatiniano odio profectum, insectari instituisti; quod ipsum plenius adhuc ante septem annos præstiteras in ea lucubratione, cujus conscribendæ occasionem Tibi præbuit Apologetica ejusdem POLI ad Eduardum Regem, Henrici filium, Epistola, tua primum cura in lucem emissa. Rursus itaque regeris Orationes ad Angliam, & ad Carolum V. directas, aisque, ex iis, quas denuo Te studiosissime legisse, relegisseque profiteris, odium illud meridiano sole clarius elucere, atque

ita tecum judicaturos, qui iisdem curate legendis operam insumere volent. Insumpsi ipse, semel antequam Diatribam meam componerem, secundo, dum eandem adversus Epistolam tuam vindicare contendi, tertio his ipsis diebus, quibus hæc scribo, & quo actius repetitis hisce lectionibus in earum Orationum scopum oculos intendi, eo apertius mihi patuit, ipsas non quidem odii, sed contra flagrantissimi erga Henricum amoris fœtus, dumtaxat ad ipsius Regis bonum, ad avertenda scilicet amittendi regni pericula, quibus obnoxium se fecerat, collimasse. Quod POLUS Orationes illas neque Cæsari, neque Anglicæ nationi reipsa transmiserit, sed tacito consilio asseverit ei Operi, quo Henrici jussis parens, de suscepto ab eodem Anglicæ Ecclesiæ Capitis titulo sententiam suam aperuerat, quodque diligentissime caverit, ut Opus illud ad solas Henrici manus perveniret, ac proinde lateret Anglos suos, exteros quosque, vel ipsos Italos, ne Romano quidem Pontifice excepto, inde existimabam extra controversiam omnem a me tam in Diatriba, quam in ejus Vindiciis positum fuisse, POLI Orationes illas ea invidia nequaquam laborare posse, pro qua ipsis inurenda Te lapidem omnem movisse conspexeram. At quoniam, Schelhorni, idem saxum adhuc revolvere pergis, ceu *Sanguine cretus Sisyphio* (parce quæso Ovidianum hemistichium usurpanti) eo cervicem tuam levare si, novo adhibito studio, modo curavero, officium quod amice præsto benevole accipe, iisque

iisque accenseas, velim, quæ a me in Te profecta stylo diserto, pro humanitate tua, descripsisti.

Orationem ad Cæsarem his verbis POLUS concludit: *Sed quid ago qui orationis quasi æstu ablatus, pene videor oblitus, quocum sermonem habeam? Tanquam enim cum Cæsare, non tecum, Princeps, agerem, Orationem hic ad Cæsarem inclusi.* Æstu amoris & pietatis erga Regem num se ablatum etiam dicere POLUS potuerit, judicandi arbitrium volens lubensque in Te trajicio, Schelhorni, dummodo honestum censoris animum, quo Diatribam, aliasque lucubrationes meas oculis tuis subjectas expendisti, in POLI, quæ statim subdam, examinandis, æque lenis, æque pacatus adhibeas. Ea honestas *omnem laudem* (tuamet verba de me humanissime dicta Tibi ipsi aptabo) *supergrediens non nostri tantum, sed futuri etiam ævi cordatis viris admirationi erit, summæque animi tui lenitatis memoriam posteris quoque reddet memorabilem*. Itaque POLUS, Cæsare, quem ea Oratione compellaverat, dimisso, perinde ac si ad mentem rediret; Henricum in hunc modum alloquitur: *Ut igitur eo revertar, unde digressus sum; animadverteris, opinor, qua maxime ratione te rebus tuis consulere putabas, si Morum, & Roffensem tanquam graves adversarios sustulisses, multo majores te inimicos justissimis de causis tibi accersivisse, universos quidem Principes Christianos communiter, proprie autem Cæsarem ipsum, quo plures simul conjunctæ causæ cum magis quam quemquam alium stimulare debent, & eo*

qui-

quidem tempore tute illum tibi hostem reddidisti, quo & inimicis maxime formidabilis evasit propter vires his paucis annis mirum in modum auctas, & amicis præsidio esse potest: qui si nulla privatim injuria a te affectus esset, tamen reipublicæ nunc causa non posset, non tibi infensissimus hostis esse. Hoc autem nunc dico, non tam de Cæsaris officio, & pietate loquens, quam de reliquis Principibus Christianis, quam etiam de ipso Rege Christianissimo, a quo non te pudet contra ipsius honorem, ut tali in causa te adjuvet, postulare. Si sane Pontifex Romanus, cui Rex Christianissimus, ut illo nomine est dignissimum, tanquam Christi Vicario obedientiam præstat, hoc tempore pro sua a Christo accepta in universam Ecclesiam auctoritate, juberet eum has partes suscipere, ut tuos conatus reprimeret, & armis coerceret, Cæsarem autem quiescere, & ad alias reipublicæ partes constituendas se convertere; profecto si vel suis, vel majorum suorum præclare gestis rebus constare vellet Rex Galliæ, non posset hanc Prouinciam sibi a summo Pontifice fidei causa delatam recusare; non posset non promptissime suscipere, etiam si frater ejus germanus esses. Quam cum recepisset, non minorem certe laudem omnium bonorum judicio, tuos in Ecclesiam conatus domi reprimendo auferret; quam ipse Cæsar, si ex Turcarum tyrannide Constantinopolim eripuisset, atque haud scio, an etiam majorem, quo perniciosius id quod nunc agis, premit Ecclesiam, quam omnia mala quæcunque, vel a Constantinopoli, vel ab omnibus, quibus Turca imperat, Provinciis timeri possunt.

ſunt. Vide ergo quo tua, & tuorum conſiliariorum prudentia te deduxit, qui biſce rebus, quas nullo more, nullo exemplo, ſumma autem iniquitate, vel impietate potius ſuſcepiſti, omnes Principes, quotquot Chriſtiani nomen tueri volunt, neceſſario tibi boſtes reddidiſti. Quæ poſtea ſequuntur, ſummariam Henrici in regno adminiſtrando actionum ſeriem exponunt, idque ad eum unice finem, ut tandem ipſe periculum, in quo verſabatur, agnoſceret, indeque Polo ipſo adjutore eriperetur. Hiſce autem verbis opem ſuam is pollicetur: *Ubi ergo auxilium, ubi remedium tot tuis malis, ſi neque in divitiis, neque in amicis ſpei quicquam ſupereſt? An omnia ſunt deſperationis plena? Minime, equidem ita ſentio, quin potius (ac vide, quo progrediar) ſi modo te ipſe non deceperis, ut inſtantem jam tibi perniciem agnoſcere nolis, ſed omnia tuta, ac periculo vacua putes, idem ego, qui jam dudum videor tibi nihil relinquere, ex quo ſalutem ſperare poſſis, ego inquam, non ſolum remedium eſſe dico, ſed me etiam illud habere, &, niſi tu recuſes, adhibiturum eſſe profiteor. Sed quale tandem eſt, quod dixi? Eſt ne vel tuum malum tam leve, vel facultas mea tanta, ut te ſaluum præſtare poſſim? Tam cito aut meæ ipſius tenuitatis, aut mali tui gravitatis oblitus ſum? Ego vero utrunque novi, & me nihil admodum præter cæteros poſſe, & te graviori malo oppreſſum eſſe, quam quiſquam unquam Rex fuerit; idem tamen, Dei auxilio fretus, remedium me præſentiſſimum habere profiteor. Id autem quale ſit, alio libro, quando hic pene ultra mo-*

modum excrevisse videtur, exponam. Hunc ipsum amoris æstum erga Regem palam omnino facit libri, qui mox subsequitur, exordium, quod hujusmodi est: *Ventum est aliquando tandem, Princeps, ad eum locum, quem ego jamdudum, quasi quendam ex longa jactatione portum expetebam; ut postquam ea, quæ tute tibi contraxisti, mala, ac pericula demonstravi, deinceps expeditissimam salutis viam tibi ostendam. In quo, si usquam alias, attentione tua, & in auscultando æquitate mihi in primis opus est: nunquam enim rem majoris momenti a quoquam audies; nisi aliquid majus corporis simul, & animi salute cogitari potest. Quæ enim sum dicturus, ad utriusque salutem sic pertinent, ut nisi ea nunc ex me audieris, sero sis fortasse aliorum remedia auscultaturus, sero auxilium imploraturus. Mala nanque omnia ante te oppriment, quam quisquam succurrere, atque opitulari possit. Quare, si unquam ulla in causa, nunc maxime attente omnia audire te oportet. Sed quo pacto me de tua salute loquentem auscultare possis, quo pacto credere iis, quæ sim dicturus, qui, si ulla verborum contumelia ostendere possit animum inimicum, ea dixi in nomen, & facta tua, quæ nemo unquam hostis tibi objecit, nec plura posset objicere, qui maxime hostili in te animo esset. Quid ergo? inimico ne, qui tam aperte, & tanta verborum licentia tibi insultaverit, operam dare, aut aliquid credere debes, quasi de salute tua postea dicturo? Auscultare quidem nihil probibet, etiam inimicum, Princeps; neque ego tamen, utcunque ex verbis, atque*

que ex oratione hoštis videor, tibi unquam inimicus fui, nec aliud nunc a te peto, nisi ut me tua causa benigne audias, postea tantum credes, quantum tibi res ipsa persuaserit in rem tuam fore. Nunc tantum ausculta.

Adjuro Te, Schelhorni, an vanis terroribus Henrici mentem implere studuisse POLUM suspicatus, *Somnia, terrores magicos, miracula, sagas - Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?* At Historici omnes, qui eorum temporum res descripserunt, certos nos faciunt, non terriculamenta ea fuisse, sed vere metuenda pericula, de quibus arcendis POLUS adeo enixe, adeo amanter satagebat. An censebis, POLUM, si eadem dissimulasset, rectius & sanctius munus illud Consiliarii obiturum fuisse, quod illi a Rege fuerat impositum? At POLUS ita se gerens ex iis fuisset Consiliariis, de quibus Ecclesiast. cap. XXXVII. v. 9. *a Consiliario serva animam tuam*. Quid? si prava potius, quam recta consilia Henricum sequutum, e regio solio, sive ob coortas in Angliæ populis seditiones, sive ob arma adversus ipsum ab exteris Regibus parata, deturbari contigisset? Haud equidem reor, Schelhorni, adeo væcordem hominem inveniri posse, qui POLO in crimen verteret saluberrimas eas suasiones, quarum author extitisset. Successibus autem, Deo ita disponente, tam seditiones illas, quam jungendorum armorum conventiones, caruisse, ac propterea Henricum Imperio non excidisse, nemo dixerit, id efficere posse, ut qui ad obtinen-

tinendam Regis emendationem non innoxie tantum, ſed juſte ac laudabiliter laboraſſet, ex eo eventu culpæ obnoxius evaſerit. Iterum Te adjuro, ne iniquam hanc ſententiam feras, non Chriſtianæ tantum, ſed politicæ etiam Reip. nimis quam exitialem, quamque nec Burnetius ipſe ſuffragio ſuo comprobare potuiſſe videtur, quippe qui tyrannicam Henrici in adminiſtrando regno nequitiam iis coloribus delineavit, quos recitatis ejus verbis priores Animadverſiones repræſentarunt. An non iniqua foret ſententia, quæ medicum odii adverſus ægros damnaret, quod iis graviſſima amittendæ vitæ pericula, in quæ immodicis cupiditatibus indulgentes ſe conjeciſſent, aperiret; quod præterea cupiditates illas acerbiſſimis verbis inſectaretur; quod tandem opportunam ſanando morbo medelam pararet, eaque omnia lectulo ægrorum aſſidens, arbitris prorſus remotis? Nihil frequentius in Poli Scriptis, quibus Henricum redarguit, reperitur, quam aptatæ ſibi medici, confeſſarii, & chirurgi perſonæ. Quæ itaque iſtos de ægrorum ſalute ſollicitos injuſta cenſura vexaret, procul pariter abeſſe debet a Polo, ea omnia munera eo acrius, eo ardentius obeunte, quo vehementiore erga Regem pietate, & charitate incendebatur. Aptiſſima quoque eſt ſimilitudo alia a Polo in Epiſtola ad Eduardum injecta his verbis: *Nec tamen inficior, in eis* (libris ſuis) *multa eſſe, quæ ejus* (Henrici Regis) *turpitudinem ac dedecus oſtendant: quod quidem neceſſario a me factum eſt, cum vellem illi,*

quaſi

quasi sordibus ore fœdato, speculum simul, & spongiam tradere, ut se ipse intuens abstergeret. Nec enim in ea parte, quæ turpia Regis facinora continet, aliud mihi propositum fuit, nisi ut, quas ignominiæ maculas sibi ille adsperserat, indicarem: in ea vero, quæ sequitur, eum rationem & viam doceo, qua non modo sine dedecore, sed magna cum laude omnes sordes eluere posset. Utinam fata tulissent, supremi scilicet Numinis decreta, Henricum non quidem in medicum, qui venerat curare eum, insanientem, sed ejus amantissimis monitis parentem, mutatis moribus ad sanitatem rediisse! Nihil profecto felicius ipsi Henrico, nihil populis ipsi subditis, nihil ipsius in Regno successoribus, nihil universæ Britanniæ ad hæc usque tempora contingere potuisset. Avita adhuc in ea Insula floreret religio, quam studiosissime retinendam vel ipse Erasmus Tunstallum, Episcopum Dunelmensem, adjurabat, dum illa scilicet, eodem Erasmo teste, in Romanam Sedem propensissimo animo foret, ejusque Primas, Gulielmus Varamus, ejusdem Sedis ornamentis ita faveret, ut nemo magis. Erasmi testimonium hujuscemodi in Diatriba, & Animadversionibus a me allatum maximi momenti, & ponderis apud Sectarios esse debere, in dubium revocari non patiar.

II. Tu autem, DOMINE, ut maculam hanc a Poli nomine abstergas, regeris, orationem ad Cæsarem conversam in ejus opere pro remedio adhibitam a Polo fuisse, ut Henricus periculum amittendi regni, in quod se conjecerat, offensis summis in orbe terrarum potestatibus, declinaret: eam vero Cæ-

ſari fuiſſe tranſmittendam, non autem libro ad ſolum Regem tranſmiſſo inſerendam, ſi ad exitium Regis potius, quam ad ſalutem ejuſdem, ſpectaret. Sed ut taceam, valde inconcinnum videri, ſcripto non ad alios, ſed ad unum Regem privatim directo integras orationes, eaſque ſeditioſiſſimas, ad alios inſerere: poterat ſane & debebat Polus periculum illud longe alia ratione, quæ & Regem, & ipſum, ceu ejus civem, & alumnum, magis decuiſſet, oſtendere, ſi lætum & exoptatum molimina ſua nanciſci eventum geſtit. Qui enim, quæſo, iſthac inita ratione ille ſperare potuit a Rege, tam ad iracundiam ac ulſciſcendi libidinem prono? Potius, ſiquid judico, a quovis, affectuum æſtu non abrepto, facile prævideri poterat, aſperrimis illis increpationibus ac orationibus Regis animum tam irritabilem magis exacerbatum ac alienatum a Romana Sede iri, id quod etiam exitus edocuit. Lubens largior, animum Polo, cum opus ſuum concinnaret, haud fuiſſe, & exteros Principes & Angliæ populum ad arma contra Henricum capienda ſolicitare, ſi iis monitis ac reprehenſionibus ſuis locum dans, Pontificis primatum in Anglia iterum ſtabilire, ſeque & ſuum regnum ejus dominationi in ſacris denuo ſubmittere non recuſaret. Si vero res aliter cecidiſſet, tum in anteceſſum jam ſatis ſuperque animum tumultus ac belli in Regem ciendi cupidiſſimum prodidit, ipſique Henrico, quid a ſe expectandum ei eſſet, verbis præſertim p. 101. ſqq. Amœn. obviis aperte ob oculos ponere haud erubuit. Quid? ſi vero nunc manifeſtum faciam, Polum, quod verbis minitatus fuerat, deinde exequi, licet irrito conatu, contendiſſe? Teſtis eſt Sleidanus Commentar. l. x. A. 1537. ad Regem Franciæ a Pontifice veniſſe legatum Card. Polum, legationiſque cauſam fuiſſe putatam, ut adverſus Angliæ Regem aliquid cuderetur. Objicies, DOMINE, teſtimonium ejus nullius eſſe ponderis, partim quod ita putatum tantum eſſe, partim quod partium ſtudio abreptus ſic ſcripſerit. Alterum objecere quoque ſcriptori integerrimo, more ſuo, Surius & Spondanus. At nonne Beccatellus, Poli rerum ſcientiſſimus, ejuſque in iſta legatione comes, idem, quod Sleidanus, imo plus teſtatur verbis a me p. 97.

Amœn.

Amœn. productis? Sleidanus, ſcriptor ſane circumſpectus, cui res non ita ad unguem explorata erat, ſic putatum dumtaxat eſſe memorat: Beccatellus vero diſertim refert, Pontificem ſive ſponte ſua, ſive hortatu Cæſaris, & Regis Galliæ, qui etiam affirmarent, ſibi nullum deinceps fore cum Anglo commercium, quod hac re nonnulla ſpes oſtenderetur, populos Angliæ ad tumultus ac ſeditionem adduci poſſe, Polum iterum legatum ejus rei cauſa miſiſſe. Quid, quæſo, manifeſtius, ſeditionis adverſus Regem ſuum excitandæ ergo legationem in Galliam ſuſcepiſſe Polum? ſed luculentiſſima exſtant ejus rei documenta in Odorici Raynaldi Annalibus Eccleſ. ad A. 1537. §. 38. ſqq. quæ eam extra omnem dubitationis aleam ponunt: Epiſtolæ nimirum Pauli III. Pont. ad populos Angliæ jam tumultuantes, ad Reges item Scotiæ & Galliæ, nec non Reginam Mariam Flandriæ Gubernatricem exaratæ, e quibus affatim patet, Polum tumultus Anglici fovendi cauſa legationem illam potiſſimum geſſiſſe, imo idem Raynaldus §. 42. memoriæ prodidit, Polum quidem a Pontifice ingenti auri vi inſtructum fuiſſe, tum ut ſumtus itineris toleraret, tum etiam ut Catholicis ſtipendia ſuppeditaret, cum autem majore copia auri in re graviſſima egere poſſet, Papam cum Cardinali Leodienſi egiſſe, ut quam vim auri depoſceret, eam ipſi ſubminiſtraret, quam ſine ullo damno eſſet ex pontificio ærario recepturus. An ne igitur alieno a ſeditione in Henricum cienda, & fovenda animo fuiſſe Polum dici poteſt? Huc ſpectant quoque cum alia, tum ea præcipue, quæ Polus in Apologia ad Carolum V. Cæſ. p. 78. §. VIII. & p. 154. ſub finem §. XXXVI. ſcripſit. Hæc ſingula, niſi me fallunt omnia, aperte refragantur Poli aſſeverationi in Epiſtola ad Eduardum Regem, ad quam in literis meis apologeticis p. XXIII. provocavi, ubi ut Cæſar & Galliæ Rex odii & inimicitiarum armis uterentur, quibus Henricum opprimerent atque ſpoliarent, hoc ſe profecto nunquam voluiſſe aſſerit. Id vero etiam certum eſt, Carolum & Franciſcum, Pontificis & Poli excitationibus neglectis, fœdus ſocietatemque cum Henrico, licet Romanæ Sedi inſenſiſſimo, ac ab eccleſiæ Veſtræ communione ſe-

cluſo,

cluso, inire religioni sibi haud duxisse: cum si res ad Poli ruinas & præsagia fluxissent (vid. p. 118. sq. Amœn.) & Rex & subditi ejus imperio populi, mercaturis faciendis plurimum victitantes, omni reliquarum gentium commercio arcendi fuissent: at ab illo ævo ad nostra usque tempora non facile ullus Rex fœderibus cum aliis Principibus, Romano etiam Catholicis, initis Angliæ Rege est illustrior, nec ulla facile gens commerciis & opibus ejus populo florentior, etsi Britannia hodienum tam alieno a Sede Romana sit animo, quam tunc fuerat. Sed transeant hæc. Nunc ad alia &c.

ANIMADVERSIO.

Dum gestas a POLO Legationes mihi objicis, saxum aliud ex fabula Æolidæ superius indicata sursum agis, quod tuis e manibus quodammodo elapsum censebam, postquam scripsisses Operis tui pag. 172. quæ attuli p. LXVII. in Animadversionibus ad superiorem Epistolam tuam. Ut autem illud iterum ex iisdem excutiam, omnique ejus revolvendi labore, si fieri potest, inposterum Te liberem, primo loco adnotabo, quæcumque POLUS in iis Legationibus adversus Henricum molitus fuerit, pro injuncto sibi a Paulo Pontifice Legati munere, fideliter molitum fuisse, ac proinde ex ea causa non Vatiniani odii culpam, sed integræ & sacræ fidei laudem promeruisse. Non erat prorsus, cur odii illius invidia in eum caderet, qui in iis Legationibus non propriam, sed Principis sui personam repræsentabat. Deinde vero adnotabo, quamplurima esse, quæ aperte demonstrant, POLUM vel in ea persona gerenda nihil penitus remisisse ejus lenitatis, quam a natura singularem acceperat, nec ejus studii, quo amantissime

ſime ad procurandam Henrici incolumitatem ferebatur. Multa in hanc rem protuli tam in Diatriba, quam in Animadverſionibus; at quoniam ad plura adhuc proferenda provocari me video tua hac altera Epiſtola, nonnulla in eam ipſam rem hic exhibeo, eaque præſertim ex literis hoc ipſo Volumine comprehenſis. Hæ utpote ad eos conſcriptæ, quibuſcum amicitiæ neceſſitudines omnes Polo inerant, quique præterea Romanæ Aulæ negotia, ad id a Pontifice Maximo lecti, ſuſtinebant, omnino cenſeri debent intimos ejuſdem Poli ſenſus declarare, adeo ut ſi quam iſte diſſimulationis larvam ſibi, dum Henricum, & Eduardum Reges Angliæ, ſeu ejus Inſulæ Concilium, & reliquos Magiſtratus, ſeu ejuſdem aut Proceres, aut populum alloqueretur, accommodare neceſſe habuiſſet, ea foret prorſus abiicienda, & condita pectoris evolvenda, ſtatim ac pernecеſſarios illos, Sodaleſque ſuos, Pontificiæque Curiæ Adminiſtros per literas adibat, quo certiores eos redderet de Legationum ſuarum ſucceſſu, aut cum ipſis gerendarum rerum conſilia communicaret. Polo primam ex duabus iis Legationibus, quas Voluminis iſtius literæ exponunt, ad res ſcilicet ſacras in Anglia reſtituendas, ineunti, & per Gallias iter habenti, jamque Lugduno Lutetiam uſque prævecto, unde facilem ad Franciſcum Regem ſibi acceſſum futurum ſperaret, Henrici Regis artes obſtiterunt, ne acceſſus ille ipſi pateret, neve ei facultas foret in ejuſdem Franciſci ditionibus ſubſiſtendi;

di ; quare coactus fuit inde pedem e veſtigio movere, ac primo Cameracum, deinde Leodium divertere. De hoc infortunio amare conqueſtus eſt in Epiſtola ad Rodulphum Cardinalem Carpenſem, qui id temporis Sedis Apoſtolicæ negotia apud Franciſcum Regem moderabatur ; at vel in ea animi anxietate non alios Pontificio illi Adminiſtro ſenſus erga Henricum Regem explicavit, quam ex una erga Deum, erga Eccleſiam, erga Patriam charitate profluentes, quæ tamen ad honorem quoque Regis, non vero ad ejus perniciem ſpectaret. En verba quibus declarat, quid ſibi de rebus Anglicis a Pontifice mandatum fuiſſet: *Quid enim aliud* (inquit) *mihi mandatum eſt, niſi ut Inſulam fluctuantem in dogmatibus Fidei, & propterea tumultuantem, ac in omne genus ſeditionis erumpentem, cum ſummo Eccleſiæ damno, propter nobilitatem illius membri, quod cæteris exemplum veræ, & ſtabilis Religionis ſolebat eſſe, quantum in me eſſet, qui ex illis eſſem, omni ratione curarem, ut in antiquam ſtabilitatem reduceretur; unde Regno quies, & ſalus, & Regi ipſi bonor, & Eccleſiæ pax, ad Chriſti gloriam conſequi poſſet? Hic certe finis meæ Legationis in his, quæ ad res Anglicas pertinent, fuit*. Prodit deinde quamnam viam, ut ad hunc finem perveniret, ingreſſurus foret, niſi temporum iniquitas ſe a Chriſtianiſſimi Regis colloquio arcuiſſet: *Certe cum ad Regem Chriſtianiſſimum iter pararem, a cujus colloquio nunc excludor ejus opera, cujus ſalutem maxime expetebam; banc ſolum*

solam viam mihi proponebam, in qua, ut ad id quod volebam pervenirem, maximam opportunitatem habere videbatur amicitia duorum illorum Regum; amicitia praeterea Regis Christianissimi cum Summo Pontifice, & Christi nomine summa ejusdem obedientia, a qua quia alter Rex jampridem defecerat, omnia hinc mala in illa Insula erant orta. Ac maxime quidem idoneus videbatur ipse Rex Christianissimus, qui parem ordine Regem, eundemque amicitia sibi conjunctum, ad eandem, quam ipse sequebatur, obedientiam, ad eandem normam in omnibus iis, quae ad religionis dogmata pertinent, sequendam hortari, & pertrahere, omnibus modis conaretur. De Anglicis vero seditionibus ita subdit: *Quantam vero occasionem id ei persuadendi dabat motus ille populorum nuper in Anglia ob has causas excitatus? qui quamvis pro tempore sedaretur, tamen ille nunquam nisi constitutis rebus religionis securus futurus esset, ut hoc ei consilium vel salutis, & incolumitatis suae causa maxime sequendum videretur. Haec quidem summa erat omnium, quae mihi cum Rege Christianissimo, Angliae causa, agenda erant.* Tandem quantum opis in hoc negotio a Giberto, Episcopo Veronensi, Legationis suae socio, expectaret, in hunc modum ostendit: *Multa autem omitto de ratione, & via, quam excogitaveram, ut etiam cum summo Regis Angliae honore, & cum universae Ecclesiae gaudio haec fierent, quae si minus ille a me initio audire vellet propter alienatum a nostro Ordine ejus animum, adducebam mecum illum, cujus summa officia amoris, & pie-*

pietatis plena in ipſum Regem exſtiterant, dum rerum Romanarum ſub Pontifice Clemente gubernacula teneret, quem tota noſtra natio amiciſſimum ſemper, & officioſiſſimum in ſe eſt experta, cujus etiam officia ſibi gratiſsima Regem prædicantem ſæpe audiveram. Is eſt Veronenſis Epiſcopus, non minus etiam ob ſimilia officia erga ſe Regi Chriſtianiſsimo gratioſus, in primis autem Deo carus, cui ſic in munere Epiſcopali jam multos annos inſervit, ut omnes eum tamquam exemplar quoddam ſingulare juſti, & veri Epiſcopi ſuſpiciant, quale vix multis ſæculis Deus populis donare ſolet. Hiſce omnibus in medium allatis, Polus Cardinalem Rodulphum ea oratione compellat, qua & veteres ipſe adverſarios ſuos falſitatis redarguir, & æque ego premi poſſe cenſeo quotquot hiſce temporibus geſtas a Polo Legationes criminantur: *Habes nunc, qualis ſim Regis Angliæ in his proditor. Et quoniam præclari illi ejus Conſiliarii hoc ipſi perſuaſerunt, ut litteris ad Regem Chriſtianiſſimum ſcriptis, me proditorem appellaret, & reum læſæ majeſtatis diceret; ego ſane Regem Chriſtianiſſimum judicem non recuſo, immo expoſco. Nec vero deerit, ut ſpero, occaſio, qua non ſolum apud Regem Chriſtianiſſimum, ſed apud omnes Reges Chriſtianos, denique in conſpectu univerſæ Eccleſiæ, qualis ſim proditor, declarare poſſim. Illi vero, qui, hoc Regi ut ſcriberet, perſuaſerunt, ſi non ſatis ſe proditores ejus Majeſtatis oſtenderunt, cum ipſum, natura in religionem propenſiſſimum, inſtitutorumque majorum ſuorum maxime obſervantem, mo-*

modestum, benignum, sua sponte liberalem, & clementem, ita prorsus depravarunt, ut, qui nulli unquam Regum in mentem venissent, honores concupisceret, Ecclesiæ dogmata mutaret, Ecclesias spoliaret, Monasteria everteret, Ministros Ecclesiæ vexaret, eos denique crudelissime interficeret, quibus nunquam illa Insula meliores tulit, doctrina, omnique virtute præstantiores, qui iidem summa etiam in ipsum Regem fide erant. Multum absum, Schelhorni, ut Te nequissimis hujuscemodi Consiliariis accenseam; at illud pro amore, quo Te complector, me summopere excruciat, æque pariter Te abesse a POLI consiliis probandis. Remota etiam Legati persona, quæ in eadem Epistola de se prædicat POLUS, innocuum ejus animum abunde demonstrant: *Si hoc tantum* (ait ipse) *spectetur quam personam a puero semper gesserim, si, qui amor erga Regis salutem meus fuerit ex totius vitæ meæ cursu, ex actionibus omnibus, atque studiis, & moribus consideretur, si, quam multa hoc tempore concurrerint, ut illi, & domi, & foris usui esse possem, si, quanta animi contentione egerim, ut Regi ad illius incolumitatem, honorem, & ad Regni quietem inservirem, cogitetur, quod maxime ex hac Legatione suscepta omnibus perspicuum esse potest.* Hæc omnia si falsa esse, Schelhorni, contendas, vereor, ne hac persuasione tua vetus illud dictum comprobes, *Nimium altercando veritas amittitur.*

Testimoniis singularis erga Henricum pietatis scatent complures insuper POLI Epistolæ, quæ ad pri-

mam illam Legationem referuntur. Quoniam vero ipsi nullus carior, nullus amicior Contareno, ac proinde nullus extitit, cui apertius, & nitidius cogitata sua patefaceret, horum testem hunc igitur si afferam, nihil amplius desiderare posse videris, Schelhorni, ut sine fuco nuda simplexque veritas Tibi conspiciendam se præbeat. Contarenum autem loquentem audire, non POLI tantum pietati illi fidem adstruet, sed certo demonstrabit, eos ipsos sensus Contareno etiam communes fuisse, ac præterea erga Regem Henricum optime animatum quoque fuisse Paulum Pontificem, quem compertum est in gravibus quibusque Ecclesiæ negotiis Contareni sententiam plurimi fecisse. POLO igitur in hunc modum scribit Contarenus: *Summopere cupio certior fieri, quo loco constituta sit res Anglicana, quæ sit spes sanitatis. Scis quantopere doleam ratione communis, & publicæ utilitatis Ecclesiæ, nunc cum inspiciam, præter Lutheranorum Schisma, Regnum illud Angliæ, membrum præcipuum hujus corporis, divulsum esse, ingemisco, & doleo quantum scis, immo fortasse quantum nescis; doleo insuper, quantum Tibi non persuaseris, Regis illius, qui oriebatur, ut lucifer, vicem, & casum. Qui fieri potest, per Deum immortalem! ut animus ille tam mitis, tam mansuetus, ut ad benemerendum de hominum genere a natura factus esse videretur, sit adeo immutatus? Deum Optimum quotidie fere rogo, ut ex ejus animo aboleat omne illud, quod ipse non suasit, sed inimicus ejus acerrimus inussit, tibique, qui*

qui Regem semper, plusquam vitam tuam, amasti, & coluisti, adsit in hoc negotio, ut per te universa Ecclesia Christi, Rex tuus, ac universa Anglia patria tua, Deo gratias agat, Dei laudes decantet, cum videbimus inventam esse Margaritam, quam amiseramus, & reductam ad ovile ovem pulcherrimam, quæ deerraverat. Contarenus, ut omnes norunt, homo ea ætate, si quis alius, ingenio suo mitissimus, an non meretur, ut ipsi de Poli animo ita sentienti animi quoque nostri sententia suffragetur, ac proinde ad ejusdem Scripta, & Gesta interpretanda eam Tu lenitatem adhibeas, Schelhorni, cujus ille mirum exemplum præmonstravit; eam etiam ipsam, quam & a me in causa religionis pertractanda adhibitam fuisse confiteris, quamque, quod minime pariter abfuerit ab Epistola illa tua, qua Diatribam meam expendisti, magnam confiteor ego eidem gratiam non apud me tantum, sed etiam apud Aulæ Romanæ Proceres, quotquot eandem legerunt, conciliasse?

Ad alteram Legationem venio, quam biennio post, anno scilicet MDXXXIX. Polus obivit, ut eam quoque ab ea invidia eximam, qua ipsam onerare Tibi posse visus es, Sleidani, Beccatelli, & Raynaldi locis in medium adductis. Nihili igitur facis quæ de scopo eidem proposito enarrat ipse Polus in Epist. Apolog. ad Eduard. his verbis: *Cum utroque autem Principe* (Cæsare Carolo, & Rege Francisco) *sic egi, ad id utrumque semper hortatus sum, ut amoris & amicitiæ rationem potius adhiberent, qua ami-*

amicum & fratrem graviter lapsum erigerent, erectumque in regio statu confirmarent, quam, ut odii, & inimicitiarum armis uterentur, quibus eum opprimerent, atque spoliarent. Hoc ego nunquam profecto volui, neque cum illis egi: sed intelligens, quantum eorum vel auctoritas in tam honesta piaque causa valere posset, ab utroque id contendi, ut omni auctoritate & gratia apud illum niterentur, ne diutius in sua a communi omnium matre Ecclesia defectione perseveraret, neque a reliquis Christianis Principibus hac in re sejunctus esse vellet. Quod si, tentatis omnibus amoris, & benevolentiæ officiis, nihil se proficere viderent, tum quidem non negabo, suasisse me, ut minas etiam adderent, & ab omni cum eo usus & commercii genere prorsus abstinerent. Huic tamen POLI narrationi summam inesse fidem, manifeste probant binæ aliæ literæ, unæ nimirum POLI ad Contarenum, alteræ Cardinalis Farnesii ad Paulum III. suo loco laudandæ. Ille studia sua eo ferri testatur, ut Caroli, & Francisci nomine mittantur, qui Anglo protestentur (id ipsum scilicet, de quo perhibet testimonium Epistola ad Eduardum) Anglo vero non obediente, eæ minæ adjiciantur, de quibus ipse ad Eduardum. Quæ autem scribit Paulo III. Cardinalis Farnesius adeo evincunt, ejus Legationis scopum ab omni sævitia, & asperitate abfuisse, ut potius institutam doceant, ne duris remediis adhibendis, cujuscemodi Apostolicæ Pauli III. literæ jam paraverant, locus daretur. Quicunque extra partes positus trium harum Epistolarum

rum expenderit verba, certo intelliget, nihil ſævi, nihil aſperi eam Legationem prætuliſſe; præterquam quod ſi in ſcopum illum criminatio aliqua juſte cadere poſſet, inſons adhuc POLUS habendus foret, ut jam dixi, quippe qui non propria ſponte, ſed ex injuncto ſibi a Pontifice munere negotio illi ſe immiſcuerat. Exhibitam a POLO in ea Legatione fidem ii tantum carpent, ii tantum damnabunt, qui ſibi perſuaſerint, Principum Adminiſtros, ſuæ potius, quam dominorum voluntati in publicæ rei procuratione obſequendo, officio ſuo recte defungi.

Muneri meo, quod in hiſce Animadverſionibus ſuſcepi, jam ſatis defunctus mihi videor, Schelhorni, iis allatis, quæ adverſus alteram Epiſtolam tuam opponenda judicavi. Has ergo Animadverſiones claudo; at una ſimul Te moneo, conſilium a me captum fuiſſe, quod cum jactis in calce Animadverſionum ad primam illam Epiſtolam tuam ſeminibus apte conſentire nemo, ut ſpero, negaverit. Quum enim ob oculos ibidem Tibi poſuerim Romanæ Eccleſiæ Conſpectum, ut comprobarem, Majoribus veſtris fas minime fuiſſe ab eadem deſciſcere, & novam Eccleſiam fabricari, eundem nova huic Volumini præpoſita Diatriba apertius adhuc, & fuſius exponere conſtitui, unde clarius quam antea innoteſcat, eoſdem graviſſimam veteri Eccleſiæ injuriam feciſſe ſeceſſione illa; cujus luctuoſiſſima damna inſatiabiliter, æternunque a bonis omnibus deflenda; namque *Nulla dies nobis mærorem e pectore demet*. Defleverunt

ipſam

ipſam amariſſime Polus, Contarenus, Sadoletus (ut hos tantum nominem, quorum excellentem pietatem cum eximia doctrina, & Christiana prudentia conjunctam, Sectarii omnes ea ætate ſuſpicere non recuſarunt), at illorum conſtantia in avita religione retinenda, Majoribus illis veſtris documento eſſe poterat, Chriſtiani quidem hominis partes ea ætate fuiſſe, pro eluendis corporis maculis ſancte, & ſapienter laborare, non vero membra a ſe invicem diſſidentia effingere, & corporis naturam perdere. Quod enim unum objicitis Polo, Contareno, Sadoleto, horumque Sodalibus, quorum virtus ſolidum decus exhibebat, eos infirmitate humana implicatos fuiſſe, *quominus* (verba ſunt Seckendorfii in Præloquio ad primum libr. Hiſtor. Luther. prior. Edition.) *ſterilem & periculoſam veritatis profeſſionem dignitatibus, commodiſque ſuis præferrent*; id nonniſi pro vitreo & ficulneo effugio habendum eſſe, ſuſcepta a me nunc Poli Epiſtolarum Editio ſingulis fere paginis certiſſime demonſtrat. Continent enim indubia documenta, eorundem animos ſumma moderatione præditos, ab iis dignitatibus, commodiſque expetendis longiſſimo intervallo abfuiſſe. Quod Bembus in Epiſt. ad Sadoletum Famil. lib. III. ſcribit, culpæ obnoxium ſe putare, quod in Cardinalium Ordinem cooptari ſe permiſiſſet, qui jucundiſſimis prioris vitæ ſuæ ſtudiis impedimento, potius quam ulli uſui, eſſet futurus, eorum omnium ſenſum fuiſſe, certo novimus. Hæc habui quæ Tibi, bone Schelhorni, reponerem. Vale.

DIA-

DIATRIBA

QUA

EPISTOLÆ HUJUS VOLUMINIS

RECENSENTUR

Locaque illa præsertim proferuntur

EX QUIBUS ENITESCAT

ROMANÆ ECCLESIÆ EA ÆTATE CONSPECTUS

Indeque constet

Injuste ab eadem Sectarios defecisse.

AD EPISTOLAS HUJUS VOLUMINIS DIATRIBA.

§. I.

Ad Epistolas

I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. *XII.



EGINALDI POLI in S. R. E. Cardinalium Collegium cooptatio Diatribæ nostræ primo hujus Collectionis Volumini appositæ finem imposuit. Alteram hanc exordiuntur gratulatoriæ ad eundem de ea dignitate literæ, quarum plures adhuc extant. Quemadmodum vero in superiore illa ex ea cooptatione ansam suspsimus, eximiam Pauli III. Pont. Max. sapientiam in adscribendis Apostolico Senatui Viris pietate, doctrina, & Christiana prudentia præstantissimis, quos e speculæ suæ fastigio oculos quaquaversum circumferens, undique conquisivit, Romamque evocavit, debito elogio exornandi; ita ad eandem sapientiam hoc quoque loco prædicandam literæ illæ nos valde invitant, quippe quæ ad scopum Diatribæ isti propositum maximopere collimant. Quid enim ad commendandam eam faciem, quam Ecclesia Romana illa ætate præseferebat, magis conferre potest,

 quam

quam Supremum ejusdem moderatorem sollertissima cura incubuisse, ut optimos Senatores, quibuscum regiminis sollicitudinem partiretur, sibi adsciseeret? Hanç profecto laudem Paulum III. mirum in modum promeritum fuisse, docent nos innumera eorum temporum testimonia. At quoniam horum insignis copia obviam cuivis se facit, præsertim in Alphonsi Ciaconii Opere, unum tantum ex iis recitare contentus ero, quod nimirum neque a Ciaconio, neque ab aliis memoratum comperi; authorem autem habet Ludovicum Sensum. Hujus quinque Conciones ad Cives Perusinos ex demandata ipsi ab Ascanio Parisiano, Cardinale Legato, provincia publice habitæ, typisque excusæ, lectæ a me sunt; eæque omnes in Pauli III. laudibus potissimum versantur, quinta vero easdem a capite ad calcem persequitur. In hac igitur de Cardinalibus a Paulo delectis ita habetur: *Verum enimvero, magis quam hoc, aut illo nomine, debere dixerim, quod Augustum, & sacrosanctum Patrum Collegium multis ob summam omnium rerum scientiam, summam sapientiam, vitæ spectatissimam sanctimoniam, & innumerabiles alias virtutes, insignibus, ac divinis pene Viris suppleverit. In quorum delectu eam liquet esse habitam rationem, ut quicquid ubivis gentium perfectum, aut natura ipsa tulisset, aut ars, & industria consumasset, id ex omnibus terris, in amplissimum eum Ordinem cogeretur. Quo factum est, ut sacrosanctus ille Senatus non tam ex hominibus, quam ex purioribus illis mentibus, quas Græci Philosophi* τοὺς

ap-

appellarunt, & cœlestibus Spiritibus constare videri possit. O divinam, & immortalem Divi Pauli III. laudem! Non modo optimum, ac sapientissimum Principem ipsum fuisse, sed etiam, ut post eum futuri sint optimi, & sapientissimi Principes effecisse! Quem igitur prosperum rerum statum, terrarum orbis omnium summorum Pontificum bonitate in posterum obtinebit, huic uni, quasi suæ sementis fructum, acceptum referet. Atque hoc nomine non una, aut altera tantum, sed omnibus futuris ætatibus ei debebit. Namque ut Paulus, non ipse tantummodo fuit nobis bonus, & sapiens, sed ex sapientia, & bonitate sua, elegit optimos, & sapientissimos Cardinales, eadem ratione, qui eorum ad supremum illum honorem Pontificatus, aliquando evecti fuerint, non solum in administranda Republica, sed etiam in optimis, ac sapientissimis successoribus eligendis, sapientia, ac bonitate sua utentur. Atque ita res Christiana unius Divi Pauli III. opera, ac virtute, illam beatitudinem consequetur, quam nequicquam temporibus suis desiderans, deque his nostris forte vaticinatus, habituras Respublicas Plato dicebat: Cum aut sapientes regnassent, aut Reges sapientiæ studiis se dedidissent &c.
Hæc ferme ipsa de Pauli III. in Cardinalium delectu sapientia Jo. Casam prædicasse, ex superioris Diatribæ calce, ubi ejus verba recitavi, innotescit. Testimonium vero de eadem re, quod ex Lazaro Bonamico protuli, inter cætera, in Epistola quinta tertiæ meæ Epistolar. Decadis, locum hic quoque nancisci meretur, namque eo verius, quo pressius, & elegantius:

In

In ampliſſimum (ait iſte ad Sadoletum ſcribens) *Ordinem aſciti ſunt ſapientiſſimi, innocentiſſimi, clariſſimi, & ſumma auctoritate præditi Viri, evocati, rogati, facti ſunt Cardinales. O præclara Comitia! O bis difficillimis temporibus neceſſaria! O Pauli III. ſapientiam, & bonitatem ſingularem!* Vel hoc Recenſionis noſtræ exordium ex ſe ſolo indubium documentum præbet, graviſſimam Romanæ Eccleſiæ injuriam feciſſe quotquot ea tempeſtate ſibi fas eſſe putarunt ab ejuſdem communione deſciſcere, ac proinde a Virorum illorum conſortio ſeſe longius ſejungere, idque ut Luthero, Oecolampadio, & Melanchtoni ſocientur, aliiſque hujuſmodi, quos omnes a divinis eorundem virtutibus æmulandis procul abfuiſſe (ipſorum hujuſce temporis Heterodoxorum bonam fidem appello) compertum eſt.

Venio nunc ad recenſendas Epiſtolas hoc §. indicatas. Principem inter eas obtinet locum, qui Venetæ Reip. Principatum obtinebat, Andreas Grittus, iſque, qualis & quanta foret apud Venetos ſuos Poli exiſtimatio, his verbis declarat: *Cum proximis biſce diebus jucundiſſimum nuncium acceperimus, te, quem plurimi ſemper fecimus, charumque in primis babuimus, a Pontifice Maximo in Collegium Reverendiſſimorum Cardinalium cooptatum fuiſſe, non potuimus non plurimum eam ob cauſam gaudere, & Summi Pontificis conſilium ſapientiæ, bonitatiſque plenum magnopere admirari. Qui ſi nullum aliud in Republica Chriſtiana beneficium poſuiſſet (poſuit autem nullo ejus vitæ*

tem-

tempore non & plurima & maxima) optime tamen de ea hoc uno nomine meritus esset, quod tales viros, qualis ipse es, vel doctrina, vel morum sanctitate excellentes, & præmiis affecerit, & in excelso isto dignitatis gradu collocarit. Quo facto non solum quid de te judicaret, sed etiam quid aliis præscriberet, ostendit. Quibus autem animi sensibus eam Venetæ Reip. gratulationem POLUS exceperit, declarant ipsius literæ ad eundem Grittum, secundo loco positæ; nam in iis profitetur, Patriæ suæ vocem, quam unam delato sibi ex benignitate Pauli Pont. Max. honori deesse valde contristabatur, in officio illo a se exauditam fuisse, propterea quod majorem prope, ac meliorem ætatis suæ partem apud Venetos consumpserit, eorumque fuerint in se merita, ut, si cum iis, quæ a Patria sua acceperat, conferrentur, majora existimari possent. Quoniam vero Venetus Princeps suis in literis vehementer a Deo petebat, ut Cardinalatus in POLUM collatus non ei tantum, sed Christianæ Reip. salutariter eveniret, iste ita huic voto reponit: *Quæ omnia cum vestram in Deum pietatem, & in ejus Ecclesiam, maxime declarant, tum vero, quantum nunc humeris meis onus sit impositum, facile admonent. Ad multa enim magna, & gravia, quæ me ex Pontificis judicio, atque Ordine ipso, in quem sum cooptatus, valde premebant, hoc vestrum gravissimum judicium adjunctum habeo, cui ut aliqua ex parte satisfaciam, video quam sit mihi laborandum; nec tamen quicquam aliud a Deo petendum censeo, quo vestræ*

stræ expectationi satisfaciam, præter occasionem & vires. Si enim voluntati, quam abunde mihi datam esse sentio, reliqua adjunxerit qui solus potens est, spero futurum, ut vestræ humanitatis, & benigni, atque gravis de me judicii vos numquam pœniteat. Andreæ Gritti, Venetorum Ducis, & Laurentii Bragadeni, Veneti apud Pontificem Oratoris, qui Serenitatis Suæ officia Polo detulit, illustria admodum in Patriæ Annalibus nomina conjungunt pariter Lazari Bonamici literæ, quæ inter Select. Claror. Viror. inscriptæ visuntur Instauratoribus Gymnasii Patavini. De laudibus Gritti Orationem conscripsit Jovita Rapicius, in libro de Brixian. Literat. a me laudatam. De Bragadeno autem id memorabo, ipsum eo munere Romæ fungentem, Romanis Antiquitatibus perscrutandis maxime studuisse, ut docet Epistola Hieronymi Nigri Romæ data ad M. Anton. Michaelem Vol. I. literar. Italicar. ad Princip.

Tertio, & quarto loco succedunt mutuæ Guidonis Ascanii Cardinalis Sfortiæ, Bononiensis Legati, & Poli literæ. Sfortia in suis humaniter affirmat, se optasse iis Comitiis interesse, quibus Polo Purpura delata fuerat, nec quidquam sibi eo nuncio jucundius accidere potuisse. Quibus humanissime, ut decebat, Polus respondens, inter cætera scribit, Sfortia a Comitiis absente, talem tamen, tantamque benignæ voluntatis propensionem ejus Consobrinum, Alexandrum nempe Cardinalem Farnesium, sibi exhibuisse, ut nemini sibi magis gratificandi locum

locum relinquere voluisse videatur. Addit de insigni liberalitate, & benignitate, qua se Pontifex ipse complexus fuerat. In observantiæ autem suæ, & amoris erga Sfortiam argumentum, eum sanctis hisce verbis affatur: *Quoniam tua nunc fidei gubernatio tam ampla populi Dei, propter Legationem tibi a Sanctissimo Domino Nostro datam, sit commissa, ut ad id præcipue te horter*: Tu regere (*amore*) populos, Legate, (*Christi*) memento; Hæ tibi erunt artes, *iis tu toto pectore incumbas, ut discas penitus, has, postquam didiceris, perpetuo exerceas; hæ enim, vel hæc potius ars (unica enim est) hæc sola est, quæ apud Deum, & homines immortalem laudem conjunctam immortali præmio tibi acquiret. Quæ cum tam eximiæ dignitatis sit, ut ad eam perfecte docendam, nullum humanum ingenium aspirare queat, nullum magistrum nisi Dei Filium agnoscat, is vero maxime precibus, & oratione ad docendum conducatur; ut te primum in discipulum suum asciscat, deinde ascitum in omnibus erudiat, & perpetuo in sua disciplina retineat, hoc mihi onus, tua causa, sumam, ut apud eum perpetuo sim supplex. De quo tamen si certi esse volumus nos impetraturos, quod petimus, commune utrique hoc onus facias, & tuas preces meis adjungas, ac pro utroque roges oportet*. Bononiensem Sfortiæ Legationem illam Sensus in Concione superius laudata ita commendat: *Sfortia Bononiensem provinciam prima adolescentia ita Legatus gessit, ut nihil verendum sit, nequis audeat dicere, ullius Bononiæ Magistratum aut gratiorem, aut clario-*

riorem unquam fuisse. Et paulo ante de binis Pauli Pontificis nepotibus, hæc dixerat: *Nunc contra Alexandri Farnesii, & Guidonis Ascanii Sfortiæ Cardinalium Maximorum prudentiam & modestiam quæso respicite; quibus, etsi ob summam Avi in se charitatem licere omnia videantur, & ea ætate sint, cui condonari etiam tacitis hominum judiciis multa facile possent, nihil tamen eorum sibi permittunt, neque se vanis ullis, neque adeo juvenilibus studiis admodum occupant; at moderandis rebus mortalium, & regendo imperiis terrarum orbi, junctis cum magno Avo consiliis, una intendunt. Atque ita ineunte adolescentia, cælestium clavium oneri assuescentes, sustinere discunt sub monitoris multo sapientissimi, & amantissimi disciplina Pontificatum*. Hæc placuit recitare, quod probent, Pontificios hujuscemodi nepotes decus Romanæ Ecclesiæ non fœdasse, ut contendunt Heterodoxi, aliique e Nostris non pauci, sed, virtutibus suis vel in ipsa adolescentia admodum commendatos, auxisse. Id ipsum plura suis locis tradenda demonstrabunt. At unum ex Sadoleti literis locum hic præstat adjicere. Eæ datæ sunt ad Cardinalem Farnesium, cui Cardinalatum gratulatus, causamque reddens, cur valde sero id præstiterit, ita loquitur: *Postquam vero plurimorum literis ac nuntiis, unaque & constanti voce omnium, de tuo ingenio, tuaque modestia, deque optimis & liberalissimis moribus, illaque in primis admirabili comitate, veræ nobilitatis socia, qua tu probos & doctos præcipue complecteris, fama ingens increbuit, egoque Avenione tuas quasdam le-*

gi

gi literas diligenter ſcriptas, quibus cura & ſollicitudo animi tui indicabatur, ut in Eccleſia, quæ ad Deum, & ad cultum religionis pertinent, rite atque integre adminiſtrarentur omnia (quam ego virtutem omnium maximam eſſe judico) tunc demum exiſtimavi maturum eſſe ſcribere aliquid ad te, & tibi de tuis ampliſſimis ornamentis gratulari: cum jam non ad incertam amplius ſpem, ſed ad firmam & fundatam de te opinionem, mea & lætitia & gratulatio dirigeretur.

Duplex jam allatum mutuarum literarum par excipiunt breves Bembi literæ, ad quas quodnam fuerit Poli reſponſum, ignoramus. Id tamen novimus, ſumptam a Bembo in iiſdem monitoris perſonam, dum ad ipſarum calcem hæc habet, *Tu vero longe ornatior, atque illuſtrior factus, non Italiam modo, ſed Britanniam etiam tuam, atque ipſum cœli verticem tuarum laudum ſplendore fac impleas*; novimus, inquam, eam perſonam minime effeciſſe, ut Polus etiam parem indueret in iis literis, quibus Bembo poſt biennium delatum Cardinalatus honorem gratulatus eſt; imo vero obſtare ſibi ætatis diſcrimen affirmavit, ne ad ea, ad quæ ſe juvenem Bembus ſenex hortatus fuerat, ipſe juvenis Bembum ſenem hortaretur. Verba hæc auſterius, quam opus foret, Bembus accepit; quare Polo reſcribens, teſtatus eſt, ſe eadem legentem concidiſſe animo, quod nihil ineptius, atque impudentius a ſe fieri poſſe cenſuiſſet, quam monendo Virum maximum, atque ampliſſimum, omnibus bonis artibus excultum, omnibus virtutibus perorna-

tum, magna prudentia, magna rerum experientia prǽditum. Ita Bembus in literis hujusce Collectionis; additque, verba illa a se adhibita non tam hortandi, aut monendi, quam laudandi, orationis quendam colorem esse, lusumque magna, atque præclara de eo, ad quem scribitur, sperantis, atque pollicentis. Cæterum Bembo vere perjucundam accidisse collatam in POLUM dignitatem, certo traditur in ejus Epistola Italicar. Vol. III. libr. III. qua Francisco Molsæ scribens, de POLO hæc habet: *Medesimamente mi è dolce e cara stata la creazion di Monsignor* POLO, *a cui e per la sua eccellente dottrina, e per l'infinita bontà non si conveniva men chiaro grado; e spero ch' egli sia spirito molto utile alla Romana Rep. che grandemente ha di tali Uomini uopo a questo tempo*. Nihil autem ex illo Bembi lusu imminutum fuisse ejus cum POLO necessitudinis, discimus ex illius Epistola ad Cardinalem Sadoletum Familiar. lib. III. sex tantum mensibus post apologeticam illam ad POLUM, exarata.

Gratulatoriam Bembi Epistolam, POLI responso, ut diximus, destitutam, subsequitur POLI responsum ad Cosmi Gherii, Fanensis Episcopi, gratulatoriam, quæ desideratur. Quanti faceret POLUS Christianas Gherii virtutes cum præclaris aliis ingenii, animique dotibus conjunctas, jam prodidi superioris Diatribæ Cap. V. quod ipsum ex eo illo responso innotescit; namque ibi inter cætera POLUS eas Gherii literas sibi placuisse scribit ob singularem ipsarum elegantiam,

tiam, summamque erga se humanitatem, *tum vero maxime propter pietatem, quam in Christum, & Ecclesiam eximiam præseferebant*; idemque de illis judicium fecisse Viros judicio, doctrina, & pietate multum præstantes, quibuscum easdem communicaverat. Christianis autem sensibus, & sacro Antistite dignissimis officium gratulationis POLO Gherium exsolvisse, satis nos docent sensus illi, quos idem eo ipso tempore, eademque de causa, ob evectos scilicet ad Cardinalatum POLUM, Sadoletum, Caraffam, explicavit Contareno in literis, quæ leguntur inter Epistol. Claror. Viror. Huic enim gratulatur, *quod ex Cardinalatus tui* (inquit) *quasi semente, eam Cardinalium tui similium frugem Deus colligere velle videatur, quæ sit in veterem suam dignitatem Christianam Remp. tristissimis temporibus vindicatura*. Plura de Fanensis hujus Episcopi sanctimonia in ea Epistola attuli, quæ tertiæ Decadi nostræ typis excusæ finem imponit; hic vero addendum occurrit, Florentiæ inter rariores Magliabechianæ Bibliothecæ Codices unum extare, cui titulus, *Vita e Costumi del Reverendo Monsignor Vescovo di Fano*, eumque conscriptum (Author non indicatur) Aloysio Priolo petente; atque ibi quoque referri somnium in Epistola illa nostra ex Italica Bembi Vita memoratum, quod scilicet Fanensi Episcopo POLUM, Sadoletum, Contarenum una secum in Paradiso degentes repræsentavit. In ea autem Magliabechianæ Bibliothecæ lucubratione, æque ac in Epistolis nostræ hujus Collectionis, nec vola, nec sti-

ſtigium comparet infandi illius facinoris, quod in Gherium a Petro Aloyſio Farneſio admiſſum fuiſſe, ex Varchii, & Segnii Hiſtoriis ſeu editis, ſeu manuſcriptis pro certo a quibuſdam habetur. At perperam; nam ejuſdem facinoris infamiam præterea aperte refellit febris quinquaginta ſeptem dierum circuitus, qui ex Magliabechiano Anonymo Gherium confecit; dum ex earum Hiſtoriarum fide proditur, intra pauculos omnino dies (quatuor tantum Varchius numerat) poſt vim exſecrandam ſibi illatam Gherium ſummo oppreſſum mœrore e vita migraſſe. Conſonant Magliabechiani Codicis, & Collectionis noſtræ Epiſtolarum ſilentio Benedicti Rhamberti literæ Philippo Gherio, fratribuſque datæ Non. Octobr. 1537. inter Select. Claror. Viror. quæ nimirum id unum præpoſtere in Gherii morte contigiſſe affirmant, quod divinus ille juvenis, optimus, atque ſanctiſſimus in ætatis flore deceſſerit. Gherii præclara animi, & ingenii ornamenta commendant etiam Bembi literæ in Diatriba laudatæ.

In ea pariter Cap. V. laudavimus inter cariores Poli neceſſarios Georgium Selvam, Vaurenſem Epiſcopum, cum quo, dum Venetiis Regis Galliarum Legatum ageret, arcto ipſum amicitiæ vinculo copulatum fuiſſe, ex Perri Bunelli literis conſtare diximus. Ex iiſdem pariter conſtat, in eo Antiſtite veterum Patrum ſanctitatem minime fucatam emicuiſſe, ac proinde, *quam multos, ſi diutius in vita ille manſiſſet, exemplo ſuo ad religionis Chriſtianæ laben-*

bentis, & inclinatæ ruinas fulciendas allicere potuisse; hæc Bunellus in Epiſtola ad Petrum Daneſium. Ex ea itaque inter ipſos familiaritate, & ex eo pretio, in quo Selvæ virtutes Polus habebat, is, ſtatim ac Cardinalis renunciatus fuit, ultro ad illum literas dedit, quæ tamen deſiderantur. At earum argumentum nobis aperit ipſius Selvæ Epiſtola in hac Collectione num. ſeptimo conſignata, qua affirmat, quo ipſo tempore Poli illam accepit, jam ſe in eam perſuaſionem veniſſe, ipſum non ſuo conſilio, ſed Dei voluntate ad genus vitæ multo moleſtius eſſe traductum; quod ipſum clarius adhuc cognoverat ex ea, quam idem ſcripſerat Marchioniſſæ Piſcariæ, & cujus exemplum ſibi tranſmiſerat. Porro de Cardinalatu a Polo non quidem affectato, ſed contra pro viribus ſummoto, conſulenda in ſuperiore Volumine præter ejus Vitam loca plura Diatribæ. Egregia autem Victoriæ Columnæ, Ferdinandi Franciſci d'Avalos, Marchionis Piſcariæ, Conjugis, decora, ſcilicet non poetica tantum in arte excellentiam, ſed pietatem, omnigenamque, ſacram præſertim doctrinam, quamplures ejus ætatis Scriptores mirifice collaudant. Ea paucis complectitur Adamus Fumanus in Epiſtola, qua ipſi nuncupat, a ſe in Latinum converſa, Moralia, & Aſcetica D. Baſilii Scripta, affirmans, Giberto Veronenſi Epiſcopo teſte, ipſam ita vita, ac moribus præſtare, ut cæteris non fœminis modo, ſed Viris etiam, & quidem graviſſimis, clariſſimum velut e ſuperiore loco ad ſalutarem vitæ portum petendum lumen

lumen prætulisse videatur. Inter eas fœminas, ut in eadem Epistola prodit Fumanus, Victoria jam versabatur assidue, quæ spretis vitæ hujus voluptatum illecebris, Deo totas se penitus consecrarunt. Præstantissimum hoc muliebris sexus, Italicæque nobilitatis ornamentum alibi celebrandi redibit occasio. Alibi etiam Georgii Selvæ recurret mentio, Præsulis magna laude dignissimi, qui Veneta Legatione fungens, etsi foret plurimarum rerum, earumque minime levium, tractatione districtus, numquam tamen optimarum artium studia intermittebat, in quibus præterea eos progressus fecerat, ut ad extremam etiam senectutem provectos superaret. Hæc, & alia plura de laudibus Georgii Selvæ Paulus Manutius in literis, quibus ipsi inscribit Commentarios Græcos in libros Aristotelis de Moribus.

Patavinum, & Venetum domicilium, quemadmodum Bembi, Gherii, & Selvæ, ita & Lazari Bonamici familiaritatem Polo conciliasse, plura Diatribæ superioris loca demonstrarunt. Gratulatorias igitur & ipse Polo literas dedit, quæ modo recensitas trium eorum Præsulum illico subsequuntur. In iis autem ita Poli laudes extollit, ut una simul Pauli III. sapientiam in renunciandis Cardinalibus concelebret, quod paulo ante vidimus ab eodem præstitum fuisse in literis ad Sadoletum. Pontifici itaque gratulatur, qui excelsi animi sui propositum in evehendo ad Cardinalatus dignitatem Contareno declaratum, constanter a se retineri, eadem in Polum col-

collata ostendisset, unde cuivis apertum fieret, omnia ab illo ad rem Christianam constituendam referri, ac proinde justa spes oriretur, dignitatem illam, multo quam antea, apud omnes augustiorem, & venerabiliorem fore. Egregia hæc Patavini Professoris in Deum, & Ecclesiam ejus pietas ita Poli animum commovit, ut eidem rescribens professus sit, se ejusdem literas maxime exosculatum fuisse, acresque sibi stimulos addi sensisse, ut assiduis precibus Dei opem ad præstandum debitum illud, quo ex nova dignitate, ut monuerat Bonamicus, onerabatur, imploraret, qua in re a Bonamico quoque in suæ egestatis subsidium petit, ut Deum exorare dignetur.

Novum ex Poli inter Venetos commoratione ejus necessarium prodit Epistola decima, scilicet Benedictum Lampridium, ea ætate adeo celebrem humaniorum literarum præceptorem, ut fateri Bembus non dubitaverit in Epistola ad Torquatum filium suum, non alium in docendi arte peritiorem tota Europa, vel ipsis magnorum Principum filiis instituendis, parari unquam potuisse. Eam Epistolam, aliasque ejusdem Bembi, Lampridii doctrinam prædicantes, in Diatr. Cap. IV. laudavi. Paucis iste verbis gratulationis munus implevit, at multa complectitur, dum Epistolam ita concludit: *Paulo primum gratulor, quod Te suo maximo beneficio dignum propter singularem virtutem tuam esse statuerit; deinde Tibi, quod a Paulo acceperis, hoc est a Pontifice non falso Maximo, ac Sanctissimo.*

Benedicto Lampridio alium Benedictum, Monachum, subjungit Collectio nostra, non quidem Polo datam ab ipso Epistolam afferens, sed Poli dumtaxat responsum. In hoc nihil iste dissimulare apud eum, qui sibi in Christo conjunctissimus erat, sed omnem animi sensum, quem habuit, dum Cardinalatus munus accepit, aperire cupiens, ingenue testatur, etsi eo tempore hortator sibi adesset Cardinalis Contarenus, adeo se abfuisse ab alacritate, & gaudio, ut multo promptius responsurus fuerit, si animo suo satisfacere licuisset, quæ Tobias juvenis Azariæ Angelo hortanti, ut uxorem illam acciperet, cujus plures viri interierant, respondit. Subdit tamen, se Contareno, ut Tobias Azariæ, tandem acquievisse. Benedictus ille Monachus, quod in Poli literis Ferrariensis indigitetur, diligenter curavimus, ut, quoniam ejus nomen in Biblioth. Benedict. Casin. desideratur, seu ex Cœnobii Benedictinorum Ferrariæ, seu ex Urbis illius vetustis tabulis, quisnam foret, compertum nobis evaderet. At frustra; nihil enim in iisdem datum fuit reperire. Nullus dubito, eum Benedictum ex iis Monachis unum fuisse, quorum sancta consuetudine Polum Patavii degentem se oblectasse, discimus ex hujus literis, quas prima Pars Collectionis nostræ complectitur. Occurrit mihi, dum hæc scribo, libellus Italicus Joannis Casæ prosas nonnullas exhibens, isque nuncupatus an. 1561. *Al P. D. Benedetto Pratti Monaco negro dell' Ordine di S. Benedetto*, cujus præclaræ virtutes, unde spes fo-

foret, ut ipe ad majores dignitates eveheretur, ibidem laudantur. Hunc esse Benedictum illum, ætas quidem, in qua vixit, non dissentiret, at divinare non licet.

Inter illos, qui Patavii, dum ibi POLUS versaretur, Lazaro Bonamico præceptore sunt usi, accensendus venit Stanislaus Osius, Polonus, qui Bonamici doctrinam tanto in pretio habebat, ut omnes consilii, industriæque nervos intenderit, quo eundem Patavio in Poloniam ad aperiendum ibi ludum literarium pertraheret, votique compos minime effectus, sibi, aliisque Sodalibus optimis, & nobilissimis Patavium adeundum censuerit. Hæc constant ex ipsius Bonamici Epistola inter Select. Claror. Viror. inscripta *Petro, Osio, Polonis omnibus*, & in hunc modum conclusa, *Venetiis MDXXXV. eo ipso die, quo de adventu ad vos meo desperabamus*. Quo arctius autem Bonamico Osius Patavii adhæsit, eo magis intimam cum POLO familiaritatem conjunxit, quam aperte testatur ipsius Osii Vita a Stanislao Rescio exarata, eandemque declarant mutuæ hæ literæ, quæ præsenti §. coronidem adjiciunt. Osii pietas in utrisque comparet. POLUS enim his verbis ipsum compellat, *Velim, Tibi persuadeas, me, ut indoli tuæ ad omnem pietatem, virtutem, atque doctrinam florescenti, cum Patavii adolescens literis operam dares, favebam, sic nunc, postquam edoctus sum, præclaros fructus easdem virtutes edere, non potuisse non maxime gaudenti animo audire*. Inter præclaros eos fructus recensendæ utique laudes, quibus Osius

Paulum III. suis in literis donavit ob eximiam prudentiam, atque sollertiam adhibitam in Apostolico Senatu constituendo. Quod autem Osius subdit, ex eadem sapientia, quæ in amplissima ea dignitate, *Sadoletos, & Contarenos* Polo dederat socios, æque hunc socios habiturum *Roffenses quoque, & Erasmos, nisi crudelis mors hunc illis honorem invidisset*, id, inquam, profecto probat, memoriam Osium honorasse Erasmi recens defuncti, quem pariter viventem ita excoluerat, ut ex Italia in patriam remeaturus, animo destinasset, Basileam consulto deflectere, quo eundem coram alloqueretur. Præterquam quod Osii voluntas ista effectu caruit, Erasmo non adeo in posterum favisse ejusdem judicium, discimus ex libello de Legitim. Judic. Rer. Ecclesiastic. ubi Erasmi testimonia proferens adversus Pseudo-Evangelicos, *Audi* (inquit) *quid scribat de vobis, qui versatus fuit multis annis inter vos, nec valde nonnullis visus est alienus a doctrina vestra, ita ut quasi vulgo diceretur illud, aut Erasinus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat*. Poli cum Osio consuetudo eam mihi in mentem revocat, quam ab illo cum alio Polono jungendam, scilicet Joanne Lasco, curavit idem Erasmus, ut dixi Cap. I. superioris Diatribæ; at magnum inter utramque discrimen extitit, nam Osius, lucidissimi syderis instar, Catholicam Ecclesiam illustravit; contra Lascus eandem impiis erroribus obtenebrare conatus est.

Hactenus de literis hoc §. comprehensis, quarum singulæ cuivis oculato, & extra partes posito fidem

fa-

faciant, oportet, Paulo Farnesio Pontificatum gerente, magna cum laude a Catholicis Viris laboratum fuisse, ut Ecclesia Romana in veterem dignitatem restitueretur. Eo scilicet tendebat Supremi illius Hierarchæ studium in Apostolico Senatu componendo, id enixe conabantur recens adsciti Senatores; Præsules alios eadem cura tenebat; vota Principum, politicas Respublicas administrantium, sanctissimorum Cœnobitarum preces, tanto bono divinitus impetrando suppetias ferebant, cumulumque his omnibus addebant præcipui in eloquentia Viri, eam exerentes, ut sanctum illud propositum fautoribus, atque patronis abundaret. Hujuscemodi Catholicorum labores, conatus, & curæ, videant Heterodoxi, quam valide, quam luculenter demonstrent, optimam rationem Majores suos inituros fuisse, si quotquot apud ipsos ex pietatis, doctrinæque opinione commendabantur, non quidem veterem Ecclesiam abolendam suscepissent, sed in ejus communione permanentes, consilia cum Catholicis contulissent ad ejusdem maculas eluendas, quo certe pacto implendis Christiani hominis partibus debitam operam navassent. At eas contra, de nova Ecclesiâ erigenda unice sollicitos, inductoque damnosissimo schismate, miserandum in modum abjecisse, nimis quam dolendum. Novi utique quid ipsi ad hæc reponant, præstantissimos scilicet e Nostris, dignitatibus, commodisque suis, veluti vinculis, irretitos, veritatem quidem propius inspexisse, at quum de ea li-

libere profitenda ageretur, earum utilitatum jacturam reformidasse; quibus verbis manifestam inesse calumniam singulæ fere Collectionis nostræ Epistolæ satis superque comprobabunt. Novi quoque, Adversarios illos, dum majori adhuc studio detrahere contendunt choro illi Catholicorum, strenue ad reparandum, augendumque Romanæ Ecclesiæ decus desudanti, invehi acerbe solere Supremum in ejusdem Præsidem, & longe alium fuisse clamare, quam decus illud poposcisset. Itaque Paulum III. criminantur ex morum juvenilibus annis licentia, ex nimio adversus Consanguineos amore, ac demum ex fide præstita Astrologiæ judiciariæ. Quoniam vero postremum hoc a Schelhornio meo (meum appello, quod in suscepta cum ipso concertatione, ejus eruditionem, dicendi vim, atque elegantiam, singularem humanitatem, honestum etiam animum expertus fuerim) Pontifici illi potissimum objici deprehendi Amœn. Histor. Eccles. & Liter. T. II. p. 464. & seqq. operæ pretium puto ad labem eandem ab eodem repellendam aliqua pro primi hujus §. coronide subjungere, quæ præterquamquod proposito hujus Diatribæ scopo mirifice inservient, necessaria etiam censenda erunt ei incuriæ (absit verbo invidia) supplendæ, qua passim Scriptores nostri tantum Pontificem tam gravi dedecori obnoxium manere sunt passi.

Itaque Schelhornius eo loco agens de quibusdam Actorum Concilii Tridentini Collectionibus, maxime interesse affirmat, præ cæteris, quam potest fieri,

ri, penitissime cognitos habere illos Pontifices Romanos, qui per Legatos suos Synodum Tridentinam moderati sunt; moxque Paulum III. verbis Hurtadi Mendozæ, Caroli V. ad Concilium illud ablegati, in medium allatis sugillatum, magis magisque sugillandum sumit, professus, qui ejus pectus sanctum Dei Spiritum inhabitasse persuasum sibi habeat, toto errare cœlo jure dicendum esse. Quare ut se alienum ab ea persuasione demonstret, Virgilianos eos versus recitat,

Ante leves certe pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Tantus iste, ut mihi videtur, hiatus quid ferat, inspiciamus. Ad ea Mendozæ verba, *Le Pape defere plus que jamais à ses Astrologues*, Schelhornius statim subjungit: *Hæc non in ejus odium conficta esse a Mendoza luculenter evincunt, quæ jam ex Hieronymi Cardani, Medici Mediolanensis, qui ea tempestate in Italia vixit, & floruit, libro Geniturarum, Lugduni anno MDLV. in* 8. *typis excuso, deprompta dabimus*. Lugdunensem hujus libri Cardani Editionem non vidi, at præsto mihi fuit Basileensis in fol. ex officina Henricpetrina, biennio ante Lugdunensem in lucem educta, quæ Cardani Commentariis in Ptolom. de Astror. Judic. subjungit librum illum Geniturarum. Dat autem Genituram Cardinalis Alexandri Farnesii, tempore obitus Leonis X. confectam *ab*

ex-

excellentissimo Astronomo D. Paride de Mantua, cujus initium hujusmodi est: *Reverendissime Domine, vidi, & cum summo studio, ea quæ ad me transmisisti circa Geniturum Vestræ Reverendiss. Dominationis, & diem nativitatis, quæ fuit 28. Februar. m. 46. anno Domini* 1468. Inspectis syderibus, quatuor ex illorum recursu Paris Alexandro prænunciat in hunc modum: *Cuperemus recursu syderum satisfacere desiderio tuæ D. Rmæ in his proximis Comitiis; verum sydera pro nunc non sunt disposita, sed in aliud tempus erunt benigniora. Pollicentur enim assumptionem ad summum gradum Pontificatus an. Dom.* 1534. *qui erit annus* (vitæ) 66. *dies* 253. *hor.* 9. *min.* 34.... *At interim non leve periculum in aquis an.* 61. *mens.* 6. *dieb* 3..... *Anno* 81. *diebus* 68. 1549. *D. vestr. Reverendiss. graviter se habebit cum magno vitæ discrimine, quæ dies erit* 4. *vel* 5. *Maii* 1549.... *Posset tamen præsentia Jovis conferre, quod tamen nos non credimus*. Hæc recitans, risum tenere vix possum, Schelhorni. Hucque facere censeo versus illos, *Ante leves certe &c.* quam ipse scilicet credam, Geniturum a Cardano allatam, etsi inventa jactetur inter arcanas chartas Petri Aloysii Farnesii, Pauli III. filii, pro germana habendam esse, quam scilicet Paris Astronomus vix mortuo Leone X. confecerit. Ignoscas, Vir bone, vel ipsemet mecum sentire omnino debes, quippe qui ejusdem Tomi p. 609. & sqq. erroris condemnas Philippum Melanchtonem, ejusque discipulos, & alios præterea Contribules tuos, Arti divinatrici plus justo tribuen-

buentes, hisque verbis Observationem, quam de eo argumento instituisti, concludis: *Quam autem, quæso, temerarius fuit ausus, vivorum adhuc Principum, aliorumque Virorum illustrium, themata genethliaca, ipso etiam expresso mortis anno, die, horaque, omnium oculis exponere!* Si hujusmodi desipientia in Schelhornium non cadit, deroganda ab ipso igitur erat fides omnis, & auctoritas themati illi genethliaco, quod Cardanus Arti, quam profitebatur, accommodatum pro vero potuit venditare. Excellentiam hic proinde Paridis Astronomi in prædicendo, thema illud afferens, collaudavit; at in isto exsufflando, tanquam commentitio, videlicet post rerum tantum eventus excogitato, satis erit animi sanitas, qua in Observatione illa se probe præditum Schelhornius ostendit, licet ab ea alienus videri possit quibus tradita ab ipso de Pauli III. Genitura legere contigerit, nisi mitius sentiant, devii tantum animi fuisse, quod ille de carpendo Paulo magnopere sollicitus, minime animadverterit, eum Pontificem ex Genitura a Cardano in lucem educta damnare, idem prorsus esse, ac divinatricis Artis figmentis suffragium tribuere. Equidem, ut sincera undique charta illa compareret, haud neglexit adnotare ad calcem p. 464. omissum ibidem in Pauli Nativitate fuisse *hor. 6. ante meridiem*, quod Cardanus ab Evangelista Brasca, Mediolanensi, Monacho Ordinis Benedictini, Paridis Mantuani discipulo, cognovisse se scribit. Ea sinceritas ut Schelhornio, aliisque magis magisque de-

declaretur, haud omittam ipse eosdem certiores reddere, periculum, quod in aquis a Paulo subeundum ante Pontificatum charta illa vaticinata est, etsi neque in Alphonsi Ciacconii Opere, neque a Raynaldo in Annalibus memoretur, revera tamen contigisse, idque constare, si cætera desint, ex Ludovici Sensi Concione superius laudata, cujus verba recitabo: *Censeo, Cives, audisse vos, cui enim mortalium est inauditum? quod cum Alexander Farnesius, tunc maximus Cardinalis, is, qui nunc Paulus Tertius, Maximus Pontifex, Roma Hostiam (cujus erat Episcopus) cum Octavio nepote, & nonnullis familiaribus secundo Tyberi veheretur, nescio quo casu depresso lembo in profluentem cum omnibus, qui secum essent una, cecidisse; & tantummodo Cardinalem cum parvo nepote, quem in tanto periculo, sui præ illo immemor, pius complexus fuerat, evasisse*. Sananda in ea charta restaret nota chronica, quæ magnum vitæ Pauli discrimen, unde mors etiam consequuta est, hoc pacto designat, *quæ dies erit 4. vel 5. Maji* 1549. sananda, inquam, nam Pauli Pontificis mors contigit anno quidem 1549. sed 4. Id. Novembris, idque post pauculos tantum dies a decubitu. Videat Schelhornius, num in ea quoque nota Scriba hallucinatus fuerit mensem Majum pro mense Novembri scribens, nam Pauli mortem ex Actis Vaticanis, aliisque Diariis accidisse discimus die decima Novembris, ac proinde quarta, vel quinta ejus mensis vere in magno illo vitæ discrimine versari cœpit, dolore

lore animi victus, deficienteque spiritu, statim post lectas Octavii nepotis literas. Præterea quis vetat verba, quæ, illo discrimine in ea Genitura indicato, subduntur, *posset tamen præsentia Jovis conferre; quod non credimus*, ita interpretari, ut Jovis præsentia sex illorum mensium, qui inter Majum, & Novembrem excurrerunt, beneficium Pauli vitæ fuerit imperti-ta? Nullam tamen volo seu ex recitato Sensi loco, seu ex allata chronicæ illi notæ medela, seu etiam ex modo adjuncta interpretatione, a Schelhornio gratiam inire; nam contra quo plenius Paridis vaticinationem comprobasse eventus comperietur, de chartæ fallacia, unde gravissima injuria ei Pontifici illata ab eodem Schelhornio fuit, clarius constabit.

Ea autem labe a Paulo III. in hunc modum depulsa, præstat insuper explicare, quodnam fuerit Astronomiæ genus, quam ille perdidicit, adamavitque. Non innocuum tantum, sed sapientissimi Pontificis mente dignissimum illud fuisse, certo certius liquet ex Hieronymi Fracastorii testimonio, quod legitur in hujus libello de Homocentricis inscripto, Pauloque ipsi nuncupato, ac typis edito an. MDXXXVIII. quo ipso Cardanus, notas adjiciens Paridis fragmento illi, affirmat meminisse, *audivisse Pontificem jactasse, quod securus esset de vita usque ad 14. annos expletos ab assumptione dignitatis*. In ea enim Epistola Nuncupatoria Fracastorius narrat, se ab Episcopo suo, Joanne Matthæo Giberto, impulsum fuisse, ut ipsi Pontifici, non vero sibi, opus illud dicaret, *præsertim*

quod is post religionis, & Christianæ Reip. curas nullo alio magis tenetur studio, quam totius Philosophiæ, præcipue illius, quæ circa sydera, & cœlestes orbes versatur. Fructum autem, quem præcipue Pontifex ex eo studio relaturus foret, his verbis declarat, Paulum ipsum affatus: *Quod si & ea quoque te tenebit tum digna, tum necessaria cura, quæ Julium Cæsarem Pontificem Maximum habuit, reformandi anni, & Solaris cursus ad vera æquinoctia reducendi, succurrendique lapsis cyclis, hinc te non invitabunt modo, sed apertissimam viam ostendent sydera*. De hac ipsa cura ad Summos Pontifices maximopere spectante, a quibus scilicet minime ferendum esset, sacrosanctam Ecclesiam magno Hæreticorum, & Judæorum risu sanctissimum Pascha præpostere celebrare, plura idem habet in quibusdam Fragmentis inscriptis de Cyclo. In literis vero ad Gibertum, aliisque certos nos facit, scientiam illam Astronomicam, cui Paulus III. incumbebat, nec per somnium quidpiam commune habuisse cum Astrologiæ judiciariæ ineptiis, ac fatuitatibus, quippe qui hasce in libris suis ne verbulo quidem designet. Silent pariter de iisdem quotquot Astronomica Fracastorii Scripta commendant, inter quos legenda præsertim testimonia M. Antonii Flaminii, & Jacobi Augusti Thuani, quæ extant ad calcem Operum Hieronymi Fracastorii Patavii excusorum an. MDCCXXIX. At quodnam certius testimonium, quam Giberti sanctissimi Episcopi, cui Cardinalis Alexandri Farnesii studia optime erant comperta, & com-

compertus ejus etiam animus, postquam Pontificium thronum conscendisset? Ad ipsius siquidem recens electi deosculandos pedes Romam accessit, indeque Veronam redux, Fracastorio suasit, librum suum sub ejusdem auspiciis ponere, quod speraret eidem acceptissimum futurum. Sincerus ille pietatis magister, Gibertus, quo longius abfuisse credendus est a divinatricis Artis deliramentis probandis, eo minus consilii illius Fracastorio auctor fuisset, si qua ipsi hæsisset vel levis suspicio fidei, quam Arti eidem Paulus quoquo modo præstaret. Addam insuper, ex mutuis literis Cardinalis Contareni, & Joannis Sepuluedæ, quæ leguntur inter Epistolas Claror. Viror. ab Joanne Michaele Bruto collectas, editasque Lugduni an. 1561. constare, Astronomica iis temporibus studia potissimum ad anni reformationem spectasse.

Demum a Schelhornio, aliisque Paulum III. accusantibus fidei Astrologis præstitæ, libenter postularem, num ipsi censeant etiam, Pontificem illum consulto syderum aspectu Viros sapientissimos, integerrimos, atque doctissimos Romam undique accersere consuevisse, eosque ad Cardinalatus fastigium evehere? Ecquisnam erit, qui tantam devoret ineptiam? At, ajunt ipsi, Brascam, Paridis Mantuani discipulum, aliosque *ob Astrologiæ, quam vocant, judiciariæ notitiam ad amplissimas dignitates a Paulo III. provectos commemorat P. P. Vergerius in primo Tomo Operum adversus Papatum p.* 269. ita enim lego in notula Schelhornii loco sæpius citato p. 465. Quarum

rum scientiarum noticia Pauli judicium moveret ad Ecclesiasticas dignitates conferendas, ea aperta nobis reddirur ex Viris illis præstantissimis Apostolico Senatui ab eodem, dum nihil tale cogitarent, accensitis. Quinam forent Astrologi, quos de ea re consulere in more habuit, edocent nos temporis illius monumenta, quorum unum sat disertum, hic afferam, depromptum ex Vita Cardinalis Contareni a Ludovico Beccatello idiomate Italico exarata, quæ inter MSS. Codices Vaticanæ Bibliothecæ servatur. In ea scriptum reperio, *Aver usato spesse volte di dire a S. Santità il Cardinale Contarini, che se S. Sant. voleva far bella la Chiesa, non acadeva più scriver leggi, che assai già ne erano fatte, ma che facesse dei libri vivi, i quai quelle leggi facessero parlare, e render frutto, & questo era fare Cardinali, & Vescovi, che havessero il timore di Dio, & fussero dotti.* Statim autem subjungit, statuisse Pontificem Cardinalatum conferre in D. Gregorium Cortesium, Benedictinum Abbatem, postquam a Contareno poposcisset, *che li dicesse liberamente sulla coscienza sua, in che conto lo teneva.* Nec omittam referre, in eadem Vita narrari quid Pontifici ægre aliquando ferenti in Cardinalium quorundam delectu Contarenum sibi refragari, & de hujus animo quidpiam non plane innocuum suspicanti, iste libere responderit: *Padre Santo, disse, V. Beatitudine non mi faccia questo torto di avermi in tal concetto, ch'ella sà, quanti buoni Subjetti io gli hò ricordati per questo offitio; & per mio conto a dir il vero*

ro

ro io non reputo, che'l Capello sia il mio maggior onore. Cardanus in examen revocata Paridis Mantuani de Alexandro Farnesio prædictione, eaque comparata cum binis, æque, ut ille putat, admirandis, scilicet Ascletarionis de Domitiano, & Francisci Mariæ Ferrariensis de Jacobo Picinino, exclamat: *Sileant jam Apollinis responsa, nihil tale enim in his memoratur*. Justius vero, in medium allatis iis ex Contareni Vita testimoniis, exclamare mihi posse videor: Sileant ineptissimi omnes Astrologi, Contareno pro Ecclesiæ recta administratione Pontifici consilia præbente, ex quorum scilicet norma multo iste tutissime, susdeque habitis vanis prædictionibus, sacræ Reip. bono prospexit. Qua autem ratione Paridi Mantuano Ascletarionem, & Franciscum Mariam Ferrariensem Cardanus copulavit, Contareno ipse adjungam POLUM, & Sadoletum, quorum, æque ac Contareni, admirandas virtutes Paulus III. suspiciens, eorum quoque consultationes volens & libens admittebat. Porro sumptæ a Sadoleto partes in eodem bono juvando, præsertim dum ageretur de Cardinalibus a Pontifice renunciandis, abunde ex pluribus ejus literis se produnt; POLI autem in ea ipsa re curam prorsus singularem jam prodiderunt ipsius literæ, quas Epistolæ quintæ Decadis nostræ tertiæ inseruimus, Cardinali Contareno datæ. Ex iis vero constare adnotavimus, Paulum III. Pontif. Max. Spiritu Sancto duce ad evehendos Cardinales procedere consuevisse, præterea Cardinales delatam sibi di-

dignitatem nonnisi ejusdem Spiritus impulsu accepisse, & demum Pontificium nepotem, etsi juventute admodum florentem, in delectis Cardinalibus nil magis desiderasse, quam ut judicio probatentur sanctiorum, & sapientiorum Collegarum, qui scilicet Pontificem seu monentes, seu consulentes, eo unice spectabant, ut ex eo delectu Christi gloria, & magnus Apostolicæ Sedis fructus emanarent. Eas literas POLUS his verbis concludit: *Non voglio restare di direli questo, che'l Rmo Fernese mi ha detto, che quando V.S. Rma avesse avuto da eleggere dui Cardinali, era certo che non haveria eletto altri che questi* (Badia, e Cortesio) *anzi si può dire che il Signor Iddio l'habbia in ogni modo usata per primo & principal instrumento in questa santa elettione per quello che V.S. Rma ha fedelmente altre volte arricordato a S. Sant. ragionando di uno e dell' altro.*

Audeant nunc Heterodoxi in dubium revocare, num Nostrorum hujusmodi hominum pectus Spiritus Sanctus inhabitasse censendus sit, potius quam Lutheri, quam Oecolampadii, quam Melanchtonis, & aliorum, quotquot ipsi jactant Theologorum suorum coryphæos, & principes; num etiam sancta rerum, & consiliorum concordia in Christiana Rep. gubernanda Nostrorum virtus potius fuerit, quam quorum, avita religione rejecta, studium fuisse dignoscitur, tot, tamque secum pugnantes Sectas confingere, quas dinumerasse, damnasse sit.

§. II.

§. I I.

Ad Epistolas

XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX.

QUAM præclara, quam sancta fuerit omnium fere Romanæ Ecclesiæ ordinum consensio in iis Comitiis concelebrandis, quibus Paulus III. POLUM, aliosque una cum ipso præstantissimos Viros in Cardinalium numerum referens, ejusdem Ecclesiæ dignitati maximopere prospexit, superiori §. ostendimus. Hoc vero ostendendum suscipimus, pari cum sapientia & Pontificem illum ad Angliam Catholicæ Unitati restituendam POLO Legationem demandasse, & POLUM eandem obiisse, ac demum in eandem singulari cum studio sociam operam subministrasse quotquot ad id adhibendos sapientissimus Pontifex existimavit. Hæc omnia ex literis mox recensendis innotescent. At, quod caput est, ejus Legationis consilia longissime abfuisse ab Henrici Regis pernicie molienda, imo contra spectasse ad eundem ex iis periculis vindicandum, quibus ipse se objecerat, id, inquam, jam innotuit ex pluribus superioris Voluminis literis, & præterea ex evulgata in eo POLI ad Angliæ generale Concilium Apologia, quam exaravit, antequam Legationem illam iniret. Apertius etiam innotuit ex nostris in alteram Schelhornii Epistolam Animadversionibus, quas præsenti Volumini præfiximus. Itaque istud argumen-

tum carptim tantum, prout occasio tulerit, delibantes, recensionem nostram persequemur. Prius tamen Legationem illam narrantem Dudithium audiamus, nam juvabit ejus verba, ne ad POLI Vitam in superiori Volumine allatam Lectores nimio cum incommodo confugere adigantur, subinde hic & alibi recitare. Hæc igitur in ea Vita leguntur num. X. *Magnam ex hac* POLI *dignitate boni omnes voluptatem ceperunt. Deinde vero non ita multis post diebus, Legatio ei in Galliam, atque in Belgas, Flandriam vocant, decreta est, ut qui adhuc in Anglia Catholici essent, eos in Ecclesiæ fide retineret. Ad eam rem Cæsar, & Galliæ Rex, suam Pontifici opem & auxilium detulerant, atque hic quidem etiam tutum* POLO *per sui Regni fines iter fore promiserat. Hanc ille provinciam non invitus accepit, quod adjunctis ad Pontificis Max. studia tantorum Principum voluntatibus, Henricum Regem ad Ecclesiæ unitatem & obedientiam revocari posse non omnino diffideret. Itaque, iis a Pontifice facultatibus instructus, quæ Legatis tribui solent, Roma discessit, nonnullosque præstantes homines in comitatu secum duxit, atque in his Joan. Matthæum, Veronæ Episcopum, virum maximo rerum usu ac prudentia præditum, sibique conjunctissimum. Lutetiam cum pervenisset, ibi & a Civitate ipsa, jussu Regis, & a cunctis Ecclesiastici ordinis hominibus, honorifice est exceptus: sed diutius eo loco commorari ei non licuit, propterea quod Henricus per certum hominem vehementer contenderat, ut in suam potestatem* POLUM *traderet. Rex offi-*

officio & religione prohibitus, quod fidem Pontifici Max. de Poli *incolumitate jam ante dederat, Angli postulatis nullum apud se locum relinquens, ne tamen illum infensum haberet, ipsi* Polo, *suo nomine significandum curavit, ut postridie ejus diei abiret. Is novæ rei eventu graviter commotus, cum permagnas sibi undique objectas difficultates videret, ne quam tamen novis Henrici Regis insidiis occasionem diuturna mora præberet, Deum pie, atque ex animo, ut solebat, precatus, illiusque patrocinio se se totum committens, quam potuit brevissimo itinere, Cameracum, quod est Cameracensis Episcopi juris ac ditionis oppidum, contendit, quo quidem non sine magno discrimine pervenit. Etenim per ea loca iter illi faciendum fuit, quæ tum exardescente inter Cæsarem, & Gallum bello, nunc hujus, nunc illius, atque ipsius etiam Regis Angliæ militum excursionibus ac direptionibus maxime infesta erant.*

Tres priores ex literis hoc §. comprehensis, unæ scilicet Contareni, & Poli binæ, initi ab hoc itineris rationem exponunt. Contarenus suas dedit die 15. Febr. an. MDXXXVII postquam a Ludovico Beccatello familiari suo, qui Polum abeuntem prosecutus fuerat aliquot potius milliaribus, quam diebus, hunc prima die itineris aliquid incommodi sensisse, recte tamen valere, intellexisset. Itaque eidem valetudinis suæ curam maximopere commendat, monetque ut res suas tuto Veronensis Episcopi, qui ipsi a Spiritu Dei datus fuerat comes, judicio committat. *Tibique* (inquit) *compertissimum sit, hanc omnium maxi-*

ximam Diaboli fraudem, ad probos, & prudentes Viros decipiendos, ut eis scilicet persuadeat, ita Deo fidendum, ut nihil praeterea prospiciendum ipsis sit, atque ut sibi fidant in hac Dei fiducia, quam conceperunt, ut nullius consilio parere debeant. Innuit tandem, quod spectat ad ejus victum, & esum piscium, ut caveat, nefasque putet, quidpiam agere praeter id quod Episcopus in primis, & Priolus ei dixerint facienda. Hisce literis POLUS Bononia respondens die ultimo Februarii, profitetur, se a Contareno parere jussum eorum voluntati, quibus non alios nec prudentiores, nec sui amantiores experiri ipse posset. Jocatur deinde, quod in eo imperio Priolum Veronensi Episcopo socium adjunxerit Contarenus, narratque, quod ille authoritate sua insolentius post eas Contareni literas uteretur, ab equo, quem ipsi utendum praebuerat, quasi voluntatem suam praesentiente, nudius tertius e sella excussum fuisse. Affirmat vero, se primis quidem diebus, quibus iter fuerat ingressus, ex subita mutatione a summo otio, & quiete ad laborem, & negotia, & ex mutatione etiam victus, ejusque generis, quod laborantibus non ita salubre est, deinde ex ventis, & aperto coelo, cui se ab aliquot mensibus non assuefecerat, distillationes ex capite assiduas, quae pectus etiam occuparent, nec sine febre, passum fuisse; at iis omnibus ita jam liberatum esse, ut ad omnes itineris labores robustior quam antea sibi factus videretur. De exitu autem Legationis suae ita loquitur: *Ego vero ea spe vivo, qua*

qua maxime te in tuis frui ostendis, omnia tandem ad honorem Christi, cui servimus, & divinam voluntatem Sanctissimi Domini Nostri, quam maxime in hac causa ostendit, cum mihi hoc negotium dederit, esse successura. Demum salutem impertitur Reverendissimo Decano, Joanni Cardinali Piccolomineo, cujus lauto hospitio Senis usus fuerat, pariterque Cardinalibus Sanctæ Crucis, Theatino, & Carpentoratensi, quibus addit Magistrum Sacri Palatii, & Lactantium. De humanitate vero Reverendissimi Farnesii erga se, quam in primo hospitio ostenderat, & deinde Bononiæ, quo commendatitias ille literas præmiserat, scripturum se dicit Ambrosio Protonotario. Illud ipsum argumentum, curandæ scilicet valetudinis ex Veronensis Episcopi præscriptionibus, adactus fuit Polus retractare ex nova Contareni Epistola, quæ tamen non extat. Rursus igitur se iisdem comitibus suis acccurate pariturum pollicetur, faceturque ex ea obedientia vires suas mirum in modum refectas fuisse. Quid autem causæ fuerit, cur se initio minus morigerum præberet iisdem, etsi maxime saluti suæ consulerent, his verbis declarat: *Timebam scilicet, ne, quod corpori meo prodesset, aliorum animis noceret, & offendiculum afferret: quod eo majus etiam esse necesse erat, quo major est personæ dignitas, quam nunc gerimus, quam apud Deum, & homines quam maxime integram, & quam minime hominum maledictis obnoxiam servare cupio*. Sancta hæc Poli sollicitudo, ne forte in ciborum delectu quid ageret

præ-

præter fas, & æquum, admodum commendat initam ab ipso in obeunda Apostolica Legatione rationem, cui præterea aliam paris pietatis accessisse commendationem hæ ipsæ literæ ostendunt, dum edocent, ipsum a Pontifice discedentem nil aliud sua causa ab eo petiisse, nisi ut se suis precibus Christo una cum causis, quas sibi imposuisset, commendaret. *Hoc scio*, inquit, *aliis ineptum visum iri. Quid enim minus vulgo usitatum? Quid magis ineptum, quam a Summo Pontifice discedentem, tanquam ab infimo quodam Monacho, qui nihil majus præstare possit, nihil petere, nisi ut in suis ad Deum precibus mei recordaretur?* Eam tamen postulationem suam nihil inepti habuisse pluribus evincit; ac demum a Contareno quoque ejus generis opem deposcit, ita scribens: *Si quod Moysi accidit, & aliter fieri non potest, manus aliquando graves Pontifici videas, ut eas perpetuo ad Deum tollere non possit, ipse tanquam Aaron assistas, & tuis precibus sustentes; hoc abs te sic precibus omnibus contendo, ut majore animi contentione nihil possim.*

Binæ literæ, quæ jam allatas subsequuntur, mutuæ & ipsæ Poli, & Contareni, novum nobis exhibent Christianæ pietatis documentum, moderati scilicet animi, quo ille, dum necessariam Legationi suæ pecuniam sibi a Romano Pontifice subministrari peteret, ab auri fame abhorrere comprobavit. Lugdunum quum advenisset, edoctusque ipsa experientia optima magistra, majores esse sumptus, quam

ut

ut pecunia sibi assignata sustentari posset, Pontificiam liberalitatem ope Contareni, ad quem proinde de ea re ex Urbe illa die 24. Martii Epistolam dedit, modestis omnino verbis exoravit, & inter alia, *Ego certe* (inquit) *si montes aureos haberem, unde depromere possem, nunquam plane plus quam ad sumptus necessarios opus esset, quicquam auferrem, & si minus petere possem, ne hoc quidem peterem, ac neque hoc ipsum petere auderem, nisi tanta me spes teneret hujus negotii, quod mihi Ejus Sanctitas commisit, eum fore exitum, ut si multo majores sumptus facti fuissent, facile tali animo, qualem scio Ejus Sanctitatem habere, satisfieri posset*. Contarenus nihil cunctatus utilem amico operam præbere, impetravit statim ab optimo Pontifice, ut præter quingentorum aureorum summam Legatis Ultramontanis dari consuetam, Polo subventionis nomine, extra ordinem, aliqua insuper pecunia contribueretur. Ita ille in literis Romæ datis die 12. Maii, in quibus præterea subjungit quæ primo singularem ejus amorem erga Angliæ Regem Henricum testantur, deinde vero enixum studium, quo & ipse, & plerique alii, ipso Summo Pontifice duce, in Christianæ Reip. bonum incumbebant. Verba amorem illum palam facientia jam recitavi in superioribus ad Epistolam alteram Schelhornii Animadversionibus; at præstabit etiam hoc loco recitare, quæ studium ejus boni curandi demonstrant. Candide illud exponit in hunc modum Contarenus: *Pontifex aggressus est Reformatio-*

tionis negotium. Cœpit a ſe ipſo, elegitque quatuor Cardinales Simonetam, Ghinucium, Theatinum, & me, quibus injunxit, ut diligenter videamus, & corrigamus ea quæ expediri conſueverunt per Datarium. Nos non deerimus officio Chriſtianorum Præſulum. Omnes ferme Reverendiſſimi Cardinales favent Reformationi. Incipit immutari facies Conſiſtorii, ea quæ proponuntur, non ita facile expediri incipiunt, Canones proferuntur, perpenditur quod fieri debet, & quid non fieri; adeo ut magnam ſpem, non dico, conceperim (quia nunquam deſperavi) ſed foveam, res noſtras quotidie melius proceſſuras. Summopere cupio te, ac Reverendiſſimum Carpenſem nobis adeſſe, ut pluribus operam dantibus Reſp. Chriſtiana facilius inſtauretur. Audeant nunc Heterodoxi Paulo III., noſtriſque, eo Pontifice, exprobrare ſummam Romanorum conſiliorum id unum ſpectaſse, ut populorum ſimplicitati illuderetur, & pulchrum illum fucum vel ab ipſo Pallavicino in Hiſtor. Conc. Trid. pro ſummæ prudentiæ ſpecimine habitum, nonniſi pallium, & cruſtam fuiſſe enixæ in Pontifice, & Aula Romana voluntatis, ut nihil fieret quod Reformationem ſaperet, nedum reipſa promoveret. Pallavicini verba in malignum ſenſum detorta juſta interpretatione ab invidia vindicabimus ſuo loco. Reformationis Capita a novem Præſulibus in eo ſcripto repræſentata, de quo egi in Diatriba, & fuſius in Animadverſion. ad prior. Epiſtol. Schelhornii, vel ipſa ex ſe ſatis evincunt longiſſime a fuco abſfuiſſe molitiones a Paulo Pontifice ad-

adhibitas, ut re ipsa Reformatio illa ad exitum perduceretur, eumque, quoad fieri potuit, etiam nactam fuisse; hoc illud est quod apertis Pallavicini verbis edocemur, quippe qui libri IV. Cap. V. totus in eo est, ut ostendat singula ejus Reformationis capita, quæ percenset, opportunam medelam admisisse, quare his verbis Caput illud concludit: *Scorgesi emendato per quanto hà permesso l'umana condizione tutto ciò ch' allora fù riputato degno d' ammenda, con diminuir in gran parte l'uso delle grazie a Pontefici, e per conseguente quei due acquisti, per cui soli appar desiderabile il Ponteficato, dell' oro, e degl' animi*. Pari candore Contarenus in eadem Epistola testatur sincerum Pontificis studium in generali Concilio convocando, causamque affert, cur Mantua non amplius ad id res idonea censeretur: *Concilium* (inquit) *dilatum est ad Kalendas Novembres ob id, quod Dux Mantuæ petierat a Pontifice mille & quingentos pedites, centumque equites, alendos Pontificis pecunia, ob Civitatis Mantuanæ præsidium; quæ res visa est allatura fuisse calumniam nobis, utpote qui nollemus Concilium liberum, si armati hoc præsidio venissemus*. Sinceram Pauli III. Procerumque Aulæ Romanæ in utroque negotio, nimirum Reformationis, & Concilii, voluntatem extra omnem controversiam ponunt hæ Contareni literæ; neque enim aut ipse idoneus, cui quisquam in hujusmodi rebus fucum faceret, aut ipse fuco aliis faciendo, multo minus sibi amicissimis, accommodatus. Plures alias ejusdem argumenti

ſeu POLI, ſeu Contareni, ſeu aliorum literas exhibet Collectio noſtra, quarum loca, prout occaſio feret, recitabimus. Adeo autem verum eſt, Paulum Pontificem ſerio curaſſe ut Reformatio perficeretur, utque Concilium cogeretur, quod hac ipſa de cauſa homines ſapientiſſimos ſibi adſciverit, qui in id operis ſtrenuiſſime incumberent. *At enim* (ait Senſus in laudata Concione) *quis Pontificum unquam poſt hominum memoriam magis omni divinarum, humanarumque ſcientiarum genere Viris eruditiſſimis abundavit, nimirum quam hic præ cæteris omnibus poſt natos homines ſummo ſtudio illos ſemper complexus, & maximis, & altiſſimis pretiis auxerit, & honeſtaverit? Nam neque apud Ptolomæum, neque Auguſtum, aut quemvis alium hiſce ſtudiis ulla ætate amicum principem, in tanto honore, quanto apud Paulum III. Pont. Max. doctos Viros fuiſſe cenſeo; qui ſemper ſimul atque vividum aliquod ingenium deditum literis ubivis gentium eſſe accepit, ſingularibus donis ultro eſt proſecutus, & commeatu honeſtiſſimo ſuſtentavit.* Hujuſcemodi vere fuiſſe, ſcilicet divinarum, humarumque ſcientiarum peritiſſimos, quotquot Reformationi ſtatuendæ Paulus III. delegit, comprobat Novemviralis cenſus, quem attulimus in Diatr. ſuperiori, ubi actum eſt de eorumdem Conſultatione, & quaternarius eorum numerus, quos ſuis in literis Contarenus nominavit. Præter ipſum Contarenum, & Theatinum, qui Conſultationis illius primæ maxima pars fuerant, Ghinuccius, & Simoneta in altera hac

hac Consultatione comites additi, doctrinæ, & integritatis laudibus iis claruerunt, quibus testimonium perhibent ejus temporis monumenta in Ciaconii Opere indicata, & alia etiam quamplura.

POLUS Lugduno digressus, cito Lutetiam advenit; inde vero pedem movere statim adactus fuit, ut recitata ejus Vitæ verba narrarunt. Quare absque mora, querulas literas dedit, in Collectione num. XVII. positas, Rodulpho Pio Cardinali, qui Pontificis negotia apud Franciscum Regem curabat. Doluit in iis, ut par erat, Legationis suæ jura perfringi, postquam eidem suscipiendæ Christianissimi Regis Oratores Romæ non assensum tantum præbuissent, sed præterea & sibi ex ea Urbe discessuro, & Pontifici ipsi constanter affirmassent, adventum suum Regi gratissimum fore. Attamen in eo dolore declarando modeste abstinuit ab ipso Rege accusando: *Nihil* (inquit) *plane habeo quod accusem, nisi iniquitatem ejus amicitiæ, cui Rex necesse judicavit hac in re gratificari, accusare debeo; quam tamen in hac re non accuso, nihil enim tale illa amicitia postulabat, sed hoc postulabatur, idque a Rege Christianissimo, ut in Oratorem, & Legatum Vicarii Christi, Christi causa ad eum adeuntem, manus injiceret, & vinctum in Regis inimici potestatem traderet.* Eum dolorem qua ratione POLUS cum debita erga Regem Franciscum reverentia in iis literis exposuit, æque studiose cavit, ne quoquo pacto Henrici Regis nomini injuriam inferret. Hujus itaque tantum Consiliariorum iniquitatem

causatus est, quibus scilicet deberetur, Regem *natura in religionem propensissimum, institutorumque Majorum suorum observantem, modestum, benignum, sua sponte liberalem, & clementem, ita prorsus depravasse &c.* Verba ista, etsi forent *satagentis, solliciti, & in tribulatione positi*, imo & quæcumque alia in ea Epistola leguntur, Poli animum in Legatione quam obibat, judicet quisquis, num mitem, atque mansuetum, an vero Vatiniano, & novercali odio æstuantem, anhelantemque minas, & cædes demonstrent. At illa ipsa ad labem hanc expungendam jam satis laudavimus in Animadversionibus ad Epist. alter. Schel. Quare contentus ero ea recitare, quæ sanctos omnino Poli sensus in eo munere fungendo patefaciunt. Sunt autem hujusmodi: *Illud autem me maxime confirmat cogitantem, si Deus me ministro uti velit ad res Ecclesiæ in Patria mea ad ejus honorem componendas, nihil prorsus horum conatus efficere posse ad id impediendum, etiamsi universus Orbis cum illis conspiraret, & una omnes spiritales nequitiæ in cœlestibus; sin aliter Divinæ providentiæ visum fuerit, nedum completæ sint iniquitates Amorrhæorum, nostrosque homines majoribus adhuc calamitatibus afficere Deus statuerit, & his, qui sanguinem innocentem quærunt, permittere, ut desiderium suorum expleant; modo id ad honorem ejus redundet, id quidem in meo sanguine fieri, non solum non ægre feram, sed ut quam citissime fiat, maxime ab ejus benignitate precabor, atque hoc summum beneficium Summo Pontifici semper debeo,*

quod

quod mihi æternum portum jam diu spectanti, compendiosissimam viam eo perveniendi, & hac Legatione mihi patefecerit. Nota seu temporis, seu loci in iis literis desideratur. Eas tamen conscriptas constat post Poli Lutetia discessum, atque, ut videtur, ante ejusdem Cameracum adventum.

Cameraci Polus jam aderat, priusquam Aprilis mensis desineret; hujus enim die 27. Epistolam ad Erardum Cardinalem Leodiensem exaravit, quæ septima est hujus §. In ea statim narrat, quam grave sibi acciderit, unum ex familiaribus suis, Virum nobilem, & sibi a secretis, prohibitum fuisse a Duce, qui Valentianæ oppido præerat, ne Bruxellam usque iter faceret, Aulam Reginæ aditurus, ad cujus primarium Consiliarium literas ob eam causam afferebat. Subdit, Regis Gallorum pariter adeundi facultatem sibi paulo ante ademptam fuisse, at multo tristius sibi accidere, quod par obstaculum in ditione Cæsaris afferatur, postquam Legationem sibi a Pontifice impositam ejusdem Oratores ursissent, eorumque consilio, hortatu, imo & impulsu, se maxime reclamante, itineris per Galliam habendi consilium captum fuisse constaret: *Si humanitatis* (inquit) *in Gallia quasi gutta aliqua degustata, flumina benignitatis, omnisque humanitatis in Cæsarea ditione nobis promitteremus, merito quidem id facere videremur; nil enim nobis cum Gallis plusquam cum hospitibus in diversoriis publicis, per eorum provinciam iter facientibus fuit; finis vero itineris, si Anglia prohibere-*

beremur, Cæsaris provincia ab ipsis Cæsaris Oratoribus proposita fuerat. Demum refert, se etsi valde munitum benevolentia Cameracensis Episcopi non tamen sine cura, & sollicitudine animi esse, tam propter milites, qui ad portas usque quotidie excurrentes, aut se, aut quempiam ex suis nusquam exire paterentur, quam propter transitus licentiam quibusvis factam, ac proinde Anglis etiam, quorum insidiæ juste timendæ. Tandem hæc habet: *Summa vero harum litterarum est, ut, qui sim, a quo missus, quibus de causis, & quibus instigantibus, atque adeo compellentibus veniam, intelligas, atque ita me tuo consilio, & opera in omnibus rebus juves, ut pietas tua erga Deum, & Ecclesiam, atque ipsius Dei Vicarium, tum bonoris Cæsaris studium, & Sacri nostri Collegii conjunctio postulant, atque ut Sanctissimi Domini Nostri fiduciæ de perspecta, & cognita animi tui generositate, quæ omnia meam spem confirmant, maxime respondeas, meque in omni re commendatum babeas.*

Aliam ex ea ipsa Cameraci Urbe die 18. Maii Polus ad Paulum Pontificem Epistolam dedit, jam recensitæ proxime conjunctam, in qua haud opus habuit fusius exponere, quæ vel ad causam sibi a Sanctitate Sua commissam, vel ad se ipsum aliquo modo pertinentia, in itinere scire potuerat, quod omnia scripsisset ad Ambrosium Protonotarium, prout locus & tabellariorum expedita facultas occasionem aliquam præbuerant. Statim itaque de reditu sibi ejusdem Ambrosii literis, Sanctitatis Suæ verba præ-

præferentibus, perſcripto, agere inſtituit, *in quibus*, inquit, *tanquam difficultatem progrediendi Sanctitas Tua divinaret, jubet, ut quod commodo meo & cauſæ facere poſſim, reditum maturem, ut in Sacro Concilio Mantuæ celebrando Sanctitati Tuæ præſto adſim, quo, ut ex ratione dierum colligo, multo ante Sanctitatem Tuam puto perventuram, quam ei hæ literæ reddi poſſent*. Igitur deliberatiſſimum ſibi eſſe profitetur Pontificiis juſſis parere, eoque magis, quod quæcumque ſibi ad eam uſque diem contigerant (ea autem narrat, prout fecerat in literis ad Cardinales Rodulphum, & Erardum) non invitarent modo, ſed quaſi impellerent, ut quam longiſſime, & quam celerrime ex iis locis ſe ſubriperet; magiſque adhuc, quod cauſa ipſa, quæ ſola ipſum retinere poſſet, & quæ illuc ſola traxerat, ne ſpem quidem ullam oſtendere videretur, vel minimo periculo dignam, cur in illis locis diutius maneret, populi tumultu, qui cauſam fovebat, ita ſedato, ut multi ſupplicio ſint affecti, duces autem omnes in Regis poteſtatem venerint. Hiſce præmiſſis, progreditur ad ea poſtea proponenda, quæ diuturniorem moram in locis illis ſuadebant, vel potius illud unum, quod unum valere deberet, ideſt cauſam ipſam: *Quæ* (inquit) *ſi tanti momenti eſt judicata, ut propter eam S. T. impenſis, & cura ſe ſe oneraret, ipſe omni periculo me objicerem, dum huc venio; non minoris certe momenti eadem videri debet ad retinendum me tantiſper, dum, quid proficere poſſimus, intelligi poſſit. Hoc enim plane*

ne constat, discessum meum tam celerem universæ causæ plurimum obfuturum, quod, & populis illis, quibus maxime consultum oportet, desperationem certam afferet, & adversariis, ut magis in populum, & Ecclesiæ ministros insultent, summam securitatem. Deinde vero acrius ipsius causæ momenta perpendens, nihil opportunius eo tempore, antequam scilicet veteris religionis memoria obliteretur, fieri posse affirmat ad desperationem illam ex Anglorum animis removendam, quam, *si quis* (inquit) *ex suis cujus existimatio nunquam apud eos sit læsa, rectaque semper, & constans de Religione opinio extiterit, quasi in conspectu illorum maneat, cujus vel exemplo, vel authoritate, & suasione, ut se occasio tulerit, moveantur, qui non tam verbo, quam re, paratus sit omnia prorsus extrema corpore subire, quam perniciosis istis opinionibus quæ animas perdunt, assentiri*. Addit, satis sibi de loco prospectum fore, si in Leodiensem provinciam tuto penetrare posset; insuper occasiones rei bene gerendæ minime defuturas, quod eas Deus in manu sua habens, sæpius præter spem novas offerat, qua ratione oblatas elabi patitur, quum illas apprehendere cogitamus; demum Regis sibi inimicissimi, & potentissimi insidias minime vereri. Postremum hoc iis verbis declarat, quæ, etsi longiora, haud faciam, quin recitem, quod ipsa scribenti POLO Spiritus Sanctus, cujus proinde habitaculum foret illius pectus, dictasse censendus sit. Pontificem enim in hunc modum affatur: *Quis ergo me tutum ab hujus infesta poten-*

tentia præstabit? Idem, Beatissime Pater, qui animam securam facit, & omni terrore, qui per hominem inferri possit, liberat, qui me id munus obire, quod mihi ea persona, quam gero, imponit, reliqua istius providentiæ relinquere jubet, cui nemo unquam frustra est confisus, sub quo omnes, qui ei fidunt, ab omni incommodo, quod vel ab homine, vel ab ulla re proficisci possit, semper tuti sunt. Munus vero meum est, qui Cardinalis sum, & in Sacrum illud Collegium cooptatus, nullum ut periculum pro Capitis Ecclesiæ honore, & ipsius Ecclesiæ utilitate recusem, sed ultro etiam, & libenter, si ita opus sit, omnia pericula oppetam, nulla habita salutis meæ, & vitæ ratione. Hoc enim patrimonium est, quod nobis a magnis illis Ecclesiæ Cardinibus Apostolis, quorum successores esse gaudemus, est relictum, qui universam mundi potentiam contra se, dum Christi, & Ecclesiæ bonori, & commodo servirent, provocare non dubitarunt. Hæc quidem in animo meo Christus, antequam in sacrum hunc Ordinem cooptarer, impresserat, &, postquam sum cooptatus, eadem suggessit, &, antequam Roma egrederer, omnia hæc pericula ante oculos posuit, in quibus si nunc exercere me illi placeat, quid est quod timeam? quid est quod non potius gaudeam? qui cum causam communem cum magnis illis viris habere me sciam, quin Ordinem eundem, & eundem etiam Protectorem habiturus sim, dubitare non possum. Protectoris nomine ipsum Pontificem designat, cujus judicio, & mandato in omnibus se subjiciens, literis suis finem imponit.

Finem pariter literis hoc §. designatis imponit Contareni ad POLUM Epistola, Romæ die 22. Maii exarata. In ea affirmat, etsi non aliam a POLO acceperit post Lugdunensem, de qua superius, se tamen ex Prioli literis intellexisse, quo in statu res Legationis forent, subditque, *Doleo plurimum, Regem tuum, cujus bonum novi quantopere cupias, quotidie longius recedere a Christi Ecclesiæ Unitate, sibique dum putat optime consulere, & rebus dignitatique suæ, magis in præceps ferri*; intellexisse etiam, quibus rationibus adductus decreverit diutius in eis regionibus morari, qua in re moderationem quandam adhibendam suadet, *ne* (inquit) *vel cum ignominia properetis, vel cum indignitate diutius delitescatis*.

Quemadmodum autem exhibitæ in superiore §. recensioni coronidem quandam adjicere nos adegit intentata ab Jo. Georgio Schelhornio adversus Paulum III. Pont. Max. accusatio; hujus quoque §. protrahendi quamdam nobis necessitatem injicit labes nomini Giberti, Veronensis Episcopi, inusta ab Ottone Friderico Menchenio. Hic siquidem in libro, quem conscripsit de Vita & Scriptis Hieronymi Fracastorii, dum acerbissime insectatur Præfationem Homocentricorum ab ipso inscriptam Paulo III. Pontifici, suasore, quin autore eodem Giberto, hunc, æque ac Fracastorium ipsum, sua censura vexasse censendus est. Antequam tamen tractationem hanc, labis scilicet illius propulsationem, aggrediar, Lectores monitos volo, complures Epistolas hoc §. designa-

ſignatas ſumma cum laude commemorare divinas virtutes ejuſdem Giberti, quem Polo in Legatione jam jam deſcripta Pontifex non comitem tantum, ſed ſocium veluti, & collegam dedit; indeque peti commode poſſe, quæ earum encomiis cumulatis in Epiſcopi ſui Vita, a doctiſſimis Veronenſibus, ejus Operum Editoribus, diligentiſſime conſcripta, haud exigui momenti mantiſſam adjiciant. Quo plenior vero non ex ea tantum Vita, ſed & ex Epiſtolis noſtræ Collectionis earum virtutum exurget commendatio, eo firmius ſuſtinebitur, atque vigebit potiſſimum præſentis Diatribæ inſtitutum, ac proinde qua ratione eidem haud mediocriter contulit orta in ſuperiore §. occaſio ex iis Comitiis, quibus a Paulo III. adſcripti ſunt Apoſtolico Senatui Viri ſanctiſſimi, inſigne etiam Epiſcopalium Infularum decus efferendi, videlicet Coſmum Gherium, Antiſtitem Fanenſem, ita par emolumentum ex Legatione, de qua hoc §. dictum eſt, conſequetur, ſi eidem illuſtrandæ, præter eximia ejuſdem Senatus lumina, ipſum ſcilicet Polum ea functum, pariterque Contarenum, Rudolphum Pium, Erardum a Marka, quos ſingulos ſuas in ea partes impleſſe vidimus, præclariſſimi inſuper Antiſtitis Chriſtianarum virtutum decora minime defuiſſe comperiantur. Porro tam Gherii, quam Giberti Infulas Romanæ Purpuræ ornamento caruiſſe, nemo mirabitur; nam Gherius juvenis admodum deceſſit, natus ſcilicet annos tantum viginti quatuor (& quidem poſt dies quinquaginta ſeptem

putatos ab initio morbi, qui illi exitialis fuit, ut supra p.XXXVIII. ex Cod. Magliabechiano tradidi, addens, quatuor tantum numerasse Varchium in Hist. Floren. ex Batava an. 1723. Editione, at nuperrime comperi *quaranta* legi in Editione Coloniæ an. 1721.) quare in literis Rhamberti superius laudatis *divinus plane juvenis*, *animique plane cœlestis juvenis*, & in literis Bembi ad Philippum Gherium ejus fratrem Vol. III. lib. IX. *buono & santo giovane* nuncupatur. Hæ datæ sunt *A' 6. di Gennajo 1538. di Padoa*, loquunturque de Gherio jam mortuo, & revera obierat ante Octobrem an. 1537. ut certos nos reddit nota chronica Rhamberti literis apposita, hæcque, quemadmodum & Codex ille Magliabechianus, aliaque monumenta, vitii redarguunt notam aliam, quam præferunt Bembi literæ ad ipsum Cosmum Vol. I. lib. IX. quæ pariter datæ leguntur *A' 6. di Gennajo 1538. di Padoa*. Quod spectat ad Gibertum, justior subire posset admiratio, eoque etiam major, quod ad Purpuram, qua ipse caruit, alios necessitudinis vinculo sibi conjunctissimos ipse, ut loquitur idem Cosmus in Epistola ad ipsum exarata inter Select. Clator. Viror. quodammodo deduxisset; at eandem Purpuram non ipsius virtutibus denegasse Pontifices, sed ipsum invicta humilitate (novi quosdam natalium vitium causati) quemadmodum & amplissimos alios Episcopatus, respuisse docemur in ejus Vita, de qua paulo ante. Hæc certe a capite ad calcem tota est in Giberti virtutibus extollendis, easque Cap. XIX. quo etiam ejus-

ejuſdem mors narratur, paucis hiſce verbis perſtringit: *In hanc rationem compoſitus Jo. Matthæus Gibertus Epiſcopus Veronenſis, ille, inquam, Jo. Matthæus optimarum litterarum promotor ac fautor benemerentiſſimus, eximius ille magnanimuſque contemtor opum & bonorum: ille virtutum omnium ac ſolidæ pietatis obſervator integerrimus, ille antiquarum legum conſuetudinumque aſſertor cultorque diligentiſſimus, ille vitiorum atque corruptelarum, necnon rituum rerumque novarum hoſtis & inſectator acerrimus, ille tandem optimus paſtor, ac paſtoris optimi exemplar omnibus Epiſcopis propoſitum, annos natus plus minus octo ſupra quadraginta, in domo Nazareth, ubi morbum ſuſtinuit, Creatori ſuo, quem ſemper adamavit, pro quo tot pericula totque labores adiit, cujus Eccleſiam tam ſancte rexit atque inſtituit, ſuaviter ſpiritum reddidit, exeunte anno 1543. III. Calendas Januarii, die Dominica, hora circiter decima ſeptima;* moxque ibi ſubditur, non Clerum dumtaxat, & populum Veronenſem ſenſiſſe eam jacturam, ſed omnes, quibus explorata erant illius geſta, Antiſtites præſertim, & Cardinales, imo vero Paulum ipſum III. Summum Pontificem, qui triſti de Giberti morbo paucis ante obitum diebus Romam uſque perlato nuncio, hoc pervulgandum duxit in publico Conſiſtorio, ac ſi de re ad totam Eccleſiam pertinente actum fuiſſet. Hæc, ut dixi, in Cap. XIX. ejus Vitæ; Capite autem proxime ſubſequenti teſtimonia de ejuſdem Sanctitate recitantur.

Venio

Venio nunc ad Menchenium, & ſtatim explico qua ratione Giberti nomini is injuriam intulerit. In eo libro de Vita, & Scriptis Hieronymi Fracaſtorii non dubitat quidem ſubſcribere pag. 164. & ſq. iis omnibus elogiis, quibus vitam Viri maximi, honores, laudeſque præcipuas tam ipſe Fracaſtorius, quam M. Antonius Flaminius carminibus ſuis celebrarunt; at neſcio quo pacto iiſdem elogiis inverecundæ, & flagitioſæ aſſentationis criminationem adverſus Fracaſtorium intexens, Gibertum etiam, quem tamen non nominat, iniqua cenſura percellit. Juvabit huic expendendæ & refutandæ aliquantulum immorari, quod ea novum documentum præbeat, ab Heterodoxis ſus deque veritatem haberi, & venenoſis interpretationibus Catholicorum Scriptorum dicta corrumpi, ut pronius ſibi ad obloquendum de Romano Pontifice iter ſternant. Poſtquam ergo Menchenius miris laudibus in cœlum extuliſſet Fracaſtorium, idque non ex ejus tantum in omni doctrinæ genere præſtantia, ſed ex probitate etiam, fide, & integritate, adeo ut de eo ſcripſerit p. 139. *Quis eſt igitur, quem bonorum Virorum amore dignum putemus, ſi Fracaſtorium non putabimus?* & poſtquam mira pariter de Homocentricorum libro, cujus autor Fracaſtorius, prædicaſſet, affirmans in eo colligi quidquid in re Aſtronomica ſublime & divinum eſt, ad examen pag. 168. revocat ejus libri Præfationem Paulo III. Pont. Max. inſcriptam, & de ea (proh Superi, quantum mutatus ab illo!) ſtatim pronunciat

ciat, quotquot eam legerint, si veritatem ament, fore, ut in eam sententiam descendant, nihil legisse se unquam, quod cum maxima dictionis, verborumque gravitate tantam adulandi libidinem conjunctam habeat; & postea, bile veluti exæstuans, subjungit: *Non cælo, non astris pepercit inverecundus assentator, dummodo quamcumque blandiendi inde capiat materiam.* Bona verba, Mencheni. Nonne vides te per latus optimi Fracastorii tui Gibertum etiam transfodere? Si quod in ea Præfatione scelus, hujus utique ducem & artificem habeamus, oportet, Antistitem illum sanctissimum, cujus alumnus Fracastorius, & cujus opus Præfatio illa, quam si ejus non tantum suasu, & impulsu, sed ipso dictante exaratam fuisse dixerimus, haud procul certe a veritate aberrabimus. Studia enim totius Philosophiæ, & præcipue illius, quæ circa sydera, & cœlestes orbes versatur, quod jucunda forent, post religionis, & Christianæ Reip. curas, Paulo Pontifici, hinc placuisse Giberto, ut eidem Homocentricorum Syntagma dicaretur, jam vidimus supra p. LXII. ejusque desiderio morigeratum fuisse Fracastorium. Quisnam autem, amabo, Præfationis illius locus, in quo horrendum cubet nefas? Ecce quem profers: *Ego tantum hoc auspicium capiens, & desiderio nostri Episcopi morem gerendum duxi, & plane cognovi, nulli convenientius, quam tibi, deberi stellarum orbiumque contemplationes, in quibus potestatem tantam unus ex mortalibus cunctis habeas. Æquissimum præterea est, ut & tu novis plerisque orbibus,*

qui

qui nunc primi cogniti sunt, gratuleris, & illi tibi: quos fata tuum in Pontificatum quodammodo reservavere, ut, patente jam & terra omni, nihil in inferiori hoc mundo sit, nihil in superiori, quod tibi non sese aperiat ac gratuletur. Recitatis autem verbis his, atrocia sunt, quæ non in Fracastorium, non in Gibertum tantum, sed in Italos omnes, veluti lapidem, jacis: *Belle admodum, & ad servum Italorum ingenium perquam accommodate.* Doleo, Mencheni, quod, licet eruditionem tuam magni faciam, gratique animi sensus profitear singulari humanitati, qua libros quosdam meos in Actis Eruditorum percensere consuevisti, quamque prolixius adhuc mihi declararunt non unæ literæ tuæ mihi datæ, cogar tamen ex veritatis amore postrema ista tua hoc pacto tibi regerere: Belle admodum, & ad lividum, ac mordax Heterodoxorum ingenium perquam accommodate. Ipsemet nec cœlo, nec astris pepercisse videris, quippe qui piacularem culpam impingis primum Fracastorio, quem cum Auctore ejus Vitæ *quasi quoddam in terris delapsum numen* vocare p. 139. non refugeras, deinde transverso ictu etiam Giberto, quem verbis usus Fracastorii p. 165. *Dis cœlestibus* & ipse veluti æquaveras. Nonne præstabat (quo Heroibus hisce tuis quoquo pacto blandireris) si quid absoni deprehenderas in tradita Paulo Pontifici in cœlestes orbes potestate, ut benignam vocibus eam explicantibus interpretationem adhiberes? Saltem ad Poeticæ artis confugium, qua excelluisse Fracastorium fateris, aditus tibi patebat, ut eas-

easdem mollius acciperes, tuncque memoriæ tuæ occurrere potuisset celebre illud, *Sapiens dominabitur astris*. Quid vero, si nullius benignitatis indigæ sanum prorsus sensum per se satis expromant? Potestatem illam aperte adstruunt claves cœlorum a Christo Domino traditæ Petro, ejusque Successoribus. Nec officit, ex vestrorum hominum sententia easdem Apostolis cunctis, æque ac Petro, assignatas fuisse, & potestatem illam æqualiter in cunctos illorum Successores transmigrasse; nam stabit adhuc ejusdem minime expertem habendum Romanum Pontificem, Petri Successorem. Non aliam quam clavium potestatem verbis illis Fracastorium designasse, idque ex Giberti mente, docet ipsemet, eum ad se in hunc modum loquentem inducens: *Meum enim si est hoc munus, placet ut novo Pontifici novum dicetur opus, quod cœli, ac sydertum contemplationem complectatur, quorum ille claves, atque imperium gerit*. At ad verba ista minime animadvertisti, nec ad alia etiam, quæ supra p. LII. recitavi, quæ scilicet fructum, quem Pontifex ex Homocentricorum libri lectione ad anni reformationem, sanctumque Pascha terminis justis figendum capere posset, significant. Ista siquidem non satis idonea reputasti, quæ dicteriis tuis inservirent, ac propterea missa fecisti, cordique potius tibi fuit, alio etiam loco, nempe p. 206. eandem in Fracastorium censuram refricare; quare ibi ita scripsisti: *Literæ quibus hunc* (Homocentricorum) *Paulo librum dedicavit Fracastorius, si dicendi*

genus spectes, graves sunt, & elegantes, si rem ipsam, & sententiam, animi ad adulandum compositi testes certissima. Æquius, ut spero, Mencheni, censebis de his, quibus te hucusque compellavi, non animo quidem ad carpendum composito, sed veritatis tuendæ studioso. Quo ipso pariter adnotabo, te haud mediocriter caligasse ad Giberti patriam, pro qua Veronam habuisse videris p. 164. ad Francisci Turriani genus p. 162. & sq., de quo mox dicam, ad Fracastorium denique, cui, ob medicæ artis operam Tridentinæ Synodi Patribus præstitam, traditum amplissimum a Paulo III. stipendium, de quo ipse p. 59. ex Sleidano, e memoria tibi excidisse visum est, ut novo scommati locum faceres, hæc scribens: *Nec dubito, quin promeritam ingeniosæ assentationis mercedem tulerit. Nihil tamen de illa Fracastorius. Forte sydeream illorum, quorum ipse expers fuit, regendam ei dedit partem aliquam.*

Injecta Francisci Turriani mentio me monet, ne §. hunc absolvam, quin aliqua tradam de ipso, aliisque insignioribus Poli comitibus in Legatione, de qua hucusque actum est. Inter Epistolas Virorum Illustrium Italica lingua exaratas, quas Dionysius Athanasius, aliique plures post ipsum collegerunt, bene multæ extant ejusdem Turriani, nec desunt quæ datæ visuntur ex Flandria, dum in ea regione cum Polo Legato versaretur. At legendæ præ ceteris binæ ad Carolum Gualteruccium de Giberti morte sanctissime obita agentes, & unæ ad Benedictum Rhambertum

tum de eadem, quæ lacrymas profecto elicient ex eorum oculis, quotquot, non limis, Romanæ Ecclesiæ fœtus, pios & præclaros, aspiciant, & de quibus ipsa juste conqueri non valeat, Virgiliano illo, *Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos*. Mirum, eas omnes Collectiones ignotas fuisse Menchenio, ut ipse de Fracastorii Epistolis loquens pag. 121. fatetur; nam, ut Athanasii illam Heterodoxi facile agnoscerent, & libenter amplecterentur, effecit cura a Vergerio suscepta in edendo libello, officina hominis illius utique digno, cui titulus, *Giudizio sopra le lettere di XIII. huomini illustri publicate da M. Dionigi Atanagi, e stampate in Venezia nell' an.* 1554. Vergerium dixi, duce Joan. Georg. Schelhornio Amœn. Histor. Eccles. & Liter. T. II. p. 7. cæterum nec Vergerii, nec alterius cujusvis Auctoris nomen præfert libellus ille in Romano Indice proscriptus, a Schelhornio vero in medium allatus, ceu susceptæ de M. Antonii Flaminii religione, illius Tomi initio, tractationi opportunus, idoneusque, qui Catholicis ipsis, Flaminii pietatem quotquot magni æstiment, fucum faciat. Contra ex Collectiones multo aptiores censendæ erant, quæ absque fuco comperta facerent Menchenio quæcumque de ejusdem Turriani patria, genere, vitæque instituto frustra se diu investigasse fatetur, & de quibus, postquam ex Carminibus M. Ant. Flaminii, quantum scire satis foret, percepisse se affirmavit, nonnisi tamen involuta, ne dicam inter se pugnantia, eloquitur p. 162. & sq. in

l 2 hunc

hunc modum: *Patruum habuit Rhaimundum, unde patrem ei M. Antonium, aut, quod dubitanter magis affirmarem, Rhaimundum fuisse colligo.* Unde, quæso, colligit Menchenius, monstratum ei in Flaminii Carminibus Francisci patruum, nomine Rhaimundum, patrem ejusdem potius fuisse quam patruum? Id agens, profiteri videtur, se ex illis cognovisse non quantum satis, sed plus quam opus foret scire. Falso etiam collegit, Francisco patrem fuisse M. Antonium, quem utique fratrem habuit Rhaimundus, at frater pariter eorundem Julius, a quo Franciscum procreatum fuisse discimus ex egregio Opere, cui titulus, *Verona Illustrata*. Præterea non erat cur Menchenius cespitaret in patria, & genere Francisci, ita scribens: *Solum natale idem ei contigit, ac Fracastorio. Patritii Veronensis dignitatem, nescio, an a parentibus acquisitam, an sua partam virtute tenuit.* Rhaimundus, & M. Antonius Turriani ipsum certe tuto manuducebant ad dignoscendum in Francisco germen familiæ illius, de qua ipsemet p. 158. ita locutus fuerat: *Fuit splendidissima Veronæ, multisque in literas meritis nobilissima gens Turrianorum, Hieronymo in primis patre, filiisque M. Antonio, Joanne Baptista, & Rhaimundo insigniter nobilitata.* Hæc tamen Menchenio Francisci Turriani genus quærenti lucis minus habuisse videtur. Quid? si Turriani illi omnes, Franciscus in primis, aperte omnibus sese prodant in Collectionibus paulo ante indicatis, ad quas propterea Menchenio confugiendum erat, potius quam

quam ad Indicem Carmin. Flamin. Edit. Patav. 1727. unde edoctum se scribit p. 161. Rhaimundum Turrianum (quem gratis omnino fratrum natu minimum fuisse suspicatur) maturiori ætate factum fuisse Episcopum Comensem, & Aquilejensem. Portenta fabularum hic loci, potius quam historicam veritatem, placuisse video Menchenio, quid enim monstrosius, quam Rhaimundum, de quo agimus, cum alio Rhaimundo Turriano Mediolanensi, qui ante tercentum fere annos utrasque eas Infulas tenuerat, confundere? Reponet Menchenius, Collectiones Epistolarum, unde historica illa veritas eruatur, frustra a se diu conquisitas fuisse, easque nancisci, opus fore laboriosum, & intra anni spatium vix absolvendum. Ita ipse loquitur p. 222. de Fracastorii Epistolis, sermone patrio scriptis, agens. Non vero deerit forte, qui ipsi respondeat, multo utique, quam operam in ea pervestigatione insumere, pronius & expeditius esse, scommata in Romanum Pontificem, Catholicosque omnes, quaqua arrepta occasione, jactare.

Præter Franciscum Turrianum Polus itineris comitem habuit Adamum Fumanum, ut certum me faciunt MSS. Aloysii Prioli literæ, licet de ea re ne verbum quidem legatur in Selectis doctorum Virorum testimoniis, quæ præmissa visuntur in Patavina Editione an. 1739. ejusdem Fumani Carminum, nec in Giberti Vita superius citata, cujus Cap. XXIV. pag. LIX. inter ministros & familiares insigniores Giberti Fumanus laudatur. Prioli Epistola Leodio data est die

die 28. Junii, hæcque ejus sunt verba, *Si rimanda in Italia alquanti della compagnia, fra quali il Vescovo vuole che per suoi bisogni il Torre torni a Verona, M.r Adamo, e M.r Lombardo resteranno con noi.* Fumanum Veronensis Ecclesiæ Canonicum, utraque lingua disertissimum fuisse sat comprobant testimonia illa. Unum ipse proferam ex Præfatione ipsius ad D.Basilii Operum Versionem a se confectam, quod in ea Poli Legatio Britannica commemoretur, solo tamen Giberto inter ejusdem comites nominato. De diligentia sua ad eam Versionem adhibita Fumanus in ea Præfatione ita loquitur: *Biennium jam, antequam difficillimæ ac periculosissimæ Britannicæ illius Legationis Pontifex Summus Paulus* III. *fortissimo ac sanctissimo Viro Reginaldo Polo Gibertum comitem ire jussisset, cum ego etiam (ut tute potes meminisse) Romæ essem una, exemplaribus ibi compluribus ex Vaticana Bibliotheca conquisitis, consultisque, tantum paucis diebus effeci, ut non usquequaque positæ me ea in re industriæ pœniteat. Nam loca multa, quæ in hoc, qui modo Græce editus circumfertur, varie erant depravata, ita ex illis correximus, ut sancte affirmare possim, Latinum hunce, si non tam elegantem tamque commode, ut oportuisset, expressum, at certe multis in locis illustriorem ad intelligendum fore, quam Græcum.* Ea illa est Præfatio quam superius pag. XXXIX. inscriptam diximus Victoriæ Columnæ, & de hac sapientissima fœmina ibidem narrat Fumanus, eandem, quum Romæ Caput nescio quod Operum Divi Basilii, Latine red-

redditum, sibi recitari voluisset, ita eo visam esse delectari, ut dixerit, non putare se ab Autore ipso sua lingua elegantius esse conscriptum. Quod autem affirmat Fumanus, ejus Versionis provinciam se ex imperio Giberti, qui mirum in modum eorundem Operum lectione capiebatur, suscepisse, ea confirmant, quæ de Giberti cura in extruenda Veronæ typographia, unde veterum Patrum volumina in lucem prodirent, diximus in Cap. III. Diatr. eandem in primis extollentes allatis in medium verbis Erasmi, qui in Epistola ad Germanum Brixium bona omnia apprecatur Præsuli illi Veronensi, quod suis impensis de parando studiosis omnibus insigni beneficio satageret: *Utinam* (ait) *hoc exemplum æmulentur Abbates, & Episcopi nostri prædivites*. Fumanum Poesi excelluisse fidem faciunt ejus Carmina eleganter excusa una cum illis Fracastorii in Patav. superius laudata Editione.

Lombardus, Poli & ipse itineris comes, in quibusdam etiam Poli literis nominatur, nec alius forsan a Lombardo, Turriani, & Fumani cive, de quo hæc habet Panvinius in libro de Urbis Veronæ viris doctrina, & bellica virtute illustribus: *Bartholomæus Lombardus, Veronensis, dignus admodum est, qui Philosophorum Veronensium albo a nobis adscribatur. Hic enim Aristotelicæ disciplinæ peritissimus, cum Vincentio Madio Brixiano Philosopho eximio, communes explanationes scripsit in librum Aristotelis de arte Poetica, quas Madius ipse post obitum Lombardi cum suis annotationibus edidit, apposita Lombardi Præfatione in Aristo-*

ſtotelis Poeticam, quam ad Inflammatos in Academia Patavina habuit. Ejuſdem Bartholomæi Lombardi laudes plenius proſequitur in Præfatione a Panvinio indicata Vincentius Madius, faſſus inter ſe, & Lombardum mutuam amicitiam ex amœniſſimis Philoſophiæ ſtudiis ortam, longa plus annis viginti conſuetudine, conjunctiſſimam viguiſſe. Extat vero inter Epiſtolas Italicas Hieronymi Fracaſtorii, Joanni Baptiſtæ Rhamnuſio datas, recitataſque in Collectionibus Thomæ Porcachii, & Bernardini Pinii, una, qua affirmat, ſe neque Robortelli, neque Madii in Poeticam Explanationes vidiſſe, & de Madio addit, *che intendo hà fatto favor grande al noſtro povero M. Bortolameo Lombardo attribuendogli tanto*.

Aliquid dicendum ſupereſſet de Aloyſio Priolo; at quoniam plura jam de eo diximus in Diatriba, & quoniam non hujus tantum itineris POLO comes adfuit, ſed, ejuſdem velut alter Achates, nunquam ab ejus latere diſceſſit, ac proinde frequentiſſime tam in Vita, quam in Epiſtolis POLI memoratur, id unum de ipſo hoc loco tradam, hunc POLI impulſu, dum Leodii moraretur, acres ſtimulos addidiſſe Coſmæ Gherio, de quo ſupra, ut cœptam Roffenſis Cardinalis Vitam perficeret. Id diſcimus ex Prioli Epiſtola MS. data Leodii die 5. Junii, in qua hæc leguntur: *S. S. Rma ſpera che V. S. debba ſcriverla (la Vita del veramente beato Roffenſe) e lo deſidera aſſai.... O ſe ce la mandaſte un giorno ſcritta all' improviſo, quanto ci fareſte coſa grata!*

§. III.

§. III.

Ad Epistolas

XXI. XXII. XXIII. XXIIII. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXVIIII. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIIII. XXXV. XXXVI.

SEXDECIM Epistolæ, quas §. iste complectitur, datæ sunt omnes, dum POLUS Leodii versaretur, scilicet a die 10. Jun. usque ad diem 21. Augusti. Causam, qua ductus, ad eam Urbem, relicta Cameracensi, migravit, in hunc modum declarat ejus Vita num. X. *Ibi* (Cameraci) *aliquandiu commoratus, cum non satis tutum sibi illud domicilium esse non obscure animadvertisset, alio se se recipere statuit. Nam paulo ante factus erat certior, se perduellionis reum a Rege declaratum, ac publice quoque eo nomine proscriptionem in se latam esse; ac non id tantum, verum etiam, si quis eum interemisset, ei quinquaginta millia aureorum nummum, necis præmium esse constitutum. In tantis difficultatibus atque periculis extitit unus Erardus a Marchia Cardinalis, idemque Episcopus Leodiensis, qui eum, interposita fide publica, Leodium ad se invitaret. Eo profectus, perhumaniter, ac plane fraterno amore ab amplissimo illo viro est acceptus, atque liberalissime tractatus. Sex menses illic permansit, expectans dum Anglicanæ res meliore loco esse inciperent, quemadmodum Cæsar, & Galliæ Rex, fore promiserant. Sed, dum ii sua nimis studiose conservare cupiunt, discordiis ac dissensionibus suis tyrannicam Angli domi-*

nationem confirmant, sibique ab eo illudi patiuntur. Sex mensium spatio, quod Leodiensi Poli domicilio ea Vita tribuit, palam refragantur Epistolæ mox recensendæ, intra terminos, ut dixi, duorum mensium cum dimidio conclusæ, & fortius adhuc refragantur & ea, quæ easdem proxime præcedit, die 18. Maii a Polo Cameraci exarata, & quæ proxime ipsas subsequitur data ab ipso pariter, in Italiam jam reduce, pridie Calendas Octobris. Non igitur ad solum Leodiense domicilium referendum est spatium illud, sed putandum est a Poli in Galliam ingressu usque ad finem Legationis, quæ cœpisse censenda est mense Martio, & mense Augusto expirasse; nullo quidem fausto exitu, si ad causam ejusdem inspiciamus, at maxime fausto, si animo revolvamus Poli in ea Legatione administranda virtutes præclaras ita earum Nationum oculis eluxisse, ut in omnium admiratione forent, propterea quod perfectum Viri Apostolico munere fungentis exemplar offerrent. Vitæ contemptum, quem plura jam superiorum Epistolarum loca comprobarunt, manifestius demonstrat numeri X. ejus Vitæ initium, quod hujusmodi est: *Eo tempore Anglus Senatui apud Belgas, in quo erat etiam Leodiensis Cardinalis, quatuor millia peditum, solutis ad decem menses stipendiis, auxilio adversus Gallos missurum se pollicitus fuerat, si Polum in suam potestatem traderent. Id cum Leodiensis Polo patefecisset: Errat Rex, inquit ille, qui meæ propterea vitæ insidietur, quod magno me aliquo malo affectum iri existimet,*

met, cum potius contra eventurum sit; mihi enim hisce insidiis nil aliud, quam quies quæritur; similiterque Rex facit, ut si quis dormitum ire cupienti vestem ipsam velit detrahere. Præclaros hosce sensus, Christiano Heroe vere dignos, Epistolæ etiam, quarum recensionem aggredior, confirmabunt.

Omnium prima scripta visitur ad Paulum Pontificem, hisque verbis inchoatur: *Magna jactati tempestate, in eam tandem Urbem pervenimus, quam Sanctitas Tua portum nobis tutum, & certissimum in quavis necessitate perfugium, modo illuc penetrare possemus, futurum prædixerat. Pervenimus, inquam, Leodium, atque ita pervenimus, ut cum nihil magis in votis haberemus, nihil magis contenderemus, cum nihil denique, in quo opera nostra valere posset, a nobis intentatum relinqueretur, ut eo accederemus, unde bidui iter aberamus, vix post quadraginta dies id assequi potuerimus: tantum conatus adversariorum, quasi validi venti reflantes, potuerunt, qui nos suo impetu, & terrore ex tota provincia ejicere, & Romam, unde venimus, repellere contenderunt. Atque hoc illi quidem, si nos perdere non possent, quod ante omnia spectabant, ut variis modis tentarunt, quasi secundo loco sese perfecturos existimabant.* Eadem deinde unice versatur in commendanda egregia virtute, & præstanti benignitate Antistitis Leodiensis, qui Polo officia omnia cumulate præstiterat, quæ, ut ipse loquitur, vel a filio obsequentissimo, vel ab amico fidelissimo, vel a collega conjunctissimo expectari poterant. Subditur tandem:

Reliqua, quæ ad negotium mihi a Sanctitate Tua commendatum attinent, quoniam de his Reverendus Veronensis ad Reverendum Protonotarium, Sanctitatis Tuæ Secretarium, proximis diebus diligenter perscripsit, ne molestus sim Sanctitati Tuæ, eadem omittenda duxi, Tuæque Sanctitatis pedes humillime osculor. Datum Leodii x. Junii M.D.XXXVII. Eodem die, eodemque de argumento scripta est Epistola ad Sacrum Collegium, superiori proxime juncta. Fassus in ea Polus impositam sibi ex sola pietate a Summo Pontifice provinciam, a se ex sola etiam pietate susceptam fuisse, *Reliqua* (inquit) *si non respondeant votis, tamen æquo animo sunt ferenda, ne non tam Dei voluntate, quam nostra, niti videamur, si eventus rerum, quarum solus Deus est dominus, quod præter nostram voluntatem accidant, ægre nos ferre ostendamus.* Ei Epistolæ subjungitur Cardinalium responsum, quo Poli virtutibus collaudatis, de summa negotii illi commissi difficultate in hunc modum loquuntur: *Non ea res suscepta est, quæ lenitatem perferret, sed aspera admodum, & duræ tractationis; cui tamen æquanimiter se accommodare oportet, cum tristia, & inamœna quælibet tolerare sit æquum, quicumque in Vinea Domini laboramus. Deus, & laborem leniet, & exitum dabit, quem expectamus, cum reditu optato, felicem.* Eodem tandem die consignata est Epistola ad Contarenum, quæ statim post tres illas recitatur. Polus in ea prius agit de re pecuniaria, quam Contarenus apud Pontificem procuraverat, actis-

actisque huic ea de re gratiis, dolet propter vim naturæ suæ illatam ab extraordinariis Legationis suæ sumptibus, *Sed necessitati* (inquit) *resistere non potuimus, cui omnia cedunt, quæ, ut habet antiquus versus, ipsum summum exsuperarent Jovem.* Quod vero ad Legationis ejusdem causam spectat, præmissa studii sui erga Henricum Regem significatione, accusataque ejusdem Consiliariorum voluntate, qui omni loco, & tempore calcaneum suum observabant, se maxime sperare subjungit rem tandem optime successuram, si in ea vel mediocris cura adhibeatur; qua ratione clarissimi Israelitæ contra fratres Beniamin pugnantes, Deo duce illis providente, gloriose vicerunt. Demum hisce verbis Epistolam absolvit: *Quod vero in altera parte litterarum tuarum scripsisti, Pontificem ardenter perseverare in ipso suo instituto, & optimo suo animo de Reformatione, valde quidem animum meum exhilarasti: & non minus in illis Philippi Melanchthonis capitulis, quibus tuam sententiam adjunxisti, quæ libentissime docta, & pia tua censura examinata legi, & in maximam spem veni, Pontifice perseverante in censura morum, in cæteris non ita magnam futuram controversiam, ut non facile ad professionem unius fidei in charitate omnes provinciæ consentiant. Quod pro sua misericordia Christus hoc misero sæculo concedere dignetur, qui te sibi, & Ecclesiæ diutissime servet incolumem.* Quibus verbis quid clarius ad testandum Pauli Pontificis in urgendo Reformationis negotio optimum animum? & ex iis etiam di-

discimus, articulos a Philippo Melanchtone in Conventu Smalcaldico propositos, Contareni quidem censuram promeruisse, at eam non solum doctam, & piam, sed quæ spem Ecclesiasticæ pacis obtinendæ, *Pontifice perseverante in censura morum*, foveret, potius quam præscinderet. Eos articulos, & quæcumque in illo Conventu seu gessit seu scripsit Melanchton, fatentur Heterodoxi eorum rebus haud parum incommodare, ut facile intelliget, qui pro dignoscenda ejusdem Conventus historia adeat Commentarium Sechendorfii lib. III. Sect. 16. §. LV. præsertim in Additione.

Adnotantur n.XXV.literæ,quibus Polus respondet iis,quas die 22.Maii a Contareno datas acceperat. Spectantia ad rei nummariæ negotium, paucis expedit, dolens, ut in aliis fecerat, sibi opus fuisse ea flagitare, quæ in minimis suis curis semper ponenda statuerat; nec fusior est in expendenda seu celeris sui in Italiam reditus, seu longioris in Belgio commorationis utilitate. Quoniam tamen Contarenus ei scripserat non quidem reditum nimis accelerandum, sed tamen cavendum, ne in angulo diutius delitesceret, quod certe non satis dignitatis habere videretur, ita Polus reponit: *Quod ad hanc partem attinet, scito, ut delitescam, hoc mihi per adversarios minime licere, qui, multo magis quam vellem, per nuncios, & speculatores suos, non solum per hanc provinciam, sed omnes vicinas regiones, meam hic commorationem celebrari faciunt, sic autem omnia ve-*

stigia

ſtigia mea obſervant, ut non modo hic latere, ſed neque aliquo me movere poſſem, ut non facilius exercitus deliteſcere, quam ego hoc tempore poſſem. Quod ſi ea præcipua mihi cura eſſet, ut meæ ſaluti conſulerem, primo quoque tempore hinc ut aliqua ratione me ſubducerem, in primis conandum judicarem. Verum ſi quod magis conducat, potius eſt attendendum, prodeſſe maxime, nulla vero ex parte obeſſe dignitati poſſe judico hic meam commorationem ad tempus. Eum tamen celerem reditum tam Pontifici, quam Contareno placuiſſe intelligimus ex hujus literis datis pridie Calend. Julii. *Multum tibi timet* (ait Contarenus de Pontifice loquens) *in iis regionibus degenti, quem cenſet ſumma diligentia ſervandum eſſe, veluti pretioſum Theſaurum, ut ejus verbis utar, cum aliis rebus, ac commoditatibus Eccleſiæ, tum melioribus temporibus; ideoque appetentibus etiam Calendis Novembribus, quibus indictum Concilium eſt, reor, eum decrevisse, ut ad nos tuto redeas*. Addit, ſe non tantum ſummo deſiderio Poli videndi, ac fruendi jucundiſſima ejus conſuetudine ductum, verum e Rep. eſſe cenſere, ut cito redeat, *nam* (inquit) *nullum aditum conjicere poſſum patere nobis ad ſanandum, aut aliqua ratione curandum eum morbum, cujus curationem ſummopere cupimus*. Pauculis diebus poſt eas Contareni literas, ſuas dedit ad POLUM Cardinalis Sadoletus, officioſas tantum & breves, quibus nempe dolet Poli conatus non eum habuiſſe exitum, qui in votis erat: *Sed hoc* (inquit) *æquiore animo fero, quod ita præ-*

prævideram. Tu modo salvum te nobis exhibeas, atque restituas. Occasiones aliæ non deerunt. Datæ sunt Romæ IV. Nonas Julii. Contareni Literas illas recitat Collectio nostra n. XXVI, & has Sadoleti num. XXVII.

Tres autem numeri, qui subsequuntur, adnotandis mutuis Poli, & Contareni, interjectisque inter ipsas Epistolæ ad Polum datæ ab Anglo juvene, Lovanii literis operam dante, fragmentis inserviunt. Poli Epistolæ pars prima breviter perstringit angustias, in quas ipse conjectum se viderat, antequam Leodii receptus fuisset; breviter, inquam, nam de hisce rebus binas jam ad Contarenum, & ad Pontificem literas scripserat, quas ad eorum manus pervenisse existimabat. At valde efficaciter inculcat, quæ faciunt ad causam diuturnioris suæ in eis regionibus commorationis. *Nec vero* (ait) *de indignitate est timendum, cum nihil magis dignitatem tueatur, quam quod ausi sumus, & audemus contra tot minas in his locis subsistere, in quibus causæ adversarius minime omnium nos manere velit, & ejecturum minatur. Quod si nunc discederemus, etiam ejecisse gloriaretur. Sed hoc non tanti existimandum est, quid ille aut dicat, aut glorietur, nisi eadem res multorum bonorum animos magis fortasse quam quicquam eorum, quæ hactenus contra illorum spem acciderint, dejiceret.* Statim subdit, se ei mittere exemplum literarum, quas Anglus quidam Vir bonus, Lovanii studiis incumbens, sibi miserat, & quibus quid de ea com-

commoratione ſua iſte ſentiret, quid conſilii daret ad religionis cauſam adjuvandam, Contarenus intelligeret. Hæc, ut dixi, in prima Poli Epiſtolæ parte leguntur; iis vero ſtatim ſubjungitur: *Hactenus jam ſcripſeram, cum ecce Pontificis litteræ mihi redduntur, quæ inanem omnem priorem deliberationem, quam ſuperioribus ſcriptis de mea hic commoratione ſum complexus, oſtendunt. Illæ enim me revocant, & primo quoque tempore reditum ornare jubent. Quibus cum promptiſſimo animo parere ſim paratus, fruſtra quidem priora ſcripta mitto, niſi forte hoc ad rem facit, ut ex illis, & ex iis, quas nunc ſcribo, ſcias nihil tam fixum in animo meo eſſe poſſe, quod non ſtatim ad imperium illius, cujus obedientiæ me totum dedi, ſim rejecturus.* Eandem obedientiam ſe Pontifici ipſi datis literis teſtatam facere affirmat, nec tamen diſſimulat, ſe optaſſe, *ut vel agricolarum patientiam tali in cauſa, qui agricolas animarum eſſe profitemur, oſtenderemus.* Plura poſtea habet de itineris ſecuritate, atque ita loquitur: *Quod reliquum eſt, cum quantum erit in nobis procuraverimus ad itineris ſecuritatem (ne ſi aliter faceremus, ut nunc ſunt tempora, temere nos proceſſiſſe videri poſſemus) alacres, ut ſpero, poſtea nos itineri dabimus, præſertim cum hac primum ſpe nos conſolati fuerimus, ſi quid adverſi acciderit, id nobis Dei voluntate accidiſſe, & ob ejus cauſam nos pati, & cum Dei filio compati. Quod ſi compatiamur, & conregnabimus.* Rogat tandem, ut Contareno curæ ſit, ne Epiſcopus Veronenſis poſt graves labores, quos pertulerat, il-

lum etiam adjungere compellatur, scilicet Romam usque progrediendi, postquam Veronam, sedem suam, adierit. Datæ sunt hæ POLI literæ 21. Julii. Eo ipso die suas dedit Contarenus ad POLUM, at breviusculas ex temporis angustia. Significat, se nudius tertiùs cum Pontifice egisse, ut literæ Apostolicæ Regi Romanorum, Regi Galliæ, & Archiepiscopo Coloniensi scribantur, quibus a Principibus illis efficaciter contendatur, ut tutum ei reditum procurent; negotiumque earum mittendarum Blosio datum fuisse; Pontificem tamen reditum per Galliam præferre, ubi agendum non foret cum tot Principibus, quorum diversæ sunt factiones: *Hæc sententia* (inquit) *mihi quoque magis probatur. Deus Optimus diriget gressus vestros. Cadent a latere vestro mille, item decem millia, ad vos autem non appropinquabunt. Ego avidissime expecto vestrum reditum.* At ab illa sententia longe aberat POLUS, qui in superioribus eidem ita scripserat: *At certe nimis recens est hæc plaga, quam ex nimia credulitate accepimus, dum Cæsaris Oratoris verbis sine litteris de nostro in Flandriam transitu crederemus (quæ præcipuas difficultates, & pericula maxima peperit) quam ut iterum spei tantum nostræ, nec litteris, nec verbis eorum adbuc confirmatæ, simili in periculo credamus. Sed Domino credimus, & in Domino confidimus.* Ut aliquid dicam etiam de Angli illius juvenis ad POLUM literis, quæ jam jam allatas interjacent, harum exordium hujusmodi est: *Libenter accepi ex hoc tabellario, te istbic menses aliquot*

com-

commoraturum, Pater Sanctissime, libentius auditurus, te in his regionibus hybernaturum, quia res Britannicæ Ecclesiæ, & Patriæ tuæ salus necessario id exposcere videntur. Duo postea ceu valde utilia religionis causæ futura proponit. Primum, ut Summi Pontificis authoritate indicto prius universæ Ecclesiæ jejunio, quod Jovis die quopiam inchoetur, receptaque ab omnibus, quarto, nempe Dominico, die, Eucharistia, Supplicationes ubique fiant, sed divulgata causa, Sacerdotibus cum populo Deum orantibus, ut universæ Ecclesiæ pacem, ac concordiam restituat, ut Germanos, ac Britannos ad unitatem Ecclesiæ revocet. Id consilii adeo Polo arrisit, ut Contareno in iisdem literis scribere non dubitaverit: *Memet certe mei ipsius suppudebat, cum illam legerem, quod non prius mea sponte de hac re cum Sanctissimo Domino Nostro egissem, quod plus causæ prodesse posse nunc video, quam non modo censuræ illæ, & execrationes, de quibus toties est actum, sed vel quicquam illorum, quæ vel ante, vel hoc tempore excogitare potui.* Secundo loco, Anglus ille proponit, ut libellus aliquis, Paulinam charitatem, ac pectus referens, in publicum prodeat typis excusus, qui unitatem, & authoritatem Ecclesiæ tueatur, quique, quantum inter Regiam potestatem, & Pontificiam interfit, luculenter declaret ex Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum authoritate, & sententiis, confutans eum librum, qui eodem argumento ante aliquot annos prodierat in Britannia. data opera, ut corrumperet,

ac tenebris offuſcaret veritatem; *Quo in libro* (ſubdit) *conſilium itineris tui, ac Legationis a te ſuſceptæ aperiri poterit, aliaque Apoſtolico ſpiritu tractari, quæ ad ſarciendam Eccleſiæ pacem, atque concordiam, aut ad emolliendos obduratorum animos facere videbuntur. Iſtiuſmodi Opuſculum non tantum Britannis conducet, ſed univerſæ prorſus Eccleſiæ.* Tandem juvenis ille Chriſtiano candore ſubjungere non eſt veritus: *Quæ ad Regem, & ejuſdem Conſultores a Tua Paternitate in Britanniam ſcripta privatim mittuntur, ea crede cum maximis cachinnis excipi, & ceu nihil ponderis habentia irrideri.*

Hic ipſe Angli libellus, non Latina tantum, ſed & Græca lingua exaratus, quomodo omni laude dignus ob pietatem, & eruditionem tam Pontifici, quam ſibi, viſus fuerit, Contarenus explicat literis numeri XXXI. quæ præterea declarant tres cauſas, quibus Pontifex adductus fuerat ad POLUM in Italiam revocandum: *Prima* (inquit) *quod non ſine indignitate putabat te iſthic amplius moram trahere abſque ſpe ulla quicpiam efficiendi; deinde, quod, & tibi timeret, ac etiam vereretur, ne Leodienſis, magis quam par eſſet, incommodi caperet ob diuturnam veſtri cunctationem Leodii; poſtremo, cum indictionis Concilii tempus, Kalendæ, inquam, Novembres, jam prope eſſe incipiant, ſummopere concupiviſſe, ut ad id tempus tu quoque nobiſcum adeſſes.* Subdit tamen, conſilium vel reditus, vel manſionis, ejus judicio a Pontifice permitti: *Facias tu id, quod magis in rem Chriſtianam*

nam fore existimabis. Hæc summa. Nescio, an hæ nostræ litteræ te sint inventuræ in Flandria, an in itinere. Deus Opt. Max. dux tui itineris est. Quicquid evenerit in meliorem partem accipito. Nonnulla tandem habet de magno Turcarum apparatu, quos in Italiam trajicere posse Pontifex, aliique maximopere verebantur. Datæ sunt literæ 12. Augusti. At ante biduum suas Contareno dederat Polus n. XXXII. signatas, quibus eidem parata jam omnia ad reversionem significat, nec aliud expectari, nisi ut Leodiensis Cardinalis, Aula Reginæ relicta, Leodium ipse reverteretur, quippe qui Veronensi Episcopo, se adeunti, professus fuerat, se non posse pati, *ut prius e provincia discederemus, quam mutuo salutaremus.*

Polus itaque quam citius Leodio discessurus, officiosas literas dedit Domino de Prat, Domino Scerperio, & Domino Archiepiscopo Panhormitano, quibus omnibus grati animi sensus declarat ob exhibita ab ipsis (primas in Reginæ Consiliis partes tenebant) erga se singularis humanitatis officia; testatur insuper, se immortaliter debere, ac debiturum Leodiensis Antistitis non humanitati tantum, sed plusquam Regiæ liberalitati. Hæc cujusmodi fuerit statim ex MSS. Prioli literis aperiam. Tres illæ, quas paucis verbis modo complexus sum, præferunt numeros XXXIII. XXXIV. XXXV. datæque visuntur uno eodemque die, quo illæ ad Contarenum.

Claudit præsentis §. censum Poli Epistola ad hunc ipsum data 21. Augusti, dum crastino die Leodio

foret discessurus, & in ea quoque humanitatem, & munificentiam Leodiensis extollit, additque, nihil ab ipso omissum, ut itineris sui securitati consuleret.

Regiam hanc Leodiensis illius Antistitis liberalitatem manifestiorem adhuc reddunt MSS. Prioli Epistolæ, eamque propterea, non aliis verbis repræsentabo, quam quibus illam exposuit idem Priolus ad Beccatellum scribens eo ipso die 21. Aug. quo laudatam a Polo vidimus in Epistola jam jam recensita. Ita autem se habet: *Dimani piacendo al Sig. Dio si partiremo. Dappoi le ultime mie, per le quali vi scrissi l'arrivar del Rmo Leodiense in questa Città, e l'ottima ciera che l'aveva fatto al Rmo Legato, mostrandogli un animo benevolentissimo, e più che paterno, S. S. Rma ogni dì, ed ogni hora ha continuato in più dimostrargli tal suo ottimo animo. E tra l'altre cortesie, il giorno dappoi l'arrivar suo gli mandò squarciato uno scritto delli Scudi 1500. che S. Sig. ricevè da lui nel nostro giunger qui; ed altri doi dì dappoi questo gli mandò altri doi mila Scudi, pregandolo che 'l volesse per amor suo goderli in una Credenza d'argento, o in quel modo che più gli tornasse comodo: nè valse resistenza alcuna, che bisognò che li accettasse; e già questi doi mila Scudi sono stati rimessi al Clariss. M. Tomaso Contarini nostro, che averà cura di far fare gli argenti con le arme del Rmo Leodiense, la cortesia, ed amorevolezza del quale, oltra le narrate, in verità è tanto grande, che maggiore non si potria desiderare. Il Siguor Dio glie la renda. Il Sig. Legato scrive in genere a S. Sant. ed al Reveren-*

rendiss. nostro di ciò, ma Monsig. di Verona in particolare al Segretario di S. Sant., e si lascia intendere, che li mille e cinquecento Scudi gli saranno fatti buoni a conto delle spese, perche avranno tanto manco gravezza delle spese straordinarie e fatte, e che si faranno in questo passar, secondo il consilio di colui che ci guida. En, quænam fuerit regia Leodiensis Antistitis liberalitas, de qua propterea Polus ad Dom. de Prat vere scribere potuerit, *eam tantam fuisse, ut omnes fere thesauros, arcasque suas mecum videatur voluisse esse communes*. Eandem liberalitatem luculenter testatam reperio in Erasmi Epistola, quæ MCXXVIII. est Batavæ anni MDCCIII. Editionis, in qua Cardin. Leodiensi ita scribit: *Audio te non solum ditionem tuam, verum etiam Cæsareæ ditionis urbes magnificis ædificiis exornare; quæ res tibi non mediocrem liberalitatis, atque adeo pietatis in Rempublicam laudem conciliat: fatentur enim omnes, merito in unum tantum opum ac dignitatum congestum, qui quod nactus est facultatum aut splendoris, non sibi vindicat, sed ad publicam confert utilitatem*. Hortatur deinde ipsum Erasmus, ut opibus suis Collegii trilinguis, quod nuper Lovanii institutum fuerat, commodis faveret, qua ratione optime de studiis promeritus, quemadmodum apud homines plurimum veræ gloriæ compararet, ita apud Deum rem cum primis gratam fœneraretur, *nam* (inquit) *quo verbo potius utar, quum pro temporaria munificentia cœlestis vitæ præmium reponitur?* Fœnori huic operam revera dedisse

disse Erardum a Marka docent nos plures libri ab ipso Erasmo, aliisque eidem inscripti, nam eorum Præfationes fidem faciunt, insignia beneficia in literas, literatosque conferri ab ipso consuevisse, ac proinde verum esse demonstrasse, quod ipsi in eadem Epistola Erasmus significaverat, videlicet, qui hoc animo sit, ut quantum potest, tantum & velit omnibus benefacere, huic quodammodo præstare officium qui vellicat aurem, admonens, ubi recte valeat beneficium collocari. At majorem laudem promeritum fuisse Cardinalem Leodiensem ex maxima cura suscepta in moribus Diœcesis suæ, Cleri præsertim, emendandis, eique negotio valde utilem operam POLUM contulisse, ex proximo §. innotescet.

Hunc claudo ex MSS. Prioli literis ea decerpens, quæ edita a POLO in Leodiensi domicilio Christianæ pietatis exempla patefaciunt. Quam sancte ibidem iste, suique horas partirentur, Priolus Beccatello die 28. Julii his verbis exponit: *La mattina ogn'uno si sta nella sua camera fino a un'bora e mezza innanzi pranzo, nella qual'bora convenimo in una Chiesivola domestica, ed insieme cantiamo le ore* more Theatinico *senza canto. Monsig. di Verona è il nostro Maestro di capella. Dette le bore, si ode Messa, e poco dappoi si disna: a parte della mensa si legge S. Bernardo: poi si ragiona.* Postquam vero exempta fames epulis &c. *il Vescovo legge ordinariamente un Capitolo d'Eusebio* de Demonstratione Evangelica: *si continua, e ripiglia dappoi qualche onesto e grato ragionamento che dura fino a una,*

o

o doi hore dopo mezzo giorno; ed allora ogn' uno ritorna alla sua camera, ove si sta fino a un' ora e mezza innanzi cena: a quell'hora cantiamo Vespero, e Compieta; e dappoi il Rm̃o Legato si ha tandem *lasciato exorare di leggerci le Epistole di S. Paolo* alternis diebus; *ed ha incominciato dalla prima a Timoteo, con somma sodisfazione del Vescovo, e di tutti noi. O quanto desidero e voi, ed il nostro dabbenissimo Vescovo di Fano a questa santissima lezione da questo santissimo uomo con tanta riverenza, ed umiltà, e con tanto giudizio letta, che io non saprei certo desiderar meglio! ne credo che l' amor m'inganni questa volta. Spero dalle micche ch'io ne racoglierò potervene dar buon saggio, quando al signor Dio piacerà che ci troviamo insieme. Alquanto dopo la lezione si cena: si va per una o doi hore in barca per il fiume, o in l'horto passeggiando, e ragionando sempre di cose convenienti a questi Signori; e spesso spesso, anzi cottidianamente desideriamo, e chiamiamo il Rm̃o vostro, e la sua compagnia a questo nostro honesto, e bel tempo, ringraziando il Signor Dio di tanto bene, che'l si degna di concederne. O quante volte mi replica il Signor Legato*: Certe Deus nobis hæc otia fecit! *O quanto gli siamo obbligati* etiam hoc nomine! *ed aggiugne sempre: O perche non è Monsig. Contarini con noi?*

Genus hoc vitæ degendæ a Polo in Apostolica Legatione obeunda susceptum atque servatum comparent nunc Heterodoxi cum moribus atque institutis Lutheri, aliorumque, quos Christi Legatione functos in avita religione evertenda existimant ac veneran-

tur. Ut de iis tantum loquar, qui Smalcaldiam, dum Polus Leodii ageret, ad decernendum de Pontificia Concilii indictione, aliisque sacris rebus convenerant, narrat Joannes Cochlæus in Commentariis de Actis & Scriptis Lutheri ad an. 1537. tam Lutherum, quam ejus discipulos in eo Conventu impugnasse omni machinationum genere Concilii auctoritatem, adversus illud, nullum modum servantes, pasquillos, novas Beelsebub Epistolas, & ludicra alia figmenta in vulgus sparsisse, etsi in Indictionis Diplomate Paulus Pontifex sancte testatus fuisset, se cogendi Concilii propositum suscepisse, *Ut sic universo Orbe in unum idemque ovile Domini coalescente, in vera fide, spe, & charitate, sobrie, juste, & pie vivatur, & inde ab Omnipotenti Deo corona justitiæ expectetur*. Ad eas ineptias, ad ea nugamenta abiisse in Conventu illo Smalcaldiæ Lutheranos, quo ipso tempore Romanæ Curiæ ablegatus, tam ipse, quam comites, quos secum ex Italia duxerat, cœlestium rerum studio unice occuparentur, cui non occasionem judicandi suppeditet, sinceram religionem his, potius quam illis, cordi fuisse?

Eusebii Opus de Demonstratione Evangelica, cujus Caput unum, statim ac fames epulis exemta foret, ab Episcopo Veronense, ut Priolus prodidit, legebatur, unus erat ex iis Græcis libris, quos in Latinum idioma converti idem Episcopus curaverat. Id discimus ex Præfatione ejus Operis Paulo III. inscripta a Donato Veronense, qua refert, eundem Ro-

ma

ma domum regressum, quo migraverat, recens electum Pontificem veneraturus, haud satis habuisse ejusdem probitatem, religionem, prudentiam, & magnitudinem animi prædicare, faterique tandem tempus illud, quo Deus Ecclesiæ suæ labefactatæ, ac nutanti consuleret, venisse, sed præterea cogitasse de certo aliquo gratissimi animi sui testimonio inveniendo, ac palam efferendo, indeque in memoriam revocasse, quos sibi Latine reddendos tradiderat libros Eusebii de Evangelica Demonstratione. Subdit vero, Gibertum ad munus illud Paulo exhibendum libentius devenisse, quod ipsi innotesceret, *Te* (ita Pontificem in ea Prefatione alloquitur Donatus) *illorum Græcum exemplar, quod unum in Italia penes Joannem Franciscum Mirandulensem Principem extaret (Virum, cujus in omni genere literarum, omnibusque magnarum artium disciplinis industria, atque excellentia nunquam satis prædicabitur) omni studio & habendum, & legendum curasse, idemque summopere laudare consuevisse*. Annon hæc ipsa Pauli III. cura, annon sacra ea lectio ab eodem usurpata, annon ingenii, & doctrinæ munera, quibus ipse impense delectabatur, ostendunt, eundem Pontificem (quidquid adversus eum garriant Heterodoxi) Evangelicam veritatem maximopere adamasse, atque fovisse?

§. IV.

Ad Epistolas

XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV.

PRIOR ex Epistolis istis reducem in Italiam POLUM exhibet; isque in ea Contareno statim narrans, se Tridenti tantum, Ambrosii Protonotarii illam accepisse, qua, Pontificis verbis, suo judicio integrum relinquebatur, sive hybernare vellet in provincia Leodiensi, sive ad Urbem redire, mox subdit, judicium suum tale esse, ut optime cecidisse existimet, quod evenit, idest, ut non prius illas literas haberet, quam prioribus paruisset. Locum autem, unde Epistolam suam dabat, & prosequendi Romam usque itineris rationem his verbis declarat: *Has enim literas Bovolonæ in Villa Rev. Veronensis scripsi, quæ non longe ab Hostilia oppido Agri Mantuani in ripa Padi posito distat, quo nos cras cogitamus, ut inde Ferrariam secundo Pado navigemus, & post eodem flumine usque Ravennam; hoc enim, & ad facilitatem itineris maxime confert, &, cum nos Loretum cogitemus, illa via maxime compendiosa videtur. Rev. Veronensis Ferrariæ nos relinquet.* Commendat insuper Veronensis Episcopi erga se pietatem, qui, ut præsens, consilio, amore, omni genere officiorum se prosequi nunquam cessaverat, sic multo magis discedentem, adjunctis etiam liberalitatis

suæ

suæ pignoribus, *in quem* (inquit) *ego potius liberalis esse deberem. Sed hoc, cum Deus dederit, nunc abstulisse videtur, ut aliorum liberalitati locum faciat*. Denique affirmat jucundissimum sibi accidisse, Veronæ amplecti Thomam Contareni fratrem, & Matthæum Dandalum, sororis ejus Virum, *qui* (inquit) *statim ut de meo adventu audierunt, eo advolarunt. Haud alio, mihi crede, genere gaudii illos amplexans animum mihi profundi sentiebam, quam quo solebam perfundi parentes, & propinquos ex longo intervallo videns, quos in horum similes Deus transtulisse videtur. Priolus noster alter Achates a latere nusquam discedit. Reliqua coram, ut spero, brevi. Christus te servet*. Data est hæc Epistola pridie Calend. Octobris.

Antequam autem Polum (literas quæ subsequuntur recensendo) Romam deducam, quid ipse in eo transitu, Veronæ egerit, operæ pretium puto explicare, unde scilicet constet novo argumento, Heterodoxos nihil prorsus videre, dum sacram Catholicorum rebus nocendi famem exsaturent. Degebat in ea Urbe M. Antonius Flaminius, quo tempore Polus ad eam, ut diximus, ex Legatione revertens advenit, quumque, suasore Giberto, Explanationes quasdam in duos & triginta psalmos lucubrasset, quam valide a Polo excitatus fuerit ad easdem in vulgus edendas, his ipse verbis testatur in Præfatione, qua illas Paulo Pontifici nuncupavit: *Accidit autem nuper, ut Reginaldus Polus, Vir literarum, & omnium virtutum gloria præstantissimus, Veronam veniret*

ret ex Gallia revertens, quo tu illum simul cum Giberto maximis de rebus legaveras. Is cum forte has meas lucubrationes incboatas, & rudes legisset, a me summopere contendit, ut illas quamprimum emendarem, atque in vulgus ederem, quod eam rem hominibus piis, & religiosis non inutilem fore judicaret. Eas igitur paulo post publici juris fecit Flaminius, ratus, etsi periculosum foret, quod Giberto, & sibi familiariter scripserat, id pervulgari, atque edi, tanquam omnibus scriptum, Polo tamen morem gerere se debere: *Cur enim* (inquit) *ejus hominis ego judicium contemnerem, cujus in omni literarum genere apud te, ac cæteros omnes gravissima foret authoritas? aut qui poteram ejus voluntati non parere, qui me amice amaret, carissimumque haberet, quemque ego propter singulares ejus virtutes summa semper observantia coluissem?* Idem Flaminius alios præterea labores in psalmis interpretandis insumpsit, nam integrum eorum librum explanavit, & tandem triginta ex ipsis Latino carmine reddidit. Quotquot ex Heterodoxis Flaminii Christianam pietatem collaudant, in cœlum præsertim extollunt eas in psalmos lucubrationes; nam in ipsis, ajunt, ubivis elucere eximiam in Deum pietatem, ardensque Numini optimo serviendi placendique studium, & animum divino spiritu repletum, addentes tamen, in iisdem animi sui sensa de præcipuis Christianæ fidei capitibus, deque pia & recta vitæ institutione, ita exponere, ut nemo *Evangelicæ Ecclesiæ* addictus aliquid amplius possit desiderare, ita

ita concinnasse & Paraphrasin, & Explanationem illam, ut nec ipse Lutherus nec tantillum in iis obelo dignum fuisset deprehensurus. Hæc ipsa verba in libello superius pag. LXXXIII. citato de M. Antonii Flaminii religione habet Schelhornius, quibus certe facit, ut optimo jure petere Catholici ab eo valeant, ut, antequam isti iisdem præconiis absque ullo temperamento subscribere adigantur, ipse, omnesque ejus Contribules, nulla pariter exceptione facta, volentes libentesque amplectantur, quæ in Præfatione ad Explanationes illas Flaminius de Romani Pontificis dignitate, & potestate exaravit. Ea quæ præfixa visitur Explanationi, de qua hujus loci erat differere, Paulum Pontificem primo collaudat, quod ut cæteris omnibus ingenuis artibus a puero semper studuerat, ita Poetas Græcos, & Latinos maxima diligentia perlegisset, deinde ipsum his verbis affatur: *Quid? quod castissimus summi Dei cultus, plenissimaque pietatis religio, summa omnium voluntate fidei tuæ, præstantissimæque virtuti credita est, atque in terris maximi numinis locum tenes. Ad quem igitur mitterem potius explanationem libri sanctissimi, quam ad custodem, & principem omnis sanctitatis, quem jure omnes sanctissimum & colimus, & nominamus?* Id certe eo justius petere posse videmur, quod Schelhornius aliam Flaminianarum Explanationum Præfationem, inscriptam scilicet Cardinali Alexandro Farnesio, æque sanctam putaverit ac Explanationes ipsas, & proinde dignam habuerit, quam integram, paucis primis lineis

ex-

exceptis, libello illi suo insereret. Quare eodem pariter loco habenda ab ipsis videtur Præfatio, de qua loquimur; nec enim puto iisdem visum iri, studium Numini Optimo serviendi placendique, quo homo ille, in primis psalmorum Explanationi incumbens, flagrabat, ab Operis ejusdem fastigio, cujusmodi Præfatio ad Paulum Pontificem, abfuisse, imo vero in fœdæ assenrationis vitium immigrasse. Id autem si revera accidisse arbitrenrur, nil erit quod sibi plaudant de eximia Flaminii religione, & de eo homine ad partes suas pertracto, indeque Catholicorum partibus illudant. Si igitur nunquam rei, quam postulo, assensum sunt præbituri, desinanr, amabo, egregiam laudem, & spolia ampla a se relata jactare ex eo Flaminianarum Explanationum corpore, quippe qui eidem cervicem equinam inesse fateri cogantur. At de Flaminii religione aderit alibi dicendi locus. Hujus vero sit adnotare, omni verisimilitudine carere, Opus a Flaminio, sanctis, ut ipse loquitur in ea Præfatione, Giberti Episcopi, divinarum literarum amantissimi, precibus susceptum, & voluntate Cardinalis Poli, cujus in omni literarum genere apud Romanum Pontificem, ac cæteros omnes gravissima foret authoritas, ut idem pariter affirmat, evulgatum, tandemque eidem Pontifici dicatum, cujus fidei in eadem Præfatione castissimum summi Dei cultum, plenissimamque pietatis religionem credita fuisse asseverat, atque ipsum in terris maximi Numinis locum tenere, insuperque ceu custodem, &

& principem omnis ſanctitatis, jure ab omnibus ſanctiſſimum, & coli, & nominari, Opus, inquam, hujuſmodi non Catholicorum, ſed Heterodoxorum, ſententiis favere. Adnotabo præterea, teſtimonia quæ ex iis Explanationibus decerpta Schelhornius in medium attulit a pag. 67. uſque ad p. 80. quæque ipſe luculentiſſime demonſtrare contendit noſtram in rebus ſpiritualibus ἀδυναμίαν, gratiam Dei, & juſtificationem hominis peccatoris per ſolum meritum Chriſti vera fide apprehenſum, *quo articulo* (ait ille) *cadente cæteros cadere omnes, ſtante autem univerſam ſtare religionem, Theologorum probatiſſimorum eſt ſententia*, ea, inquam, teſtimonia facile evinci poſſe haudquaquam refragari Concilii Trident. Seſſ. VI. Cap. VIII. ubi docemur, gratis hominem, & per fidem ex Pauli Apoſtoli doctrina juſtificari, *quod nihil eorum, quæ ejus juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationem promeretur*, & Cap. IX. *neque remitti, neque remiſſa unquam fuiſſe peccata niſi gratis divina miſericordia propter Chriſtum*. Refragarentur autem Tridentinis ſanctionibus, & cum Lutheranorum erroribus convenirent, Flaminii dicta, quæ adſtruerent, hominem ſeu ex ſola fide juſtificari, ſeu teneri ex fide, cui falſum ſubeſſe non poſſit, ad credendum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum, & ſe eſſe in numero Prædeſtinatorum. Nihil hujuſmodi in Excerptis illis, nihil proinde in toto eo libro, ex quo inſuper depromi poſſent, quæ certitudinem illam evertunt; cujuſmodi

certe est quod prodit ad Psalmum CXXX. & ad ea verba, *Speret Israel in Domino*, fassus, in certamine conscientiæ, quum lex, diabolus, & sensus, peccati nos accusant ad tribunal Dei (quod maxime quidem evenit imminente morte) difficillimum esse desperationi resistere, sed optime tamen sperandum ob infinitam Dei misericordiam. Ita quidem ille loquitur ex Catholicorum mente spem, eamque firmam, admittentium, invectam vero a Lutheranis certitudinem, unde absona quam plura consequuntur, rejicientium. Demum non video, quo jure Schelhornius, observans, neque in iis Explanationibus, neque in sacris Carminibus, quæ Flaminius jam prope animam agens composuit, preces ad Mariam Virginem, aliosque Sanctos ab eo seu commendatas, seu fusas comparere, pæana sibi canere posse visus fuerit, perinde ac si Cœlitum cultum, atque suffragia ille damnasset. Non video certe, nam facile Schelhornius observare etiam potuisset, inter Flaminii Epistolas (quas integras, ut plenius inde constet in hoc sinceræ pietatis cultum & doctrinæ cœlestis studium viguisse, in eodem libello exhibet) unam extare, quæ agnitum a Flaminio Cœlitum cultum apertissime comprobat. Data ea est ad Carolum Gualteruccium, ibique libellus de Imitatione Christi ita plene laudatur, ut similis Scripturæ Sanctæ (unicum ex eo nævum de itinere Timoris amovendum prius monuerat) a Flaminio prædicetur. In eo autem loca non desunt, quæ Cœlitum cul-

cultum, precumque ad ipsos fusarum utilitatem inculcant: *Circa principalia festa renovanda sunt bona exercitia & Sanctorum suffragia ferventius imploranda*, ita lib. I. cap. 19. & lib. III. cap. 58. *Melius est Sanctos devotis precibus & lacrymis exorare, & eorum suffragia humili mente implorare, quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari*. Quoniam vero Epistolam Flaminii ad Gualteruccium laudandi incidit occasio, haud omittam monere, in eadem etiam non deesse locum, qui haud bene convenit cum doctrina certitudinis, de qua paulo ante. Quisnam timor verum Christianum deceat, his verbis ibi declarat: *Ut ille vitam degat in perpetuo timore sui ipsius, & pertimescat semper, ne affectiones, & appetitus animi impellant ipsum ad facinus aliquod indignum professione & dignitate sua, quo contristetur Spiritus sanctus, qui in ipso est*. Jactent nunc Lutherani, in eo illo dogmate, quod suæ doctrinæ fundum vocant, Flaminium cum ipsis sentire. At hæc loca Schelhornio perscrutari non intererat, quippe quæ minime inservirent, ut ad suos conversus Ovidianum illud occineret, *Dicite, jo, Pæan, & jo, bis dicite, Pæan*. Novi utique, in Indice Romano evulgato an. 1559. adnotari paraphrases, & commentaria in psalmos, item literas, & carmina omnia Flaminii; at novi etiam, in aliis, quotquot postea excusi sunt, Indicibus nullum Flaminii Scriptum comparere. Novi præterea, in Augustini Calmeti Bibliotheca sacra, præfixa ejusdem Dictionario Histor. Critico Venetæ edit. 1734.

Flaminium inter Proteſtantes Pſalmorum Interpretes accenſeri, quod valde mirum, & magis adhuc mirum ibidem ipſum hoc elogio exornari: *Obiit Romæ an.* 1550. *pietate, ac probitate vir eximius, ſummoque qua judicio, qua ingenio, ſtudio aſſiduus, & catholicus optimus.*

At recenſionem proſequamur. Epiſtola ſecundo loco in hoc §. deſignata, quæ ſcripta viſitur ab Iſidoro Clario Mutinæ ex Cœnobio Divi Petri, & ipſa anſam mihi ſubminiſtrat Heterodoxos redarguendi, quod pii doctique Cœnobitæ hujus nomine ad cauſæ ſuæ patrocinium abutantur. De argumento ejus Epiſtolæ prius dicam, poſtea eorundem dicta refellam, ad præſtandam Catholicorum cauſæ defenſionem. Gaudet Iſidorus Polum Legatione ſua functum, incolumem, ac ſalvum ex tam longo itinere revertiſſe; at incredibilem in modum dolere ſe profitetur, quod magna ſpe, quam per tot menſes aluerat, fruſtratum ſe viderit, *ut* (inquit) *vel iter per Urbem Mutinam agentem, hoſpitio, quale id cumque eſſet, acciperemus, vel aliquo in loco tibi obvius fierem.* Subdit, ex eo congreſſu, quo frui datum ſibi fuiſſet, eam ſe certe utilitatem percepturum, quam olim perceperat, quoties ejuſdem conſuetudine, ac ſermonibus ingentem ſibi ad omnium virtutum progreſſus materiam expertus fuerat. Tandem: *Sed quando* (inquit) *res ob meritum meum ſic accidit, illud, quo me fraudatum iri nullo modo quiſquam unquam perſuadebit, quotidie audire expecto, non exiguam ſcilicet acceſſio-*

sionem ad rem publicam Christianam instaurandam, tuum ad Urbem Romam reditum attulisse, cujus & exemplis & extimulationibus optima quæque consecutura speramus, ac nobismetipsis tuto pollicemur. Vota postremis hisce verbis ab Isidoro nuncupata pro Christianæ Reip. instauratione quum in ejusdem Orationibus, & aliorum etiam quorundam Catholicorum ea ætate Scriptis fusius exposita deprehendisset Schelhornius Tom. I. Amœn. Histor. Literar. & Ecclesiast. pag. 384., statim pronunciat, ea indicare, ne micam quidem sanctitatis in Catholicorum cœtu id temporis extitisse. At iisdem contra demonstrari optime animatum erga Ecclesiam Catholicam Cœnobitam primo, deinde Præsulem, cujusmodi fuit Isidorus, certo certius nos docent plura ejusdem Scripta, & præsertim, quam exaravit, ad eos, qui a communi Ecclesiæ sententia discessere, Adhortatio ad Concordiam, typis Mediolanensibus an. 1540. excussa, & Cardinali Contareno inscripta. Degebat Romæ Clarius cum Gregorio Cortesio, quem ad eam urbem comitatus fuerat, dum iste cum Contareno, & aliis a Paulo Pontifice accersitus eo fuisset, ut in rebus ad Christianæ Reip. emendationem pertinentibus versarentur. Itaque ne sibi videretur otiosus comes additus ex omni prorsus parte patri, & præceptori suo (ita illum vocat) suum in illo negotio obolum offerre cogitavit cum Evangelica muliere. Is autem fuit Adhortatio illa, cui conscribendæ justum mensem insumsit, quamque Contareni eruditissimæ li-

mæ

mæ caſtigandam, & expoliendam tradidit. Hæc omnia ex Clarii Epiſtola ad Contarenum præfixa ei lucubrationi. Iſta autem a capite ad calcem adhibitos a noſtris in reparanda Chriſtiana Republica conatus ita collaudat, ut una ſimul maxime damnet captam, ut a communi ejus ſententia diſcederetur, occaſionem ex vitiis, quæ in eandem irrepſerant. Unum & alterum locum exſcribam, unde Schelhornius, aliique Romanæ Eccleſiæ hoſtes intelligant, eorum partibus Clarii dicta nihil minus quam favere. *Verum* (inquit) *nulla tamen exiſtere debuit tanta perverſitas quæ nos provocaret, ut vetuſtiſſimum ſanctiſſimumque morem a Chriſti eccleſia tolleremus, qui cum per ſe optimus ſit, id tantum enitendum fuerat, ut ad veterem formam priſcumque inſtitutum revocaretur, & tanquam auro ſuus color, & ſpecies reſtitueretur. Etenim tutius multo eſt, ea inſtaurare, quæ experti antea fuimus recta, atque honeſta, remotis, quæ hominum negligentia obrepſerant, vitiis, quam incertis eventibus ſeſe committere. Quam cogitationem plerique veſtrum ſi habuiſſent, non fuiſſet, opinor, neceſſarium, tam invidioſe, & tanto cum ſtomacho Romanam Sedem inſectari, & optare dejectam eſſe, ac dirutam*. Et paulo poſt: *Quare utilior omnibus, & vobis honorificentior, & ſummo cum Principum, tum populorum favore excepta ratio fuiſſet, ſi poſtulatum eſſet, ut ſtaret quidem ſuo gradu Romana Sedes, neque ulla ex parte illius dignitas imminueretur, verum ad priorem ſpeciem, pulchritudinemque revocaretur*. Ea cura Catholicam Eccleſiam ad

ad veterem pulchritudinem revocandi quam valde cordi foret Romano Pontifici, ejusque Aulæ Primatibus, testes certissimæ erunt reliquæ hujus §. literæ, quas jam pergimus recensere.

Eas Polus conscripsit, jam Romam reversus, ad Cardinalem Leodiensem, versanturque omnes in unico argumento, quod ipsis præbet Legati de latere munus Leodiensi a Pontifice concessum ad Cleri sui reformationem. Ut eo munere idem Leodiensis liberius uti posset etiam super Exemptis, petiit ut, Poli præsertim ope, novum Breve a Pontifice impetraretur, unde nullum amplius effugium patere posset iisdem potestati illi suæ obnitendi. Polus huic petitioni respondens, scribit se rem cum Cardinalibus, & Ginuccio in primis, contulisse, omnesque censuisse, opus non esse nova declaratione, quum nihil certius sit, quam Legatum de latere eam potestatem habere ex jure, quam propterea etiam Cardinalis de Mantua in Diœcesi sua amplam exerceret ex sola facultate concessa Legato de latere; subditque, nihilominus eundem Ginuccium cogitaturum de aliqua forma Brevis, per quod, sine diminutione prioris, tolleretur prorsus scrupulus omnis. Hæc in prima ex iis Epistolis; in altera vero, quæ mox subsequitur, rursus aliqua habet de modo ejus petitioni cum honore Leodiensis, & minima querela aliorum satisfaciendi, multaque occurrere impedimenta ex earum rerum peritorum judicio affirmat. Tertia autem Epistola rem jam compositam repræsen-

ſentat, quod Leodienſis ſibi jam perſuaſiſſet, præter declarationem facultatum, quæ in corpore juris habentur, omnem aliam fore ſupervacaneam. Quarta tamen, quinta, & ſexta memorant novas literas Apoſtolicas Leodienſi a Paulo III. conceſſas, petentibus, præter POLUM, Campegio, & Simoneta Cardinalibus, ad coercendam Cleri, Legati imperio parere recuſantis, pervicaciam. Primæ tres datæ ſunt menſe Novembri, & menſe Decembri 1537., reliquæ tres menſe Januario, & menſe Februario an. 1538.

At poſtremas eas POLI literas minime accepit Erardus a Marka, Leodienſis Cardinalis, nam medio menſe Februario an. 1538. e vivis exceſſit, Præſul non ex regiæ tantum liberalitatis laude, ſed ex ſingulari etiam doctrina, vere inclytus, ex amore vero in Chriſtianam religionem nemini forte in Germania ea ætate ſecundus. Quare nil mirum, in eundem calamum ſtrinxiſſe Sleidanum, vanæ ipſum ab hominibus quæſitæ gloriæ inſimulans, quod aliquot ante obitum annis magnificum ſibi monumentum, in quo mortuus collocaretur, Leodii extruxerit. Acerrimum Catholicæ fidei aſſertorem, & vindicem adverſus Lutheranos, e quorum grege Sleidanus, Erardus ſe præbuit, & una ſimul, ut modo vidimus, nihil reliqui fecit, quo perverſos Cleri ſui mores corrigeret. En igitur qua ratione ſingulæ fere Collectionis noſtræ literæ demonſtrent, ſanctiori diſciplinæ in Clero, & populo ſtatuendæ, omnibus viribus collaboraſſe Romanæ Eccleſiæ Proceres, Pontificem

in

in primis, Cardinales, Antistites, Cœnobitas, ac propterea eædem evincant, inique prorsus facere Heterodoxos, dum ex ea, quam non diffitemur, morum depravatione ansam capiunt virulentiam suam adversus eosdem Proceres exerendi, etsi omni laude dignos ob susceptam Reformationis curam, promeritosque, ut, pene dixerim, eo & ipsi præconio ornarentur, quo Trajanum ornavit Plinius in Panegyrico ad eundem, dum ait: *Corrupta est disciplina castrorum, ut tu corrector, emendatorque contingeres, inductum pessimum exemplum, ut optimum opponeretur*. Poli Romam reducis primum fuisse facinus instaurationi illi, quam tanto studio sua in Diœcesi Leodiensis Cardinalis curabat, operam navare, testantur & illius Vita, cujus num. XI. ita habetur: *Hinc, hyeme jam adventante, a Pont. Max. revocatus, per Germaniam Romam revertit. Ac Pontifici cum Legationem suam renunciaret, commemoratis præclaris in se hospitis sui meritis, gravissimoque ejus virtutibus testimonio dato, perfecit, ut illi Pontifex Legationem apud Belgas decerneret*; & luculentissime sex Epistolæ paulo ante recensitæ, quæ æque fidem faciunt, Paulum Pontificem nihil antiquius habuisse, quam ut universalis quoque Ecclesiæ morbis sanandis ex officii sui muniis prospiceret; namque inter cætera Polus Leodiensi ita scribit: *Maxime delectari ejus Sanctitas hoc sermone est visa, quæ eundem animum erga Reformationem universalis Ecclesiæ ostendit, quæ Illustriss. D.V. erga suam. Sed cum quasi parvum navigium tranquil-*

lo mari sit Ecclesia Illustris. D.V. facile fructum tam pii desiderii omnes sentiant, Illustriss. D.V. brevi, ut spero, faciet, quod in tam magna navi, tot fluctibus agitata, qualis est Ecclesia universalis, tametsi Sanctitas Ejus fructum semper amittere non potest tam piæ voluntatis, tamen sentiri non tam facile potest, præsertim cum tam multos præterea hostes habeat. Quinam alii Romæ, præter POLUM, sedulam operam præstarent curandis Leodiensis Episcopi commodis, POLUS ipse certiores nos facit, eorum nomina recitans in Epistola ad eundem, videlicet Cardinales Campegius, Genutius, & Contarenus, iisque addit Ascanium, Ariminensem Episcopum, ac Durantem intimum Cubicularium Domini Papæ, & demum Benedictum Gentilem, Agentem, & Procuratorem, eorum omnium judicio sic industrem, sic peritum juris & consuetudinis Curiæ, ut vel solus multorum aliorum onus sustinere valeret, & sæpe sustinuerit.

Antequam POLUS Romam repeteret, contigit obitus Cosmi Gherii, Fanensis Episcopi, cujus in eo itinere salutandi quo desiderio ille, ejusque comites flagrarent, dignoscimus ex MS. Prioli Epistola, cujus allata sunt verba p. CII. & seq. Ea enim ita desinit: *Mi rincresce non avervi prima scritto, che esortaste e pregaste il nostro Monsig. di Fano a venirci incontro fino a Verona per averlo a goder tanto più, ma chi sà, che da se non l'abbia fatto? Almeno spero certo che lo ritroveremo a Bologna.* Quo tempore data fuit Epistola ista, jam lectulo affixus languebat Præsul ille optimus,

mus, obiitque ex eo ipso languore post aliquot hebdomadas, sanctissime quidem, quemadmodum etiam vixerat. Siquidem egregios ipsum pietatis sensus in eo etiam morbo declarasse, fidem facit ejus Epistola in Codice Magliabechiano, de quo supra, mense Augusto exarata. En ejus verba, quæ integre recitabo, ut novum documentum suppeditent Antistitis hujus sanctimoniæ pereximiæ ad magnum Romanæ Ecclesiæ decus, eademque novo insuper documento narrationem, de qua p. xxxviii. dictum est, falsitatis evincant. *Io ho havuto cinque ò sei termini di terzana semplice, dipoi altri tanti di doppia, con alchuni svenimenti molto molesti, del che sia ringratiato il nostro Signore Dio per la cui infinita gratia mi par d'haver ricevuto questo pocho di male, come riceve un putto alle volte delle batture dal suo carissimo & amorevolissimo padre; non credo che sia la miglior scuola, ne miglior strada ad imparare & camminare in quella benedetta e nobil via di Jesu Christo benedetto che quella delle tribulationi, le quali ci posson facilmente dare non sol memoria, ma* etiam *qualche pocho di gusto della santissima Croce, oltra che la mortifichatione de nostri appetiti, e lo sprezzamento di queste cose terrene, e la cura e'l desiderio delle celesti non sò in qual miglior modo si possa acquistar che per la via delle tribulationi. Ma basti fin qui in questo prima perche il campo e troppo largho, di poi che non vorrei che vi pensaste che apposta d'una terzanella mi paresse d'haver sentito qualche gran tribula-*

tione, sia pur del tutto ringratiato, e lodato sempre il Signore; Et paulo post: *Non vi date molestia del mio male, anzi rallegratevene & ringratiatene Dio imperbò che se l'difetto non verrà da me che mi voglia dimentichare quello ch'io ho imparato io mi sento haver fatto maggior frutto in X, ò XII. dì che sono stato alla scuola della terzana, che in tutti li miei studii di questo anno, e così sia molto ringratiato il Signore Dio d'ogni cosa il quale per l'infinita sua misericordia si degni conservarci tutti nella gratia sua; Amen*. Per quinquaginta septem dies ea febre Gherium vexatum fuisse, jam prodidi ex ejus Vita, quæ extat in eodem Codice, ex qua, quemadmodum ex Epistola ista, narrationis jam jam indicatæ fidem labefactari multo clarius innotescit, quam ex anno, cui affixus videtur in Varchii Historia Gherii Episcopi obitus, & ex veneno, cui iste tribuitur a Vergerio, & de quo Joannes Casa in Dissertatione adversus improbum hunc obtrectatorem. Multo, inquam, clarius; nam, quod spectat ad Epistolam, blandi prorsus, & placidi sensus, qui in ea leguntur, sat aperte docent, animo Gherii, eo morbo conflictati, nullam horrendi flagitii, de quo in ea narratione, obversatam imaginem fuisse, quæ certe gemitum aliquem columbæ, vocem aliquam doloris, quem altum corde premeret sanctus Antistes, expressisset.

§. V.

§. V.

Ad Epiſtolas

XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLVIIII. L.

SEx Epiſtolæ, quas in hoc §. connectimus, apte inter ſe cohærent, quod omnes, quemadmodum & eæ ſuperioris §. ſeu ad Reformationis Leodienſis negotium, ſeu ad procuranda commoda Alberti Pighii, POLO tam a Leodienſi Antiſtite, quam ab hujus in eadem peragenda adminiſtris, commendati, referuntur. Ceu inſtrumenta ſibi divinitus conceſſa ad ſanctum illud opus perficiendum, quanti faceret Antiſtes ille Theodoricum, & Tongrenſem, explicaverat ipſe in ſuis ad POLUM literis; quare iſte, quemadmodum antea ſuis literis de ea re eidem Antiſtiti gratulatus fuerat, ita binas conjunctim ſcribens ad eoſdem, quæ primis duobus numeris adnotantur, pares ſenſus exprompſit. Quæ primo loco leguntur hiſce verbis incipiunt: *Summam veſtram pietatem mihi, dum apud vos verſarer, non ſine magna voluptate, & majori cum fructu meo cognitam, & exploratam, ex veſtris ad me litteris libenter recognovi; quæ quidem non ex ea ſolum parte in illis elucet, quod cauſam maxime piam, quæ maxime ad ſalutem animarum veſtrorum fratrum pertinet, mihi commendant, ſed quod tanto ſtudio, tanta ſollicitudine animi idem faciant, quaſi vobis privatim, vel ſalus quæreretur, vel utilitas aliqua magna inde quæreretur. Quibus ſcio nihil*

nihil in hac causa præter summos, & molestissimos labores vobis superesse, in quibus ne odium quidem apud illos, pro quorum salute maxime laboratis, effugere potestis. Eorundem studium ad salutem animarum conversum multis adhuc verbis commendat, & inter cætera hæc habet: *Non possum non vehementer gratulari Reverendissimo, & Illustrissimo Domino Leodiensi, cui vos tanquam Angelos Dei in ministerium tam pii operis datos esse video ab eo, qui tam piam sui gregis Reformationem, tam necessario tempore, in mentem illi inseruit, qui fecit ministros suos flammam urentem: hic est Christus Dominus benedictus in sæcula*. Refert deinde, quam propenso animo Pontifex indulserit, ut ad firmius communiendas Legati de latere facultates eorum Antistiti concessas, nova Diplomata in eam formam, quam ipsi postulaverant, conficerentur. Tandem, quod ageretur de Leodiensis Cleri protervia castiganda, ansam inde capit explicandi quo pacto ex naturæ suæ sive lenitate, sive, ut ipse ait, ignavia, sive etiam exemplo Pauli Apostoli, ægre admodum adduci soleat ad pœnam improbis infligendam; indeque eos, quibus scribebat, ita monet: *Etsi rebelles sunt, filii tamen sunt, & filii rebelles, quos si convertendi ad obedientiam ulla mitior ratio inveniatur, ut ea primum exerceatur, etiam post confirmatam authoritaeem castigandi eos, cupio, ut prius quatiatur virga in conspectu illorum fugientium, antequam exerceatur per illam castigatio*. Primæ hæ literæ datæ sunt die 28. Januar. an. 1538. ac proinde, dum adhuc in-

inter vivos degeret Cardinalis Leodiensis; alteræ vero, quæ mox subsequuntur, post plures menses ab ejus obitu, desinente scilicet mense Octobri ejusdem anni. In istis unice agitur de Alberto Pighio, quem Polo Theodoricus, & Tongrensis commendaverant, quemque antea sibi carum valde esse is declaraverat in literis ad Leodiensem datis, una simul testatus, eundem carum etiam esse ipsi Pontifici ob eruditionem, & virtutem, ex quibus eundem superioribus annis Trajectensi quadam Præpositura donaverat. Polus autem proclivem erga Pighium animum suum his verbis enunciat: *Quod vero mihi Dom. Alberti Pighii causam commendatis, sic habetote; eum, & suo nomine, & eo libro, quem de Hierarchia Ecclesiastica scripsit, cujus magnam partem perlegi, sic mihi esse commendatum, ut nihil mihi antiquius esse possit, quam eum in omnibus, quibus possim, & valeam, juvare*. Moxque addit, se & sponte id facere, & propter Pighii erga Ecclesiam merita, demumque ex honoris vinculo, quod sibi Pontifex injecerat, *adeo ut* (inquit) *talium hominum patrocinium negligere, quod in aliis est vituperium, in me quidem scelus esse judicem*.

Binas istas Poli literas quaternæ ejusdem ad Pighium, totidem numeris in fronte hujus §. designatæ, subsequuntur. Tria istæ negotia complectuntur, librorum scilicet Pighii commendationem, causæ ejusdem, quæ in secreto Consilio Cæsaris agitabatur, patrocinium, & pensionis, qua Pighii amicus gra-

va-

vabatur, solutionem. Ut a postremo hoc incipiam, dolet POLUS, nihil se proficere potuisse cum Cardinale Simoneta, qui pro liberatione pensionis sibi a Friderico Skenchio debitæ se nullam a Papa Clemente recompensationem unquam accepisse adjurabat: *Multa autem* (subdit) *adjungebat de ingratitudine ipsius Federici, qui a quo illud beneficium receperat, tam inhumaniter tractaret, & contra fidem, quod deberet solvere, non solvisset, deinde quod jam plusquam septies cum agnoscat se excommunicatum esse ob non solutam pensionem, in nulla re videtur ostendere æstimare censuras Ecclesiæ.* Quapropter POLUS ita concludit, *Quæ si vera sunt, tu vides, quam mihi causam committas.* Quod spectat ad Pighii negotium coram secreto Cæsaris Consilio, POLUS eundem certiorem facit, ad Leodiensem Cardinalem, jussu Pontificis, se scripsisse, ut omnem curam apud Reginam Hungariæ, ejusque Consiliarios suciperet, quo Pighius ab ea molestia eriperetur. Præter hanc, quam Pighio attulisse puto jura Trajectensis suæ Præposituræ, pro quibus ipse juste laboravit, molestiam aliam cum ignominia conjunctam, quæ fere in causa fuerat, ut ejusdem nomen inter reos Romæ referretur, obscuris verbis designant eædem literæ, quæ præterea testantur Pighium ex ea liberatum fuisse; at prius eundem hortatus fuerat POLUS in hunc modum: *Noli pati cujusquam injuriam animum tuum emollire, ut non semper ardeas, quantum in te est, Ecclesiæ causam defendere.* Is Pighii ardor maximopere emicuit in libris ab

ab ipſo compoſitis. Quare Joannes Guntherus in ejus Vita: *Nullum* (ait) *doctrinæ genus eſt, in quo non ſit Pighius exquiſite verſatus, homo multæ quidem ac infinitæ lectionis, ut qui ætatem omnem in æqui bonique cognitione contrivit, qui literarum quoque certaminibus inter ipſos milites, vel exercitatiſſimos excelluit.* Ac ſtatim ſubdit: *Nuſquam tamen acrius inſurgit, quam ubi cum hæreticis (ad verſus quos perpetuum, ac implacabile bellum inſtituerat) Hierarchiam Eccleſiaſticam graviſſime tutatus eſt.* Hunc ipſum librum cum laude commemorant, ut ſupra vidimus, eæ Poli literæ, quæ binos inſuper commendant libros, unum, in quo reſponderat Lutheranis calumniantibus indictionem Concilii Mantuæ celebrandi, alterum, in quo ſuſceperat defenſionem Eccleſiæ adverſus ea, quæ impie in eandem ſententiam Angliæ Rex evulgaverat. Primam ex his duabus lucubrationibus Polo tranſmiſerat Pighius, alteram Franciſco Quignonio, Cardinali Sanctæ Crucis, ut Paulo Pontifici eaſdem offerrent. Ambos hos Cardinales inter præcipuos patronos ſuos Pighius numerabat, præſertim poſtquam e vivis deceſſiſſet Nicolaus Schombergius, Cardinalis Capuanus, de quo propterea Polus ad eundem ita ſcribit: *Scito illum heredes reliquiſſe voluntatis ſuæ, & authoritatis, qui non minus ſtudebunt virtutibus tuis favere, quam ille unquam ſtuduit, inter quos ſpero te habere Reverendiſſimum Sanctæ Crucis.* Tandem Polus vehementer ſe probare profitetur, quæ in libro alio Pighius parabat ad Eccleſiaſticorum dogmatum de-

fensionem. Hic ille liber est, de quo & Hæretici maximopere sibi blandiuntur, & Catholici etiam non omnino bene sentiunt. Itaque haud abs re factutum me puto, si, servata, quæ postremis hisce debetur, reverentia, aliquas ejusdem modo vindicias in medium afferre conabor, Scriptoris illius existimationi consulens, cujus labores valde caros habuerunt Pontifex ipse, deinde sapientissimi Cardinales, inter quos POLUS disertis verbis judicavit, in illis pietatem, judicium, & eruditionem sic elucere, ut nihil locupletius ad Dei, & Ecclesiæ causam tuendam possit desiderari.

Primo igitur loco refellendam sumo vanam Heterodoxorum gloriationem, qui affirmare non dubitarunt, Pighium ab eorum partibus stare in causa Justificationis; mirorque vehementissime, quid hominibus illis in mentem venerit, dum in hunc modum sibimet ipsis gratulari sunt ausi, *Pontificiorum Achilles* (Pighius) *adversus Lutherum, qui totus noster est in causa Justificationis*. Apertissimi mendacii statim eosdem coarguo iis recitatis, quæ leguntur in ejus libro, quem inscripsit, Controversiarum, quibus exagitatur Christi fides, & religio, diligens, & luculenta Explicatio. Ibidem Controversiam secundam, qua agere instituit de Fide, Operibus, & Justificatione hominis, hisce verbis exorditur: *Quoniam quidem, in hoc velut cardine vertitur, & ex hoc principio pendet, universa pene quæ inter adversarios, & nos est, in religione, & fide controversia, in hoc inquam*

quam dogmate, quod de fide quadam speciali, nos justificante introducunt, quo, universa pene nostræ religionis dogmata inficiunt, & contaminant: id ipsum quale sit, ordinem articulorum Confessionis eorundem sequentes, nunc excutiendum est. Moxque ad propositam rem veniens, Adversariorum doctrinam his verbis repræsentat: *Docent per solam fidem, a Deo, in Christo salvatore, redemptoreque nostro, omnem justitiam, & salutem mere gratis, expectare nos oportere, & certo accipere. Hæc summa doctrinæ est, brevis quidem, si verba numeres, at multis magnisque fœcunda mysteriis, præsertim, ut illi ipsi eam intelligunt, atque explicant. Tanto equidem pernitiosior, ac pestilentior, quanto ipsam assequendæ salutis nostræ medicinam, suo toxico penitius inficit: & nihilominus speciosis, religiosisque verbis proposita, magna se probabilitate insinuat: idque eo facilius, quod nostræ subscribat pigritiæ, & ignaviæ: ut qui omnes, facile, & libenter, a labore, ac difficultate bonorum operum, si nihil, ut ii docent, ad salutem momenti habeant, absolui nos acquiescimus: si in una fide minime operosa, securissimam ejusdem salutis, quam ii inculcant, certitudinem tenere possimus. Quæ hactenus incerta omnibus, & magna cum sollicitudine, ac timore quærenda, nobis proposita est. Quis enim istiusmodi doctrinam, tam facilem, & tam certam assequendæ salutis viam nobis demonstrantem, non libenter, & utrisque manibus amplexaretur, si modo vera sit?* Tota ea Controversia docte, valide, & diserte Adversariorum commenta Pighius refellit;

 qua-

quare non totus eorum habendus est, ut ipsi impudentissime jactant, in causa Justificationis, sed contra totus ille est in eorum sententiis profligandis.

Haud ita facile me expediam ab intentata adversus Pighium a veteribus Theologis accusatione, cui recentiores etiam passim assentitos esse comperio. Illorum princeps Ruardus Tapperus, Lovaniensis Academiæ Doctor, & Cancellarius in libro, quem inscripsit, Explicatio Articulorum vener. Facult. Sacr. Theol. General. stud. Lovaniens. circa dogmata ab annis triginta quatuor controversa, una cum responsione ad argumenta Adversariorum. Ibi in Artic. VIII. de Justificatione agens de Tridentinæ Synodi definitione, qua statuitur, justificatos non modo reputari, sed vere justos esse & nominari, atque anathemati subjacere quotquot inhærentem justitiam negant, hæc de Pighio subjungit: *Contra hanc, qua justum imbui, & donari diximus, & intrinseca denominatione fieri justum, argumentatur Albertus Pighius, olim noster condiscipulus, sub præceptore Sanctiss. D.N. Adriano sexto, fascinatus errore, & seductus ex lectione Institutionum Joannis Calvini*. Refert deinde ejusdem argumenta, eaque sophistica appellat, nec ullam habere dicit soliditatem, si diligenter expendantur, imo deprehendi ex falsis principiis procedere, inculcatque, Virum illum, etsi firmiter in regulis fidei Ecclesiæ Catholicæ stabilitum, lapsum fuisse in errorem ex blanda suaviloquentia librorum hæreticorum. Ut verum fatear, Condiscipulum suum,

um, ſuumque in Catholica doctrina defendenda illuſtrem Commilitonem, nimis aſpere tractaſſe videtur Ruardus Tapperus, ac primo quidem cenſeo, auſterius, quam par foret, rixæ adverſus eundem ciendæ illico cauſam cepiſſe, quod ille hominum juſtitiam explicans, eam dixerit *exactam ad ſuam regulam correſpondentiam*, quodque ſtatuerit, actionibus noſtris, ſi ad regulam divinæ juſtitiæ exigantur, ineſſe, quod ex parte noſtra minus eſt, quod deficit, quod exorbitat, quod ſubſultat ab ea regula. Hæc enim certe ſanum omnino ſenſum aut palam faciunt, aut admittunt, concordem ſcilicet Divi Auguſtini ſententiæ, quam Pighius ibidem affert, *Væ hominum vitæ, quantumcumque laudabili, ſi remota miſericordia judicetur*. Inde vero Pighius procedit ad explicandum, qua ratione juſtitia noſtra coram Deo, & ſalutis ſpes in una Dei miſericordia ſit ſita, per Chriſtum ignoſcentis iniquitates noſtras, ejuſque iſta ſunt verba: *In illo ergo juſtificamur coram Deo, non in nobis, non noſtra, ſed illius juſtitia, quæ nobis cum illo jam communicantibus imputatur. Propriæ juſtitiæ inopes, extra nos, in illo docemur juſtitiam quærere. Eum, inquit, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, hoc eſt, hoſtiam peccati expiatricem, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo. Non noſtra, ſed Dei juſtitia juſti efficimur in Chriſto. Quo jure? amicitiæ, quæ communionem omnium inter amicos facit, juxta vetus, & celebratiſſimum proverbium, Chriſto inſertis, conglutinatis, & unitis, etiam ſua, noſtra facit: ſuas*

divi-

divitias nobis communicat, suam justitiam inter patris judicium, & nostram injustitiam interponit, & sub ea, velut sub umbone, ac clypeo, a divina, quam commeruimus, ira, nos abscondit, tuetur, ac protegit: immo, eandem nobis impartit, & nostram facit, qua tecti ornatique, audacter & secure jam divino nos sistamus tribunali & judicio, justique non solum appareamus, sed etiam simus. Hæc ipsa sunt verba, quibus duriusculum de Pighii doctrina judicium suum Tapperus supestruxit, ita scribens: *Nullam habet probabilitatem doctrina Alberti Pighii, qua dicit, quod in Christo iustificamur coram Deo, non in nobis, non in nostra, sed illius justitia, quæ nobis jam cum illo communicantibus imputatur.* Quoniam vero Tapperus verbis illis statim hæc alia subjungit, *In Christo justificamur coram Deo effective*, quærerem ab eodem, unde ei constet, Pighium in loco mox recitato, non quidem ad causam Justificationis efficientem respexisse, sed tantum de formali cogitasse. Pighium siquidem in secunda illa Controversia præcipuum sibi scopum statuisse, non formalem, sed efficientem, sed meritoriam Justificationis nostræ causam assignare, non omni certe probabilitate caret, ad quam rem maxime facit locus ille, quem tractationi omni suæ Pighius præposuit, ut quisque eam lectionem ingressus probe statim intelligeret, quodnam sit disputationis suæ consilium, & quænam Adversariorum ad sanam doctrinam labefactandam machinamenta. Ita ipse loquitur sub ipsum Controversiæ illius secundæ initium: *Crassis-*

fissimam nobis ignorantiam affingunt nostræ justificationis mysterii, ut in eo proscribamus Christum, nec quicquam doceamus, quam vel pharisaicam, vel ethnicam, nudæ rationis, nostrorumque operum, aut legis justitiam; Dei autem justitiam ignoremus. Hic velut Pharisæos, carnalesque Judæos, nos producunt, spiritales scilicet homines, & qui intendamus in legem, velut in velatam faciem Moysi, & hinc, in hypocritis præsumptionem excitemus, inde vero, ad desperationem adigamus pavidas conscientias, quod illam non doceamus, tam securam salutis certitudinem. Affirmant autem a nobis imprudentissime doceri, quod homines, rei iræ æternæ, mereantur remissionem peccatorum, per actum dilectionis Dei. Integras quoque humanæ naturæ vires, a nobis attribui, ad diligendum Deum super omnia, universaque ejus mandata implendum, absque Spiritus S. gratia. Breviter, a nobis doceri, ne Christo mediatore, ac propitiatore utantur homines: & per ipsum, gratis se accipere remissionem peccatorum intelligant. Quæ, quo candore in nos congerant, & his traducant apud simplicem, & harum rerum ignarum, sibique plus satis credulum populum, quo omnes intelligant, & ipsi, & cæteri, doctrinæ, hac de re, nostræ summa, quantum fieri potest, & paucis, & luculenter exponenda est. Hæc Pighii verba, aut valde fallor, aperte demonstrant, eundem ne cogitasse quidem de oppugnanda justitia inhærente, sed alium prorsus in ea Controversia scopum suscepisse, assignandæ scilicet, ut dicebam, causæ effectricis, & meritoriæ Justificationis.

Adeo

Adeo tamen ille abfuisse videtur a rejicienda, seu ignoranda vera causa formali ejusdem Justificationis, quæ scilicet non in externa Justitiæ Christi imputatione, sed in donis cœlestibus, justificato homini infusis, consisteret, ut disertis verbis in ea Controversia ab ipso tradatur, Christum justificatis suam justitiam impertiri, hos Christo inseri, conglutinari, uniri, Christi esse, Christum, aut spiritum ejus in se habere, Christum induere, a Christo irradiari, in eorum corde sincerum Dei amorem dominium habere; quæ omnia ad formalem Justificationem commode omnino, ne dicam necessario, referuntur. Quapropter, hac quantum satis foret delibata, totus esse debebat in cura illa, quam ab ipso postulabat argumenti, quod tractandum susceperat, demonstratio. Quodnam illud fuerit, ex ejusdem tractationis conclusione Pighium magis magisque explicantem audiamus: *Jam demonstratum est* (hæc ejus sunt verba) *pleraque requiri in nobis, & in primis fidem, ex fide pœnitentiam, & detestationem vitæ veteris, deinde, & spem veniæ, ac fiduciam in Dei bonitatem, ac misericordiam, sed omnium horum consummatio, est ille Dei amor sincerus, dominium in corde nostro jam obtinens, secum inseparabiliter conjunctum habens illum sanctum, & sollicitum timorem, & fidele studium, voluntati ejus obsequendi per omnia, ad cujus adventum usque mors in nobis permanet, etiam cum illis ipsum præcedentibus omnibus, fide inquam illa, & vitæ veteris detestatione, ac pœnitudine, spe veniæ in Dei bonitatem, ac misericordiam. Per quæ omnia,*

nia quousque eo perductus peccator fuerit, ut Deum sincero corde, ut prædictum est, diligat, adhuc in morte permanet: nihil se esse affirmat Apostolus cum prioribus illis omnibus, quamdiu abest charitas. Cum qua, primum incipimus esse aliquid, cum ea primum nos induit, & super nos recumbit illa Dei justitia, & Christi sanguis ab omni peccato nos emaculat. Id quod mihi ex evidentissimis, quas induximus divinarum scripturarum sententiis, & doctrina Christi, & apostolica, irrefragabiliter demonstratum videtur.

Causam autem cur Pighius parce ibidem de formali Justificatione locutus fuerit, ipsemet indicasse censendus est in disputationis exordio, nam ibi profitetur, se confutandas suscipere Augustanam Confessionem, ejusque Apologiam a Melanchthone confectam. In utroque autem Scripto nihil legi, quod internæ regenerationis necessitatem excludat, imo nonnulla reperiri, quæ eandem adstruant, testis adest Bossuetus, eximius Meldensis Episcopus, in præstantissimo Opere, *Histoire des Variations des Eglises Protestantes* lib.III. n. XXV. ubi probans Justificationem, Regenerationem, Sanctificationem, Renovationem, si res bene excutiatur, eandem omnino gratiam esse, subdit: *C'étoit aussi la doctrine de Luther, & de Melancton. Ces subtiles distinctions entre la justification, & la regénération ou la sanctification, où l'on met maintenant toute la finesse de la doctrine Protestante, sont nées apres eux, & depuis la Confession d'Augsbourg.* Et paulo post, Apologiæ loca aliqua laudans, illud ipsum

sum his verbis affirmat: *On ne voit aucun vestige du contraire dans la Confession d'Augsbourg, & il n'y a personne qui ne voye combien ces idées, qui avoient alors les Lutheriens, reviennent aux nôtres.* Si igitur ea tempestate Lutheranorum, & Catholicorum sententiæ de intimæ regenerationis necessitate eodem recidebant, Pighio non ita facile vitio verti posse videtur, in Justificationis, & Sanctificationis discrimine adnotando veluti calamo temperasse. Fusius & ipse, quemadmodum Tapperus, & alii, in eo argumento versatus fuisset, si ejus vita usque ad coacti Concilii Tridentini tempus, conditorumque in eo Canonum de Justificatione processisset. Exortis enim jam quæstionibus, quas Bossuetus vocavit *subtiles distinctions*, Catholicis Scriptoribus tunc maxime incumbere cœpit, nihil omittere, quod singula Justificationis capita in eo Concilio decreta tueretur, ac confirmaret. Addam, ex ea falsa doctrina, quæ a nostris Pighio affingitur, quatuor errores necessario consequi, ut traditur a Bellarmino initio lib.III. de Justificat. videlicet posse omnes homines, ac debere certo statuere se esse justos, imo non tantum justos, sed electos, & prædestinatos, deinde se fidem, ac justitiam semel acceptam nullo unquam tempore posse perdere, tandem se justitiam possidere, qua nemo sit alio justior. Quid si omnes errores istos Pighius non quidem amplectatur, sed arceat, atque refellat? Quæ omnia dicta a me sunto, ut Pighio officium tribuerem, quod a me deposcebat summa ejusdem

cum

cum POLO studiorum, & amicitiæ conjunctio, quodque haud parum conducere putavi rei Catholicæ, quæ certe detrimenti aliquid caperet, si præstantissimi ejus defensores ab Orthodoxæ veritatis semitis deflexisse comperiantur. Cæterum suum cuique de ea Pighii sententia judicium erit, quibus pariter judicandum relinquo, cujus sint roboris duo in medium allata ab eodem Tappero, aliisque; scilicet Buceri jactatio, quod Pighius in causa formalis Justificationis secum conveniat, & criminatio altera ab iisdem in Pighium impacta, quod lapsus pariter fuerit in explicanda Originalis peccati natura. Pighii causam pro deplorata certe non habuit Andreas Vega, primariis Concilii Tridentini Theologis, quos præstantissimos fuisse constat, jure optimo annumeratus; nam in lib. VII. de Causis Justification. c. XXI. de prava opinione circa Christi Justitiam imputativam agens, non eam Pighio placuisse scribit, sed tantum Pighio a quibusdam attribui. Hæc verba multum absunt ne ita prægravent, ac Tapperi illa, quibus Pighius inducitur contra sanam de Justitia inhærente doctrinam *argumentatus*, quando nonnisi obiter ad eandem respexit, quod ita ferret argumenti ab illo tractati ratio, & quando, vel in ea levi delibatione, ea tradidit, quæ sane illi doctrinæ statuendæ valde accommodata censeri possunt.

Superest, ut aliquid etiam dicam de libro, quem Pighius de Ecclesiastica Hierarchia conscripsit. Hunc quoque non desunt Catholici Scriptores, qui carpant,

& mordeant, quotquot scilicet Dupinio assentiuntur de Pighio ita sentienti: *Il estoit asses bardi dans les questions qui ne regardoient point les interetz de la Cour de* Rome. *Mais dans cettes-ci il étoit entierement prévenu pour les sentimens les plus insoutenables, & de tous les Auteurs, qui ont écrit sur ces matieres, il n'y en a point qui ait poussé les choses si loin, & qui ait plus donné au Pape que lui.* Dupinium exscribunt Continuator Hist. Ecclesiast. Fleur. Niceronius, & alii. At præstantissimi, doctissimique Cardinales multo aliter de eo Pighii Opere judicarunt. Poli testimonium supra attuli. Sadoleti modo recitabo. Multiplex extat; unum ad Joannem Cochlæum in Epistola data Carpent. prid. Cal. Dec. 1538. alterum in Epistola ad ipsum Pighium Carpentor. 3. Cal. Mart. 1539. Primum tulerat, quum nondum Pighii Opus legisset, & ex illa discimus quod in eodem non valde probaverat Cochlæus, vix aut ne vix quidem, Sadoleto displicuisse, nam ibidem ita loquitur: *Quod vero in quibusdam tibi videatur nimis ille exaggerare summi Pontificis auctoritatem, idque tametsi vere fiat, tamen in hoc tempore nonnihil periculosum esse, noli ægre ferre. Utinam tam mores nostri probati essent hominibus, quam est Pontificis potestas sine ulla dubitatione maxima. Neque hoc nocere publicæ caussæ (ut ego arbitror) potest.* Eo autem libro inspecto, & perlecto magnifice postea de ipso se sensisse his verbis Pighio significavit: *Tuos libros de Hierarchia Ecclesiastica principatu cum legerem, plurimaque in illis invenirem, quæ*

tua

tua cura & diligentia in lucem e tenebris, quasi vetustatis prolata sunt, scatereque ibidem omnia optimis & sententiis & auctoritatibus cernerem; equidem ingenium, & doctrinam, & notitiam tuam rerum antiquarum sum admiratus. Probitatem autem & religionem illa mihi res etiam in te ostendit, quod vidi & cognovi, te optimo animo & consilio adductum, quo Christianæ Reipublicæ tot malis detrimentisque affectæ, opem pro tua parte ferres, tantum negotii & laboris suscepisse. Multis postea exponit animi sui erga Pighium benevolentiam, ac tandem addit: *Scito, Alberte doctissime, me ex tuis libris in maximas angustias & sollicitudines animi conjectum esse. Versabar enim in eisdem plane studiis, & in eodem argumento elaborabam: jamque confeceram bonam partem lucubrationis meæ, cum tui ecce libri mihi inopinanti advenerunt. Nunc quo me vertam nescio: si pergo atque insisto, videbor omnia abs te esse mutuatus; quid enim tu cuiquam reliquisti, quod is tanquam novum aut inexpectatum possit dicere? Si desino, durum erit frustra a me susceptos fuisse tot labores.* His autem ex angustiis quomodo se explicare cogitaret, declarat statim, veterum scilicet Philosophorum, & Jureconsultorum morem sectando, nimirum alio modo eisdem de rebus differendo; quod quum dixisset, iterum redit ad commendandam Pighii Scriptorum excellentiam, quæ se tantum deterreret, quantum adjuvaret eorundem copia. Binæ aliæ præterea Sadoleti literæ extant ad binos Galliæ Proceres, datæ scilicet ad Gulielmum Poietum, Franciæ

ciæ Cancellarium, & ad Franciscum Cardinalem Turnonium, pro commendando iisdem Pighio, Gallicum iter suscipiente, & Regem adituro aliquot de causis, quas non declarat. Rogat ergo, ut ab utroque in fidem, & patrocinium recipiatur, homo de quo *audacter* (ait) *non dubito confirmare, eorum qui ex ceteris nationibus doctrinæ & litterarum nomine ad cognitionem meam pervenerint, neminem neque doctiorem, neque variis scientiis instructiorem atque ornatiorem, quam hunc, mihi notum fuisse. Accedit, quod Theologiæ scientiam, qua mirabiliter est præditus, ad eos usus convertit, qui maxime sancti & salutares populo Christiano sint. Semper enim fidem catholicam, & Ecclesiam Romanam nostram acri & invicta propugnatione, pluribus egregiis voluminibas editis est tutatus, ut hoc quidem nomine noster illi ordo plurimum debeat.* Ita Sadoletus ad Turnonium. Ad Poietum vero: *Nos quidem qui complura ejus ingenii monumenta legimus, non solum probamus scientiam hominis, & doctrinam, quæ multiplex in eo, & varia & referta est, sed etiam propositum animi, & insignem Christianæ pietatis cultum. Incredibile est enim quantum hic vir de fide Catholica & Christiana religione sit meritus.* Datæ sunt ambæ hæ literæ Idib. Nov. 1541. Carpent. Quid ad tot tantosque Pighii laudationes quorundam recentium Scriptorum adversus eumdem obtrectationes?

Tandem Lectores monitos facio, ne Pighium istum, in Campensi Germaniæ Inferioris civitate ortum, cum Campensi, quem pariter Polus inter ami-

amicos suos habuit, cujusque in re Biblica literaturam plurimi fecit, confundant. Id factum video in Vita M. Antonii Flaminii ad frontem nuperrimæ Editionis Patav.an.MDCCXLIII.Carminum ejusdem apposita, nam in ea ita legitur: *Ubi vero ad Sacrarum Litterarum studia (eodem Giberto duce atque Alberto Pigbio Campense doctissimo viro præceptore) traduxit animum &c.* Quinam fuerit Campensis, a Pighio diversus, occasionem explicandi nactus sum in Cap. V. Diatribæ superioris, versus Fracastorii recitans, in quibus iste Flaminio, & Florimontio gratulatur, quod in Giberti Academia cœlesti sacræ Poesis nectare animum alerent, *Campense magistro*. Hunc ibi notum reddidi, primo quidem ex binis Poli ad Contarenum literis, deinde ex Erasmi Epistola, pariter ex Opusculis juxta Hebraicam veritatem Venetiis an. 1533. impressis, *authore Joanne Campensi, publico Lovanii Hebraicarum literarum Professore*, demumque ex Monito præfixo Commentariis Jo: Baptistæ Folengii in Psalmos an. 1585. Romæ editis. Nunc autem addam, hunc ipsum Campensem pluribus vicibus memorari in MSS. Prioli literis, quarum unæ Gherio, Fanensi Antistiti, significant, eo præceptore Ludovicum Beccatellum sacris literis incumbere, & valde in istis proficere, idque eo tempore, quo certum est, Albertum Pighium, relicta Italia (quo sæpius accesserat gravissimis de Religione negotiis adhibitus ab Hadriano VI. Clemente VII. Paulo III.) in Germaniam remigrasse.

§. VI.

§. VI.

Ad Epistolas
LI. LII. LIII. LIV. LV.

Quinque harum literarum recensio, quod pauculas tantum Collectionis nostræ paginas impleant, pauculis etiam lineis concluderetur, nisi necesse mihi foret argumentum ex illis capere lugubrem rerum Anglicarum statum, quem scilicet earumdem nonnullæ designant, exponendi; quod dum fecero, præsens §. justam & ipse mensuram sortietur. Istarum prima ad Davidem Betonium, sacra Purpura a Paulo III. die 22. Decembris an. 1538. donatum, exarata est, non tamen Calendis Januarii an. 1538. quas notas chronicas præfert, sed aut Calendis illis an. 1539. aut die aliquo ante easdem an. 1538. ut ex notæ cum Purpuræ delatæ die, de quo dubitare non licet, concordent. Religiosi, & sancto Cardinali admodum digni sunt sensus, quos in eadem more suo Polus effert, in qua non uni tantum Cardinali recens cooptato, sed Ecclesiæ Romanæ, sed Jacobo Scotiæ Regi, sed universæ Scotiæ, sed sibi tandem gratulatur. Ecclesiæ quidem Romanæ, quod uberrimam Deo gratias agendi materiam habeat ex tali filio suum in Senatum relato; Regi Scotiæ, quod Regno suo in tanta, & tam vicina contagione, quæ universum vicinum populum infecit, integrum & in-

incontaminatum servaturus, eidem de columna Ecclesiæ prospexerit; Scotiæ ipsi, ad quam maximi fructus tempore maxime necessario perventuri forent, ex novi Cardinalis virtutibus; sibi denique, qui non posset non sperare tali vel exemplo, vel auxilio vicinam Patriam suam ad pristinum decus restitutum iri: *Quod* (inquit) *faxit Christus Dominus, & Sponsus Ecclesiæ, qui, ut ejusdem maculas abstergeret, sanguine tam suo preciosissimo lavit, cujus exemplo, qui Dominus est omnium, nos pro eadem sanguinem fundere semper parati esse debemus. Cujus rei nos inter alia maxima vel vestimentum ipsum nostrum nos admonet, unde nos si aliquis, ut Propheta, ille interroget: Quare rubrum est vestimentum tuum? hoc solum habemus quod respondeamus: quod Christus fecit, quod nos factis potius, quam verbis respondere decet. Id quod sperare de Rma Dominatione Vestra, & mihi firmiter polliceri non dubitabo*. Sanctissimum hoc Poli monitum Cardinalem Scotiæ animo suo bene fixum gessisse, sanguis ab ipso post aliquot annos pro Catholica fide fusus manifeste comprobavit; eoque certe promeritus est, ut in Catalogo Cardinalium ex fama Sanctitatis illustrium, qui in sapientissimo Opere de Servor. Dei Beatif. & Beator. Canoniz. l. III. c. XXXIII. exhibetur, ipse pariter locum, eumque non ultimum, nanciscatur, quemadmodum suum ibidem nactus est Cardinalis Joannes Fischerus. Quot, quantique Scriptores honorifico Martyris titulo appellarint Davidem Betonium, & quam validæ præterea

sint conjecturæ, seu potius confirmationes ejus honoris eidem a Deo impertiti, docet luculenter Historia Cardinalium a Donio d'Attichy, Episcopo Æduensi, collecta', cujus Tomo III. Vita ejusdem Betonii continetur, ibique Cardinalis S. Stephani in Monte Coelio, Archiepiscopus Sant-Andreanus, Episcopus Mirapicensis, & demum Martyr inscribitur, atque in eadem disertis verbis affirmatur, argumento irrefragabili colligi, *vere Martyrem dici posse Cardinalem Betonium*. Hunc certe Paulus Pontifex in amplissimum Collegium cooptavit eo ipso sanctissimo consilio, quo ante biennium cooptaverat Fischerum; idque nobis detegit Sadoleti Epistola ad Paulum III. Non. Jan. 1539. *Perspexi* (ita in ea loquitur) *penitus cum altitudinem animi tui, tum vim singularis prudentiæ, per quam pati non vis, impium Regem vacantem domesticis finitimisque periculorum suspicionibus, impune ac licenter in depopulanda Dei Ecclesia debacchari: quod consilium simul & factum Sanctitatis Tuæ Deum immortalem fortunaturum esse non dubito, idque uti ita eveniat, Deum eundem precor.* Pontificis consilium & factum fortunavit Deus, at martyrio Cardinalis ejusdem, quod evenit an. 1546. aut 1547. quodque subsequuta est post annos circiter quadraginta cædes impia Reginæ Mariæ Stuartæ, de qua, ut ad Catholicæ Religionis normam educaretur, insigni zelo laboraverat idem Betonius. Hujus proinde Martyrium admodum apte connecteretur, non solum Fischeri, sed & Reginæ illius Mar-

Martyrio, quod eidem etiam nihil fortasse deesset ex iis, quæ pro vero Martyrio sunt necessaria, ut in paulo ante laudato sapientissimo Opere lib. III. de Mariæ Martyrio prædicatur. Cardinali quoque Polo ad subeundum Martyrium, cujus hortatorem se Betonio præbuerat, non animum, sed occasionem defuisse, sexcenta Epistolarum ejus loca, præter ipsius Vitam, evincunt; Confessoris autem nobilissimi titulum eidem deberi, nemo certe diffitebitur, nec etiam locum in eo ipso Cardinalium Catalogo, de quo supra.

Binas literas, quæ sequuntur, Polo dedit Georgius Selva, Vaurensis Episcopus. Primis exhibet officia sua, idest domum suam, & suas, suorumque fortunas Polo, ad amplissimam Legationem gerendam iter per Galliam facturo, ut partim ex fama, partim ex literis Aloysii Prioli ad Danesium datis acceperat. Illas Selva dedit Venetiis IV. Cal. Mart. 1537. Alteras vero Vauri Cal. Jan. 1538. hisque Polo commendat Franciscanum quendam, Virum non solum doctrina, sed etiam moribus, ut ipse loquitur, Christianum, cujus opera in Diœcesis suæ regimine utebatur, & de cujus negotio copiosissime scripserat ad Cardinalem Sanctæ Crucis. Binæ tandem postremæ inscribuntur, Domino de Granvelle primæ, Nicolao nimirum Perrenoto, patri Antonii Cardinalis Perrenoti, Cancellarii munus in Aula Caroli V. gerenti, & alteræ Petro Soto, Confessario ejusdem Cæsaris, atque in utrisque postulat Po-

tus, ut res Religionis, quas in Anglia pessum ire nunciabatur, fidei, & religiosissimo animo ejusdem commendare dignentur, quantum pietate, & authoritate valerent apud ejus Majestatem, quam Deus in tanto gradu ad Ecclesiæ suæ defensionem constituerat.

Venio nunc ad exhibendum Anglicanarum rerum statum, de quo horrenda se percepisse Polus in iis literis ad Nicolaum Gravelanum affirmat. Hujuscemodi profecto videbuntur cuivis ea legerit apud Historicos ejus ætatis; at nemo fidelius ea repræsentasse censendus est, quam Polus ipse in eo Scripto, quod Apologia ad Carolum Cæsarem inscribitur, quodque in superiori Volumine integrum ex MS. Cod. Vat. evulgavimus. Ex ea igitur Apologia aliquot loca excerpam, quæ aperta faciant atrocia illa Henrici Anglorum Regis flagitia, unde non Catholicorum tantum, sed hominum quorumvis animus, dummodo humanitatem omnem non exuerit, maximo horrore perstringatur. Iis autem recitatis æquo & Christiano Lectori judicandum remittam, num Jacobus Augustus Thuanus de eo Rege ita scribens Historiar. l. 1. ad an. 1534. *In reliqua vita* (loquutus antea fuerat de Pontificia potestate abrogata) *ita se gessit ille Rex, ut eum, si æquiores, & prudentiores Pontifices nactus fuisset, sponte se subjecturum ipsorum potestati fuisse appareret;* & l. 3. ad an. 1547. *Princeps omnibus naturæ donis cumulatissimus, & in quo, si in voluptates solutior non fuisset, nihil merito desiderare posses;* judicandum, inquam, re-

remittam, num Thuanus ita de Henrico Angliæ Rege scribens, celsissimas eas laudes in Historia conscribenda promeritus fuerit, quibus ipsum ad cœlum extollunt quotquot eundem nuncupant veritatis Historicæ lumen, inter Historicos recentiorum seculorum nemini secundum, Historicum incomparabilem. Quoniam autem in iis Thuani Historiis nec vola nec vestigium apparet horrendorum scelerum, quæ ab Henrico perpetrata fuisse constat, earundem veneratorum partes erunt, causam afferre, cur *Catholicorum suorum scelera* (hanc ipsi laudem plures tribuunt) *non dubitaverit divulgare, adeo vere, & usque adeo veritatis habita ratione, ut ne Papæ quidem pepercerit*, alto autem silentio presserit gravissima flagitia, quæ jam jam describenda aggredior ex præclarissimo monumento, cujusmodi profecto habenda est Poli lucubratio illa.

Ibi num. XVIII. quo pacto Henrici avaritia usque ad sacrorum deprædationem exarserit, his verbis repræsentatur: *Quot enim fuerunt tyranni, & privati etiam, avaritia maxime infames, quorum tamen cupiditas non ita graviter exarsit, ut ad deprædationem sacrorum perveniret? Hic vero uno die tercenta & sexaginta, si bene memini, Monasteria ad prædam sibi designari fecit, id quod voluit esse decretum Consilii regni, ut Nobilitas majorum suorum monumenta, & plebs sua prope alimenta (talia enim erant illa Monasteria) impiæ ejus cupiditati sponte concederent. Ex tali vero decreto (si decretum appellari volumus, quod tremenda*

ava-

avaritia ab invitis extorsit) sic post consensum, utcumque datum involare festinabat in prædam, ut quamquam omnia abacta, quæ alicujus pretii essent ex Monasteriis, atque in fiscum redacta audiret, prædia autem omnia illius juri atque jurisdictioni subacta, tamen quandiu starent ædificia, quandiu aliquod vestigium extaret, per quod judicari posset aliquando non fuisse ejus juris, nunquam quiescere potuit. Quare dirui & funditus everti jussit quidquid uspiam sacri, vel profani ædificii in illis Monasteriis esset. Hoc vero cum tardius fieret propter firmitatem ædificiorum, quod omnia fere ædificia Monasteriorum, quæ ad perpetuum Dei cultum dedicata essent, ex quadrato lapide, & cum plura ad summam magnificentiam constructa essent ad perpetuitatem religionis, quantum industria humana perficere potuit, ab illis piis & nobilibus animis fundata, qui suæ pietatis ad exemplum posterorum, & perpetuitatem divini cultus, quam longissimam memoriam esse cupiebant; hæc ergo, ut dixi, cum tardius dirui audiebat, hac arte est usus, qua in bello in expugnandis hostis urbibus uti Duces solent ad celerem eversionem, ut immisso in fundamentis murorum pulvere, & ignem scilicet adhiberet. Qua ratione plurima, & præclarissima regni ædificia, & sola digna, quæ pro ædificiis in Anglia spectarentur, maxima ornamenta regni, & præclarissima monumenta pietatis majorum nostrorum, ac plebis egestati maxima subsidia, quæ hostium incursionem toties evasissent, tot seculis durassent, una hora absumsit, ut unius hominis ardenti avaritiæ satis fieret, si hominem adhuc ap-

appellare possumus, a quo humanæ malitiæ & impietatis terminos tam longo intervallo videmus superatos.

Enarratur postea tribus iis numeris, qui illico in eadem lucubratione subsequuntur, Henrici sævitia (& ea pariter locum minime nacta est in Thuani Historiis) adversus Cardinalem Roffensem, & Thomam Morum; at quoniam de illa dictum fuit in primi Voluminis Diatriba, quod spectaret ad tempus in eodem comprehensum, satis erit Lectorem hic monere, POLUM in ea narratione fidem perhibere, Henricum ante facinus illud de Roffensis doctrina, virtute, & benevolentia ita præclare sensisse, ut, nemine interrogante, sua sponte gloriari soleret, talem in Regno suo Episcopum se habere, qualem sibi persuadebat neminem aliorum Principum ostendere posse: *Hocque* (inquit) *ipse memini, non solum me præsente, sed quod ad me sermonem converteret, quem existimabat, quia diutius studiorum causa fuissem peregrinatus, majorem cum viris doctis consuetudinem habuisse, eum dixisse, se judicare, me nunquam invenisse in universa mea peregrinatione, qui literis & virtute cum Roffense esset comparandus.* Sævitia autem, quæ spectat ad tempora, quæ in hoc Volumine prosequimur, enarratur toto n. XXII. eaque statim declarata dicitur in illis Viris, *Quos partim ex Religiosorum, qui sanctæ Brigidæ appellatur, partim ex Ordine Carthusianorum extractos ex monasteriis, ubi tantum orationibus vacabant, pro salute quidem universæ Ecclesiæ, præcipue vero Regis ac regni, quibus nul-*

nulli in nostra provincia fama sanctitatis, & observantia religionis magis celebres fuerant, mori ob eandem causam fecit. Exponitur deinde, quam ingeniosa fuerit ea crudelitas, ne videlicet Monachi illi mortem gustarent, nisi postquam ex uno supplicio ad aliud pertracti, cruciatus mortis multifariam experti fuissent, & quam insignia eorundem sanctitatis, & integritatis apparerent, dum eorum corpora nudarentur, indicia, scilicet cilicia, ex quorum duritie, gladii aciem non admittente, jam non secari corpora, sed lacerari viderentur. Quare affirmatur, nullum miserabilius, & crudelius spectaculum Christianis oculis exhiberi potuisse; & statim: *Sed quid Christianis oculis dico? Qui hominis oculos, & animum haberet, etiamsi is infidelis esset, modo signum illud sacrati Deo corporis agnosceret, etiamsi crudelius aliquid in eos, qui illud gerebant, prius cogitasset, postquam subito nudatum Dei servorum signum, cui reliqua vita omnis respondisset, an quisquam inter infideles tam alienus a cultu Numinis inveniri posset, qui majoris crudelitatis occasionem ex eo sumeret, quin potius manum idem retraheret, ut subsisteret, ut parceret? Verisimilius certe de omnibus, qui aliquo modo Deum venerantur, existimari posset.* Subditur, ne Tyrannum quidem Turcarum quicquam simile, si Monachi illi suas in manus captivi incidissent, adversus eosdem facturum fuisse, de quo ab iis, qui illius morem noverunt, prædicatur, Monachos in monte Athos, ejus ditionis loco, viventes, sic nulla ab eo contumelia affici, ut sæpe ad illos mu-

munera mittat, &, quoties ad bellum proficiſcitur, ſe eorum orationibus commendet. Demum concludit, eos, qui ſtarum provinciæ norant, prorſus affirmare, numerum illorum, qui per quadraginta annos in eadem bello, vel peſte, aut quavis alia calamitate periere, haud æquari poſſe eorum numero, quos Henrici ſolius gladius ad mortem cum cruciatu perduxit.

Tandem progreditur POLUS n. XXIII. ad oſtendendam Henrici Regis immanitatis, ut ipſe loquitur, profunditatem ex maxime impiis ſacrilegiis, quibus ille in Divi Thomæ Cantuarienſis ſepulchrum, & corpus deſæviit; eandemque iterum deteriorem facit Turcarum Tyranni moribus, quippe qui, dum victor paucos ante annos Rhodum ingreſſus fuiſſet, ubi multorum Sanctorum corpora erant ſepulta, nec in horum ullum quicquam contumelioſe fecit, nullum prorſus ex ſepulchro ejecit, imo petentibus Chriſtianis, ut ſibi liceret quædam corpora, & reliquias eorundem ſecum aſportare, id benigne permiſerit. Quæcumque toto eo numero XXIII. de Henrici impietate narrantur, hujus profunditatem adeo ob oculos ponunt, ut quivis illa legerit, tandiu ſibi certe videri poterit apud Inferos verſari, quod ipſum ſibi viſum POLUS affirmat, dum ſævitias omnes illas Henrici ad memoriam revocaret, & ſcriptis conſignaret. Horrebit cujuſque animus ea legere, at prætérquam quod multa inde emergunt, ſinceram referentia hiſtoriam martyrii primum Sancti Thomæ, deinde pœnitentiæ

ab Henrico II. de eo ſcelere actæ, ac tandem edicti ab Henrico VIII. in eundem Sanctum promulgati, clarius etiam patebit, Thuanum ab hiſtorica fide defeciſſe, dum Henricum, poſt veterem Religionem abrogatam, tot tantiſque cædibus ditiones ſuas populatum, omnibus tamen virtutibus, una excepta ad voluptates proclivitate, ornatiſſimum fuiſſe dicit, ac promeruiſſe, ut ejus tempora in æquiores, atque prudentiores Pontifices inciderent.

Poſtremum hoc Thuani judicium etſi loca hucuſque allata abunde refutarint, cogor præterea ex ſtomacho, quem mihi movet, in eodem refellendo aliquantulum adhuc immorari, ac ſtatim libere dicam, æquiorem a me pariter, prudentioremque Thuano Hiſtoricum deſiderari, ne Pauli III. cujus ſententia ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſeclusus fuit Henricus Rex, nomini, atque virtutibus ea nota inferatur, a qua certe promerenda longiſſime abfuit. Summi illius Pontificis in Chriſtiana Rep moderanda æquitas, atque ſapientia ut indubiis documentis undique conſtent, non hujuſce tantum Diatribæ, ſed univerſi Operis ad Poli literas evulgandas, illuſtrandaſque a me ſuſcepti unum eſſe ex præcipuis inſtitutis, facile quivis intelligit ex ejus Operis parte, quam publici jam juris feci. Ei autem æquitati, atque ſapientiæ adeo non derogavit anathema illud in Henricum inflictum, ut potius eaſdem commendaverit. Quid, amabo, æquius, quid prudentius ab eo Pontifice fieri poterat, quam ut ſcriptam in Henricum,

qui

qui ab Ecclesia se se jam segregaverat titulo Supremi ejusdem Capitis sibi arrogato, Excommunicationis sententiam per tres & amplius annos intra scrinia sua contineret? quam ut de eadem pervulganda non cogitaret, nisi postquam defectionem illam suam Henricus horrendis perpetratis immanitatibus magis magisque fœdasset? quam ut evulgationem tandem illam decerneret, habitis prius de ea re quatuor sapientissimorum Cardinalium suffragiis, quorum princeps Contarenus, homo profecto, in quo nemo erit qui pereximiam animi lenitatem, ingenuam sensus suos coram Pontifice depromendi libertatem, summam sapientiam, ac singularem demum erga Henricum Regem amorem desideret? Quam mature Paulus Pontifex, quam ægre ad eam sententiam ferendam processerit, vel ipsa ejus verba satis manifestant: *Nos qui, ut hominum natura fert, facile credebamus, quod desiderabamus, dictam executionem suspendimus: sperantes, ut nobis spes data erat, ex ipsa suspensione correctionem, & resipiscentiam, non autem pertinaciam, & obstinationem, ac majorem delirationem, ut rei effectus edocuit, proventuram. Cum itaque resipiscentia & correctio hujusmodi, non solum postea sequuta non sit, sed ipse Henricus Rex quotidie magis se in sua feritate, ac temeritate confirmans, in nova etiam scelera proruperit, &c.* Quid, quod hanc Pauli Bullam Principes quoque, nimirum Carolus Cæsar, Franciscus Galliarum Rex, Jacobus Rex Scotiæ, probasse comperiuntur, dum eandem suis in ditionibus affigi ultro sunt passi? Novi

utique, alio prorsus modo de ea re argumentantem Burnetium ita scribere: *Puisque ces mêmes Princes continuérent de vivre dans une bonne intelligence avec Henry, ils mépriserent la Sentence du Pape*. At multo justius Burnetianam hanc ratiocinationem improbasse reperio Abbatem Joachimum le Grand, qui Tomo II. libri sui *Histoire du Divorce &c.*, quem laudavi in superioris Voluminis Diatriba, ad eandem ita reponit p. 198. *Le raisonnement de M. Burnet est fort specieux, & il auroit toute la vraisemblance imaginable, si les Princes étojent toûjours bien instruits de leur interests ou plûstôt, s'ils ne préferoient pas, comme les autres hommes, l'utile, & le present à l'honneste & au futur*. Moxque allatis in medium literis Domini de Marillac perspicue ostendit, non a sapientibus Pauli III. consiliis, sed ab impiis Henrici Regis factis Carolum Cæsarem, & Franciscum Franciæ Regem alienum animum gessisse, quem tamen aliorsum malo fato traduxerint mutuæ eorundem suspiciones. Ita Gallus ille Scriptor, & hujusmodi Gallus, qui Aulæ suæ primatibus, quorum aliqui, & magnæ quidem auctoritatis, adhuc in vivis degunt, acceptissimus fuit ob lucubrationes illas suas, quas eorundem auspiciis evulgatas, dum Lutetiæ morarer, intellexi.

At inspiciamus insuper, num forte Thuanus æque injurium, ac in Romanum Pontificem, se in Regem suum Franciscum præbuerit. Id utique nec Gallos, quotquot sunt, in dubium revocare posse puta-

tarem. Bossuetus libro VII. Operis sui *Histoire des Variations &c.* in Henrici Regis Angliæ gestis nil migis agnoscit, quam *le comble de la cruauté & de la tyrannie*, affirmans, vel ipso Burnetio teste, eundem in eas nequitias prolapsum fuisse decem extremis vitæ suæ annis, quod temporis spatium juste respondet apertæ ipsius Regis a Romana Ecclesia defectioni. Burnetii de ea re testimonium ipse attuli in Animadversion. ad priorem Epist. Schel. quo utique imaginem teterrimi tyranni, humana, divinaque omnia jura proterentis, in eo Rege repræsentavit. Isaacus Larreius in Opere *Histoire de l'Angleterre &c.* Historiam Henrici VIII. his verbis concludit: *On ne peut nier que la plûpart de ces reproches* (loquitur de Henrici vitiis) *ne soient bien fondés. Cependant on ne peut refuser à ce Roy le titre de grand Prince, quand on luy denieroit celui de bon & de juste; & si sa memoire n'est pas digne des louanges de la posterité, a cause de ses cruautez qu'on ne sçauroit lui pardonner, elle est digne au moins de son admiration par les choses merveilleuses, qu'il a eu la hardiesse d'entreprendre, & le bonheur de mettre en execution.* Id ipsum de Henrico testantur plerique omnes Historici, etsi ex grege Heterodoxorum. Unicum igitur Thuanum fuisse reor, qui non solum ab omni fere culpa Henricum absolvit, sed diserte tradit, nihil eidem ad optimi Principis laudem defuisse præter immodicarum voluptatum fugam. Inde vero ille ipse sibi affirmare licuisse putavit, dum ad an.

an. 1547. ageret de Henrici morte, talem, tantamque fuisse morum similitudinem inter hunc, & Franciscum Galliæ Regem, *ut nulla inter duos Principes vel temporum quovis intervallo disparatos major usquam commemorari possit*. Vitiorum itaque, quibus perdite deditus Henricus, haud expers habendus erit Franciscus, si Thuani dicto stemus. At Franciscum candore animi, clementia, & pietate nullum inter Principes habuisse parem, Jovius in Elogiis testatus est, nec dissentiunt plerique ejus ætatis Historici, iidemque fidem faciunt, opposita iis dotibus vitia in Henrico triumphasse. Quam dispares Francisci, & Henrici mores forent, nos docet (ut unum testem afferam) laudatus le Grand, nam postquam dixisset, graviter offensum fuisse Franciscum Henrico *de ce quel' année precedente* (1537) *Henry l'avoit vilainement abandonné, ou ne luy avoit donné que des paroles, lorsque Charles V. entra en Provence avec une armée formidable, & depuis quelques mines qui fissent les deux Roys, il n'y eut jamais une bonne intelligence entre-eux*; mox subdit: *Leur froideur enfin degenera en haine, l'on se reprocha les services rendus de part & d'autre, & on en vint a une guerre ouverte. Je remarque cependant, que Francois I. aimoit Henri; mais qu' Henry vain, orgueilleux, & plein de caprice au dernier point, n'aimoit rien.* Galli istius Scriptoris, cui, ut supra dixi, singularis honor apud gentem suam constat, quique non ex eo tantum Opere, quod laudavi, sed ex aliis etiam lucubrationibus, quibus eximium illud pau-

paulo ante memoratum Bossueti valide propugnavit, magnam apud Catholicos omnes laudem promeruit, standum esse in re, de qua actum est, potius quam Thuani, judicio, vel ipsos Gallos, optime animatos erga Principes suos, existimaturos confido.

Satis esse debuisset Thuano deprædicare indolem, quam Henricus primis imperii sui annis præsetulit, tuncque sententiæ suæ suffragatorem POLUM quoque habuisset, qui ea Regis sui initia, pro ardentissimo, quo erga ipsum flagrabat, studio, pluribus literis, ut jam vidimus, mirifice celebravit; utque eadem celebraverit in Apologia, ex qua superius excerpta dedimus, locus mox afferendus declarat: *Summum in eo pietatis studium apparebat, & religionis cultus, magnus amor justitiæ, non abhorrens tamen natura, ut tunc quidem videbatur, a clementia, tantum liberalitatis specimen, ut non solum, ubi opus esset, libenter daret, sed multos ultro ad virtutem præmiis invitaret, & virtute præditos muneribus honestaret; neque in hoc discrimen poneret, suus ne, idest ex regno, an externus esset, sed in quibuscumque virtutem elucere videret, dignam præmio judicabat, & præmiis afficiebat. Ex quo effectum est, ut etiam exteri multi ad eum confluerent, qui literis, qui aliis artibus præstantes erant, tanquam ad virtutis æstimatorem optimum, & præmiatorem liberalissimum. Ob quas causas non tam nostris, quam multis exteris nationibus, cœpit esse, ut celebris, ita maxime carus, ejusque nomen illustrari, quod maxime auxit præsertim pietatis fama eo tempore, quo orien-*

orientibus in Germania opinionum in religione dissensionibus, quæ spectare videbantur ad apertum schisma, se illorum principi auctori opposuit, cujus dogmata libro edito, quæ minus convenire videbantur cum Ecclesiæ veteri doctrina, oppugnavit. Qua in re grandem laudem ab omnibus meruit, maximeque a Summo Pontifice, ad quem librum misit. A quo ob eandem causam, & ardens studium, quod præseferebat in tuendis fidei dogmatis, bonorificentissimo Defensoris Fidei titulo est ornatus. Quod gratissimo ille animo, & summa cum veneratione accepit, eamque postea spem de se excitavit, ut de nullius pietate Ecclesia in dubiis suis rebus & periculosis, quæ erant, & pejora impendebant, temporibus, majora præsidia ad pietatis tutelam sibi promitteret. Hæc, inquam, POLUS ex sincero erga Henricum animo; at Thuanus, nescio quo studio abreptus, iis ipsis encomiis, quibus eundem, post eliminatam Pontificiam potestatem, *in reliqua vita* ornavit, ad obitum usque prosequi non est veritus. Causam, qua iste adductus virulentum calamum strinxit in Reginam Mariam Stuartam, pro comperta habemus, quod scilicet, seu Camdeni literas ad se datas, seu (quod verosimilius puto) Buchananum & Hæreticum insignem, & mendacem Historicum, sacra omnia, ac prophana audaci conatu temerantem, ut de eo loquitur civis ejus Guillelmus Barclaius, exscripserit; at quid causæ fuerit, cur Henrico Regi Angliæ gratificatus, Francisci Regis sui honori non pepercerit, prorsus me latet.

§.VII.

§. VII.

Ad Epiſtolas

LVI. LVII. LVIII. LIX.

QUATUOR literæ hujus §. ob oculos nobis ponent, qua ſingulari bonitate Deus Optimus Maximus fortunaverit induſtriam illam vere laudabilem a Paulo III. Pontifice adhibitam, ut, accerſitis undique adjumentis, atque præſidiis, Chriſtiani nominis utilitatibus proſpiceret. Binæ enim oſtendent cælitus excitatos ſanctiſſimos Monaſtici inſtituti cultores, quorum quoque exemplis & precibus Reſp. juvaretur, binæque alteræ (quod multo magis admirandum) vel ex armis, vel ex militum tabernaculis hominem proferent ſaluberrimorum conſiliorum auctorem, cujuſmodi certe a gente diræ illi diſciplinæ addicta, atque innutrita, vix erat, ut Eccleſia expectare unquam poſſet. Camillus Urſinus, ad quem datæ ſunt binæ priores Poli literæ, etſi a nobis ſecundo loco numeratæ, præclariſſimam, ex qua ortum duxit, proſapiam adeo illuſtravit ſuis inclytis geſtis, ut qui in eadem non aliud illuſtrius germen emicuiſſe diceret, non utique a vero abluderet. Militarem, qua excelluit ille, peritiam, Hiſtoriæ ejus ætatis abunde teſtantur, & omnium luculentiſſime Vita ejuſdem, Italico idiomate conſcripta ab Joſepho Horologgio, ac Venetis typis edita an. 1566. curante Ludovico Dolce, qui eandem Paulo, Joanni,

ni, & Latino Ursinis nuncupavit. Ibi pariter affirmatur disertis verbis, *Che Camillo Orsino sia stato non pure il magior huomo, che nascesse dell'Illustrissima famiglia Orsina così ne i maneggi di guerra come ne i governi de Popoli, ma ancora che fusse mai in tutta Italia.* Literæ autem, de quibus modo agimus, talem præterea, tantamque Christianam ejus pietatem fuisse edocebunt, ut inde presertim maximo in pretio ipsum habendum POLUS censuerit. Quare Paulus Pontifex ejusdem POLI opera est usus, ut Camillum ex Ferrariensi otio, cui se dederat post gestam per annos quamplures Venetarum copiarum præfecturam, sua ad stipendia evocaret. Hujus rei certam nobis fidem facit eadem Vita, in qua legitur: *Però fece* (Paolo III.) *che Reginaldo Polo Cardinale d'Inghilterra grandissimo amico dell'Orsino il chiamò dall'ocio di Ferrara con grandissima instantia a Roma, dove gli fù dato il titolo di Governatore Generale della Chiesa* Id accidit post Petri Aloysii Farnesii necem, ac proinde post annos decem quam scriptæ fuissent POLI literæ, quarum modo recensionem aggredior. In hisce, in primis nimirum ex duabus, elucebunt non solum sanctissima illa Camilli Ursini consilia, sed præterea ratio sapientiæ plena, quam, de gravissimis Ecclesiæ negotiis Paulus Pontifex deliberaturus, inire in more habebat, adhibens scilicet integerrimos, & prudentissimos Cardinales ad consultationes, eosdem intento maxime animo audiens, nec quidquam decernens, nisi quod post singula eorum dicta diligen-

gen-

gentissime expensa Reip. bono conducere judicaret; quæ ratio magis magisque confirmabit, per summam injuriam Optimum illum Pontificem a quibusdam insimulari, perinde ac si humani generis utilitatibus procurandis non eam diligentiam præstaret, quam Pontificatus sui partes, & iniqua tempora, in quæ ille inciderat, postularent.

Polus acceptis quibusdam Camilli literis, salutarium consiliorum & exhortationum Volumen, ut eas vocat, referentibus, statim earum exempla describenda curavit, quo ea cum Contareno, & Theatino Cardinalibus communicaret, quos in negotio tractando Polo consortes esse Camillus optaverat. Æque etiam consortes fuerunt in judicando earum literarum scribam dumtaxat fuisse Camillum, authorem vero, illum, qui mutos loqui facit, & ora disertorum obstruit, cujus tota foret causa illa, quæ in iis literis tractabatur. Eo autem animo quum essent, Pontificem adierunt, tempus petituri, quod commodum ipsi videretur, iis audiendis, quæ Christus, potius quam Camillus, exponenda mandaverat. Eo munere ut exactius, die quem Pontifex constituerat, fungerentur, onera inter se ita partiti sunt, ut non unus solus referret, sed singuli partes singulas sibi assignatas, idque, quod copiosissimæ essent eæ literæ, & rationibus abundarent, ac proinde haudquaquam facile possent ab uno tantum memoria teneri. Hæc Polus Epistolæ primo loco adnotatæ initio, quibus mox subjungit: *Summa autem attentione Sanctissimi Domini*

mini Nostri auditi sumus. De cujus animo si nunc quæris, quo pacto acceperit omnia, tibi quidem, qui filium habes, facilius multo erit, hoc æstimare, quam mibi scribere; maxime si hoc tecum cogites, quo animo esses, si quempiam filii tui sanctos in pietate progressus, mentem in veræ, & sinceræ religionis cognitione illustratam, animum denique in omni virtutis genere, ac in omnibus, quæ hominem carum Deo, & hominibus reddere possent, confirmatum, narrantem, & certis testimoniis tam præclarum profectum probantem audires; si nihil gratius auribus tuis accidere posset. Certe, & gratissima primum attentio Pontificis, & postea responsio multo benignissima declarant, non alio animo hæc omnia de te, quem carissimi filii loco habet, narrantes nos certis testimoniis audivisse, & eo quidem gratius hæc accepisse, quo magis Respublica Christiana tali Viro his temporibus maxime opus habet, quod in sua responsione maxime declaravit. Refert postea ejus responsionis summam, quæ hujusmodi est, ut quisquis eam legerit, non commendare tantum, sed ad cœlum tollere adigatur, oportet, flagrantissimum studium, quo Paulus Pontifex satagebat eos motus sedare, unde Christiana Resp. jactabatur, ita tamen, ut interioribus malis primum obviam iretur, deinde exterioribus. Quare inter cætera hæc Pontificem respondisse, significat: *Etsi nulli rei magis studere se, quam ut hæc ipsa, & hoc modo fiant, quod summum Dei beneficium agnoscit, qui ante omnia Concilii universalis indicendi voluntatem, & pacis inter Principes*

pro-

procurandæ ſtudium, ſemper poſt commiſſam curam univerſalis Eccleſiæ maxime infudit; tamen hanc ipſam exhortationem ſic gratam eſſe, ut, quaſi Deo per te exhortante, quo enixius laboret, in eo, in quo nunquam nimis magnum ſtudium poni poteſt, eundem libentiſſime, & cum ſumma gratiarum actione audiat, quem videt, quanto ardore ſpiritus, & caritate in Deum, & Eccleſiam, atque quanta animi ſollicitudine ſcripſerit. Tandem quod Camillus in literis ſuis id vehementer flagitaſſet, ut Dalmatiæ rebus haud mediocriter periclitantibus ſuccurreretur, multiſque rationibus oſtendiſſet, Venetos in eo ſancto bello omni ope a Pontifice eſſe adjuvandos, hunc conſtanter affirmaſſe Polus Camillo ſignificat, nullum eſſe patrimonium in Eccleſia, *quod ad ſuum uſum, vel aliorum Eccleſiaſticorum malit converti, quam Illuſtriſſimorum Dominorum Venetorum uſus, in tali cauſa, & tempore.*

Hæc Polus ſcripſerat poſt rem cum Pontifice geſtam, & poſt imperrata ab eo quæ pro tempore concedi potuerant; at gravis valetudo nuntii, ſeu procuratoris, quem Romam Camillus tranſmiſerat, ejuſdem diſceſſum remorata, effecit, ut ille literis ſuis auctarium adjungeret, totum utique ab animo cœleſtibus, & divinis cogitationibus referto profectum. In eo ſtatim declarat, ſe Camilli literas accepiſſe, non ut vulgo amici ad amicos ſuis de negotiis ſcribunt, ſed ut primitias ſpiritus Deo, patri ſpirituum, dedicatas, quæ proinde ſimulac ad ſe perlatæ fuerunt, ad officium ſuum, qui *puer in domo Dei, & ſummi*

Sa-

Sacerdotis Diaconus foret, pertinere judicaverat, easdem ad summum Sacerdotem perducere, a quo postea Deo offerri possent. *Cum vero* (subdit) *quales essent primitiæ considerassem, id est non horum fructuum, qui humana cultura maturitatem, & bonitatem accipiunt, sed quorum Deus solus incrementum dederat, ad illum primum deferendos existimavi, qui cum Filius Dei, & Deus esset, nostra causa, ut grata nostra sacrificia Deo faceret, voluit Sacerdos fieri, ut in sempiternum appareret vultui Dei pro nobis, qui est Christus Dominus Sacerdos in æternum, benedictus in sæcula. Ad hujus ergo pedes in ejus conspectu eos projeci, addito orationum mearum incenso, quod ab eodem accepi, ex quo nihil jam dubito in odorem suavitatis Deo Patri suo eum obtulisse, omnia enim sua Patri semper offert; in his autem omnibus nihil est, quod non suum agnoscet.* Petit deinde, ut Camillus hujusmodi fructus, quos ex divina plenitudine acceperat, cum fratribus suis communicaret, moxque narrat, quomodo ejus animus, quum jam jam præ mœstitia deficeret, Camilli literarum lectione refocillatus fuerit, & ad pristinas vires restitutus. Testatur vero, se tristitiam illam non quidem sensisse, quum cerneret in quem se labyrinthum conjecisset Legatio paulo ante suscepta pro Christi causa, male in ea habitus a potentissimis Principum Christianorum, per quorum provincias sibi eundum fuerat, & omnibus præterea insidiis expositus sibi paratis ab eo Principe, cujus bono procurando eam Legationem admiserat, non, inquam,

tri-

triſtitiam eo tempore ſe ſenſiſſe, imo vero ſecuriſſime illud traduxiſſe, teſtibus quotquot ſecum comites erant, eandemque ſecuritatem perduraſſe uſque ad reverſionem ſuam in Italiam, ubi nihil non ſecurum ſuſpicari potuiſſet; eo autem ſimulac deſcendiſſet, tunc primum animum ſuum e curru veluti igneo, cujuſcemodi Heliæ ille, in altiſſima valle ſibi viſum fuiſſe depreſſum, atque ibi moerore & fame prope contabeſcere. Quam vero vim ſui ſanandi literæ illæ Camilli habuerint, his verbis exponit: *Talem quidem vocem* (induxerat Angelum ad Danielem, in lacu leonum poſitum ita clamantem, Daniel, Tolle prandium, quod miſit tibi Deus) *tabellarii tuarum litterarum audire videbar, cum illas traderet, quas vix, mihi crede, in manu accepi, cum ſtatim quaſi odore aliquo bono meum animum recreari maxime ſentiebam. Ut vero aperui, & legens animadverti, quo tu lumine, qua prudentia ſpiritus, orbis Chriſtiani mala, totius ægritudinis Eccleſiæ cauſas colligis, deinde quo ardore animi, quanta fide remedia proponis, medium oſtendis, viam ad eum facile aperis; hæc quidem legens, cum inter omnes cauſas ægritudinum, meam interim agnoſcerem, cum pabulum, quo maxime egebam, appoſitum videbam, quod ſtatim apprehendi, in eodem quidem momento vires mihi reſtitui, iterum me abs te in currum igneum illum tolli, & tandem in ipſo ſinu Abrahæ requieſcere cum Lazaro mihi videbar.* Lætus itaque omnino literas ſuas Polus obſignat die 14. Januar. 1538. & in Dalmatiam tranſmiſit, quo

quo Camillus, ut ex ejus Vita constat, ab anno 1532. concesserat, ibique rem militarem adversus Turcas strenue gerens, plura eorum oppida expugnavit. Eum tamen Veronæ se nancisci posse Polus in Italiam redux speraverat, atque cum ipso panem illum quotidianum, quem eidem minime deesse posse judicabat, frangere: *Quo ut perveni* (inquit) *nec te reperi, quam præsentia tua sedari posse sperabam, insperata absentia augeri necesse fuit*, famem, de qua supra, intelligit.

Quæ mox subsequitur Epistola, nihil & ipsa a prioris sensibus degenerat, probatque, æque ac præcedens, Polum pietatis, qua ipsius pectus calebat, veluti magistrum, Camillum agnovisse. Ad cujus rei argumentum satis erit ejusdem initium recitare: *Quod ad me attinet, vere dicere possum, nullam meminisse me unquam ex homine, vel hominis potius ministerio, consolationem accepisse majorem, aut lumen clarius accepisse, quam quod aliquando sentio legendo tuas litteras, de quibus hoc vere dicere possum, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, statim exultasse in gaudio infantem in utero animi mei, adeo ut non dubitarem, etsi enim unam tantum matrem Domini secundum carnem agnoscamus, tamen cum fructum animi tui ita in fructum uteri animi mei operantem sentirem, statim ad me dicere: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Nisi enim in utero Deum consolationis gestares, ad verba tua animum gestientem gaudio, qui prius mœrore fuit repletus, nunquam prorsus sensissem.*

Ad-

Addit ſtatim, ſe legiſſe pariter literas, quas ad Regem Chriſtianiſſimum Camillus ſcripſerat, at valde dubitare, ut ſplendorem ex illis diffuſum ferre poſſent eorum oculi, *qui in tenebroſa valle habitant, ubi ſunt domicilia hominum & principum hujus mundi*. Cujus ſuæ dubitationis cauſam ut magis declaret, recitat verba Heliæ Prophetæ ad Heliſeum, *Si me videre poſſis, cum tollor, fiet quod petis; ſin minus, non fiet*: verba quoque Pauli Apoſtoli ad Corinthios, quibus, ob eorum contentiones, lac tanquam pueris, non ſolidum cibum dare, ſe coactum eſſe affirmat. Quare concludit: *Hoc valde cuperem, ut, non tanquam ſol, ſed potius, qua cum illis agendum eſt, qui affectos oculos habent, & ſolis ſplendorem ferre non poſſunt, ut tanquam ſtella, lumine magis proportionato ægris oculis, in locum illum eos conduceres, ubi ad ſtellæ oſtenſionem Chriſtum cum matre inter animalia pannis involutum viderent, qui non poſſunt eum exaltatum contemplari. Tale ergo lumen in litteris tuis, quale ſtellæ diffundere ſolent, ſi oſtendere poſſes, ad eos ſcribes, qui veſtimenta ejus, ut ſol ſplendentia, adhuc videre non valent*. Data eſt Epiſtola iſta 21. Mart. 1538.

Porro rectæ conſcientiæ, atque ſinceri animi, fideique pleni perſpicua edidit argumenta Camillus Urſinus ad extremum uſque vitæ ſpiritum, ac proinde uſque ad an. 1559. quo deceſſit, dum a Paulo IV. poſt Nepotes ab omni adminiſtratione ſubmotos, regimen univerſum Eccleſiaſticæ ditionis ſibi commendatum ſapienter, ac fortiter ſuſtineret. *Era*

cosa maravigliosa (ita de Camillo munus illud gerente in ejus Vita) *vedere la matina per tempo i Cardinali, i Vescovi, e gli altri Prelati della Corte andare a Palazzo dove era l'appartamento suo appresso quello del Papa, per conferire con un soldato così le cose publiche, come le private di tutto lo stato loro, tanto più piena di maraviglia quanto più si conosceva insolita & non mai più accostumata che altri che Cardinali, e Prelati grandissimi avessero l'intiero governo, e la suprema autorità nelle cose della Chiesa*. Inter Epistolas Petri Aretini una extat lib. II. ad Camillum Ursinum data an. 1538. quæ tota est in extollenda præclara ejusdem cura, qua militum, quibus præerat, disciplinam ad exactam Christianæ sanctimoniæ normam ita redigere satagebat, ut ab iis quoque vitiis, quæ vel ipsorum Sacerdotum, & Monachorum mores haud raro inficiunt, abstinerent. Hanc vero Camilli laudem multo pluris faciendam Aretinus affirmat, quam oppida subigere, quod in istis vis, in illa ratio dominetur.

Binæ reliquæ hujus §. Epistolæ fidem faciunt, ut diximus, sanctissimos quoque Cœnobitas, temporibus quæ prosequimur, non defuisse, innocentia primum sua, & vitæ integritate, deinde etiam industria, correctionem, emendationemque morum curantes, quam in universo populo Christiano Pauli Pontificis virtus, & sapientia moliebatur. Præstabat inter ipsos pietate, atque doctrina Marcus Monachus, ad quem datæ sunt Epistolæ illæ. De eo autem

tem plura prodidi in superioris Voluminis Diatriba, & multo adhuc plura in Epistola, quæ septima est Decadis meæ tertiæ, in qua scilicet nonnulla loca literarum, de quibus modo agitur, recitavi, unde omnino innotesceret, divinis referta charismatibus præcordia eum Monachum gestasse. Quæ spectant igitur ad Marci sanctimoniam, tam in binis hisce, quam in aliis Poli literis, mellito prorsus sermone commendatam, haud opus est hic rursus Lectorum oculis subjicere; hos tamen ut convertant, velim, ad inspiciendum, num ea ætate in Ecclesia Catholica ne mica quidem sanctitatis, ut Heterodoxi contendunt, extaret, an contra pretiosis ipsa donis redundaret, ex quorum fonte profluerent tot sancti labores, quibus Christi Servi male se habentes, & ægros ad sanitatem animi revocare conabantur. Vas profecto cœlestium charismatum a Polo habebatur Monachus ille, cujus proinde eloquia, tanquam ros fluentia, aliorum ariditatem reficerent, eoque abundantius, quod plures ille socios, fratres, & filios in idem opus sibi parasset. Quare conqueritur Polus, quod absens non ita copiose eorum charismatum particeps fieri posset, quam quum præsens cum ipso fuerat, etsi eo tempore in eo loco staret, unde ipse Marcus, infirmitatem animi, & egestatem bonorum ejusdem timens, jam olim fugerat, cellæ tranquillitatem mundi blanditiis, atque honoribus præferens; quæ Poli verba Marcum illustribus Cremonæ natalibus ortum fuisse significant. Quosnam socios Marcus in

ſancto eo opere haberet, POLUS ibidem declarat; eos tamen tantum nominat, quibuſcum ille in eodem Coenobio verſabatur. At magnam præterea eorundem copiam ipſi ſubminiſtraſſe Cœnobia alia Congregationis, quæ eo tempore Sanctæ Juſtinæ vocabatur, palam facit Epiſtola illa Decadis meæ, quam paulo ante memoravi. Ibi ſiquidem in ſcenam proferuntur, præter Marcum Cremonenſem, & plures ejus filios, Gregorius Corteſius, Iſidorus Clarius, Placidus Contarenus, Jo. Baptiſta Folengius, Fl. Alexius Ugonius, Lucianus de Othonibus, Gregorius Bornatus, Angelus Sangrenſis, Laurentius Maſſolus, & tandem Chryſoſtomus Calvinus. Iſtorum in ea Epiſtola mentionem feci, quod illius inſtitutum foret eos in medium proferre, quos POLI Epiſtolæ aliquæ, ſeu aliorum ad ipſum, quas ad manus habebam, occaſionem mihi laudandi præbuiſſent. Cæterum ex ea Congregatione Viros doctos, velut ex equo Trojano, id temporis prodiiſſe, teſtatum reliquit Cornelius Franciſcius, Venetus, Monachus Benedictinus, ſeverioris inſtituti, in Epiſtola, qua Chryſoſtomo Calvino, Gemilianenſi, Archiepiſcopo Raguſino, libellum Bornati de libero hominis arbitrio inſcribit. Ii autem ſuperius recenſiti eximiam vitæ integritatem cum ſtudiis Theologicis, & plerique ex ipſis cum ſingulari Latinarum, Græcarum, & Hebraicarum literarum peritia conjunxerunt. Aliqui vero ad Epiſcopales Infulas promoti, virtutibus omnibus ſacro Paſtore dignis claruerunt; aliqui tandem inter

Pa-

Patres Concilii Tridentini magna cum laude consederunt. Fueruntque hi omnes inter præclarissimos fructus, quos edidit, Numine bene favente, instituta a Ludovico Barbo, Abbate S. Justinæ Patavii, Benedictini Ordinis in Italia Reformatio. Hæc valde sane dispar ab ea, quam in Angliæ Cœnobiis molitum vidimus Henricum Regem, quæ in Germania etiam Lutheranis arrisit, qua scilicet Cœnobia funditus tollerentur, Cœnobitisque inde emigrantibus latus aperiretur campus se se dedendi vitiorum illecebris, ac voluptatum cupiditatibus. Suam hanc Reformationem Sectarii dum unice commendant, improbant vero illam, quam Catholicæ Ecclesiæ leges, & mores invexerunt, ægre profecto quibusvis sanæ mentis persuadebunt, sanctitatis ne micam quidem, Catholicos, ipsos vero magnum acervum, cumulumque possedisse. Sexcenta sunt in Erasmi Epistolis, aliisque ejus lucubrationibus loca, quibus Reformationem a Luthero, aliisque ejus Sodalibus, seu discipulis procreatam irridet, atque exsecratur; unicum autem hic proferam, quem mihi obtulit prima ex ejusdem Epistolis, quas, quod inter vulgatas in magno Volumine non comparerent, editas deprehendi in parvo libello an. 1649. Lugduni Batavorum. Ad ejus Epistolæ calcem cur nihil Erasmus ipse in Lutherum scriberet, & hanc causam assignat: *Nunc Lutherus scribit in se ipsum, videns rem alio verti quam putarat, & exoriri populum non Evangelicum, sed diabolicum, cum interitu omnium bonorum studiorum.*

§. VIII.

§. VIII.

Ad Epistolas LX. LXI.

EPistola primo loco recensenda data est ex Villa, in Tarvisino agro sita, ad quam Polus divertit, redux ex itinere, quo Nicæam comitatus fuerat Paulum Pontificem, scriptaque visitur ad Contarenum, qui pariter in eo reditu ad Bellunensem Sedem suam commeavèrat, ut gregi suo, antequam Romam regrederetur, paterni amoris argumentum exhiberet. Secessum illum utriusque Cardinalis, præter laudatam Epistolam, tres aliæ etiam inter Prioli MSS. illustrabunt. At de itinere illo prius dicendum ex Poli Vita, captumque de eodem ineundo a Paulo consilium ab ea invidia liberandum, quam ipsi, non Heterodoxi tantum, sed aliqui etiam ex nostrarum partium Scriptoribus inurere tentarunt. In ea Vita n. XI. hæc habentur: *In Urbe autem* (Polus) *tamdiu commoratus est, quoad Paulus III. Nicæam, Galliæ Narbonensis oppidum, ad conciliandam inter Cæsarem, & Regem Galliæ pacem, profectus, eum quoque sibi itineris, & actionis illius comitem esse voluit. Memoria teneo, cum primum Cæsar ad Pontificem Max. in quoddam monasterium, quod non longe ab urbe Nicæa aberat, salutatum veniret, eique Cardinales omnes, qui cum Pontifice erant, obviam officii causa processissent, Cæsarem mandasse Granvelano, ut de*

de Cardinale Polo sciscitaretur, quod eum scilicet in primis videre & alloqui cuperet. Non enim erat nescius, quanta esset hominis virtus, neque se nihil ei debere sentiebat, quod Reginæ Catharinæ, materteræ suæ, causam perpetuo tutatus esset, atque ejus rei causa caput suum omnibus fortunæ telis objecisset. Pontificem pacis inter Cæsarem, & Regem Franciscum obtinendæ sincero studio incitatum, iter illud suscepisse, testis omni major exceptione habendus est ejus Vitæ Scriptor Beccatellus, quippe qui Polo ipse comes adfuit, ut verba, quæ mox sequuntur fidem faciunt: *Adfui tum etiam, cum Polus Villamfrancam ad Cæsarem, officii gratia salutatum profectus est, quem ille honorifice, amanterque accepit, aliis, qui ob eandem causam eo tum convenerant, relictis, longioremque cum eo sermonem habuit.* Nihilominus Reipublicæ, pacisque in primis curandæ nomine Pontificem privatæ familiæ suæ commoda obtexisse, passim a nonnullis vulgatur, quos inter Petrus Franciscus le Courayer, qui Historiam Concilii Tridentini, a Paulo Sarpio compositam, in Gallicum idioma convertit, notisque auxit. Iste allatis ejusdem Sarpii verbis: *Le prétext public étoit de rétablir la paix entre ces deux Princes, mais sa fin principale étoit de faire tomber le Duché de Milan dans sa Maison*, nos monet, Jo. Baptistam Adrianum, Historicum coævum, & Onuphrium Panvinium, fidei integræ Scriptorem, Sarpii suspicionem confirmare, atque ita notam illam suam concludit: *Sur de pareils garants est ce un si grand crime a* Fra Paolo *d'avoir avan-*

cé

cé un tel fait; & croit on qu'un argument negatif, tel que celui que lui oppose Pallavicin, *& qui même est convaincu de faux par la deposition des Historiens suffise pour anéantir le poids de ces témoignages?* Pallavicinum Sarpii narrationi nil aliud quam argumentum inficiale opposuisse, impudentissime a Courayero affirmari, nemo non inficietur, qui Pallavicinum adeat, ubi agit de Pauli itinere illo, scilicet lib. IV. cap. 6. Ait quidem iste, nihil in ejus temporis reconditioribus memoriis se reperisse, quod vel unica linea cupiditatem potiundi Ducatus Mediolanensis, qua Pontifex arderet, significet; at insuper subjungit: *Ma in questo fatto io posso abbatter l'accusa con un testimonio oculato superiore ad ogni eccezione; il cui detto non potè rimaner'ignoto al Soave, e che per conseguente il convince d'una fraudolente malignità. Non lesse per avventura egli la Relazione di Niccolò Tiepoli che fù mandato Ambasciadore dal Senato Veneziano à tutto quel trattamento, e che promosse con ogni studio per volontà della sua Republica il maneggio della concordia, e fù partecipe d'ogni arcano? Ora il Tiepolo nel racconto accuratissimo ch'egli ne scrisse, non pur non accenna mai che'l Pontefice procurasse Milano per la sua Casa, mà riferisce, com'egli con somma efficacia s'ingegnò di persuader' all'Imperadore, che il concedesse al Duca d' Orliens.* Hæc, & alia quæ ex eadem Relatione depromit Pallavicinus de sincera, paterna, & Christiana Pontificis cura in pacis inter eos Principes negotio curando, cujus gratia, & itineris illius incommoda, & man-

mansionis in Cœnobio prope Nicæam angustias valetudinarius, & longævus senex tolerare coactus fuerit; hæc, inquam, omnia quum Courayerus in Pallavicini Historia legisset, valde admirandum est, non aliam ipsis inesse vim censuisse, quam quæ ex argumento inficiali proficisceretur. Non ita certe visum est celebratissimo Historiæ Venetæ Scriptori, Andreæ Mauroceno, a quo sanctam illam Pontificis sollicitudinem ita laudatam fuisse deprehendimus, ut certo constet, ipsum de eo argumento scribentem, Nicolai Theupoli Relationem ante oculos sibi proposuisse, eamque ferme exscripsisse. Quamvis is non dissimulet, dum in Senatu actum est de binis Oratoribus ad Nicæam designandis, non defuisse, *qui Regum consilia ex insita humanis animis ambitione metiri assueti, dicerent, non in Christianæ Reip. solidam gloriam, atque incrementum, sed in privatos Principum affectus hos labores insumptos*, ac proinde Pontificem quoque spe magni præmii ad iter illud suscipiendum adductum fuisse; nihilominus tota ea narratione Pontificem vel suopte ingenio, vel ex Pontificio munere, omnino in Remp. Christianam incensum repræsentat. Nec etiam dissimulat, in eo conventu magnum quidem domesticis rebus ejusdem incrementum, ac decus accessisse, Novaria urbe Petro Aloysio Farnesio dono data a Cæsare, hujusque filia Octavio Farnesio desponsa; at subdit, id factum a Cæsare, quod hac ratione res Italicas confirmaturum se arbitraretur. Theupoli Relationi (typis etiam edi-

ta hæc extat) præter Maurocenum, concinunt Cardinales Polus, Contarenus, Sadoletus, quorum præsertim opera constat usum fuisse Pontificem, ut Principes ad pacem traheret, suaderentque, ne privatarum rerum rationibus periclitantem Remp. proderent. Contareni suasiones ad eam rem accessisse aperte testatur idem Maurocenus. Sadoletus vero in eo conventu quomodo se gesserit, narrat ipsemet in Epistola ad Georgium Ducem Saxoniæ, quæ quarta est lib. XI. Epistolar. ubi inter cætera, *Collaudavi* (inquit) *Summum Pontificem, bene institutam ab eo, susceptamque pacificandi provinciam vehementer comprobavi, precatus sum, ut pergeret, instaret, urgeret*. Paria de optima voluntate Pontificis, qui nulla cupiditate extraordinaria se transversum agi, neque ferri pateretur, qui patrem communem se omnibus præberet, in aliis quoque literis ad eundem Ducem datis Sadoletus affirmat. Polus tandem Pontificem ex solo Reip. studio iter illud Nicæam versus aggressum fuisse, testem se prodit in superioribus ad Camillum Ursinum literis, unis siquidem, antequam illud iniretur, datis, illi ex Pontificis jussu significans, inducias, præter omnium spem, jam factas inter duos Principes, subdit, jubere Pontificem ut bono animo esse pergeret, speraretque Religionis quoque quietem secuturam, *quam omnes*, inquit, *præcipue desiderare debemus, cujus procurationi, quam nunquam intermisit* (Pontifex) *se nunc eo enixius operam daturum, quo magis hac porta a Deo aperta per pacem inter Princi-*
pes

pes, se ad hoc magis invitari agnoscit. In alteris vero, dum in procinctu itineris illius foret, exaratis, se valde cupere affirmat tabellarium esse Epistolæ, quam Camillus ad Regem Christianissimum scriberet: *Qua in re* (subdit) *eam mihi occasionem Christus præstat, quo Vicarium Christi tempore comitor, qui, ut illis Principibus pacem evangelizet, proficiscitur*. Poli, Contareni, Sadoleti testimoniis quidnam efficacius ad rem, de qua agitur, comprobandam? neque enim isti peregrini erant, quos Pontifex facile ludificaretur, neque fabulis venditandis literarum commercia inter se frequentabant, sed eos natura primum, deinde Religio ita finxerat, ut licet etiam opus fuisset Pontificis benevolentiam blanditiis, & assentationibus colligere, has adhibere turpissimum putassent.

Hisce adversus Sarpium, & Curayerum adnotatis addere juvat, antequam transeam ad literarum hujus §. recensionem, ea quæ faciunt ad refellendum etiam Ludovicum Seckendorfium, cujus Commentarius de Lutheranismi Historia, armamentarii loco ab Heterodoxis habetur. Ibi Lib. III. Sect. 17. §. LXII. Pallavicini verba de scopo itineris Pontificis in pravum sensum detorquens, ista videlicet Cap. VI. l. IV. *A ricoverare i perduti vedevasi che non saria bastata l'esemplar vita della Corte senza il terrore de' Prencipi. L'una valeva co' popoli traviati per simplicità, l'altro richiedevasi co' Grandi sollevati per ambizione*, ad hæc excitat turbas, perinde ac si simplicitatis vocabulo

Pallavicinus grande piaculum obtexisset, animum scilicet Pontificis probe compositum ad offucias non Germanis solum, sed Orbi Christiano, Cardinalibus etiam suis, faciendas, & perinde ac si ex disciplina Pontificum foret, fraudi, ut ipse loquitur, vim succenturiari. Commenta ista quam impudenter effutiantur, singulæ fere Operis a me suscepti paginæ demonstrant. Negat deinde, *obtentui solum sumtos esse defectus, & excessus Pontificum a Luthero, ut odio Sedis Romanæ impletos populos ad hæresin tanto facilius induceret;* causamque inficiationis suæ reddens, *Nihil enim* (inquit) *prorsus lucratus est, nihil petiit. Nihil nisi odium sibi peperit, commoda, si quæ fuerunt, ad alios transmisit.* Quibus breviter reponam, lucratum fuisse Lutherum, ut monastico cucullo abjecto voluptatibus corporis indulgeret, ac præterea laudem etiam aucuparetur ex candore, quo *suam fragilitatem ingenua professus est cum libertate*, ut loquitur idem Seckendorfius in Præloqu. ad Commentar. Lucratum præterea fuit ille, ut tyrannidem in asseclas suos libere exerceret, cujus ipsum redarguunt non Erasmi tantum, sed Melanchtonis etiam Epistolæ quamplures. Tandem ad propositam rem veniens Sekendorfius, de Gallico Pontificis itinere hæc habet: *Prætereo quæ adversus Paulum Venetum, aliosque illius temporis Scriptores disputat* (Maimburgius) *ut Pontificem a privatæ utilitatis, itinere illo Gallico quæsitæ, studio excuset. Silentium arcanarum* (*quas visas sibi esse jactat*) *chartarum non absolvet vaferrimum se-*

senem, suæque familiæ evebendæ deditissimum, a suspicione, quod illa ætate iter molestissimum sine omni peculiaris commodi respectu non inierit. Quibus chartis, non arcanis scilicet, sed publici juris, Pauli Pontificis, iter illud ingressi, sanctum propositum defendatur, jam omnibus mea hæc legentibus innotescet. Gratias autem Seckendorfio habendas censeo, qui de Concilii prorogatione, in qua Pontifex Cæsari, & Galliæ Regi assensum præbuit, non ita maligne loquitur, ac Paulus Venetus, & Courayerus; nam quænam fuerit vera Concilii protrahendi causa, *Nolo* (inquit) *hic disceptare, & speciem habent, quæ Pallavicinus d. l. §. 9. ad excusandam Concilii dilationem commentatus est*. Quanta vero non excusatione, sed commendatione sit digna susceptorum ab eo Pontifice itinerum ratio, audiatur ejusdem Encomiastes superius pluribus vicibus laudatus: *Hunc* (inquit) *cernimus, ut in gratiam eos* (Principes) *reducat, omnia tentare, omnia moliri, in omnia se se vertere; non sumptibus, non laboribus, non suæ denique vitæ parcere. Quot itinera jam sex & septuaginta annos natus confecit? Quot ob eam ipsam causam confecere Nepotes sui? quot maria? quot terrarum tractus per imbres, per æstus, per frigora emensus est? Nunc Bononiam proficiscitur, nunc Massiliensium Nicæam navigat, nunc Lucam properat, nunc itidem Bononiam refertur, nunc in citeriorem Galliam recurrit; tantum ut aliquem discordiis finem statuat, & gregem creditum a sævissimorum hostium armis securum reddat*. Et in-

infra: *Divus Paulus III. memor se a Deo Maximum Episcopum constitutum, quæ vox Græca speculantem, ac visitantem sonat, ut fideliter munus commissum expleat, singulas civitates, & singula propemodum Castella, singulos vicos semel, &, cum usus postulat, iterum, sæpiusque visens, nunquam subsistit. Quo fit, ut ad eum suprema illa, atque cælestis dignitas, non honoris plus attulisse, quam laborum, & oneris videatur. Atque ita, quod cuique opus sit, per se audiens, lustrans, ac rimans omnia, & quæ mala, quibus remediis egeant, oculis suis credens, miseris opitulatur, jacentes sublevat, audaces comprimit, nefarios abigit, bonos remunerat, & omnia pro divina sua providentia disponit, & moderatur.* Quisnam vero crederet, vel ipsum Petrum Aretinum, improbissimum illum alienæ famæ, Romanæ in primis Curiæ, detractorem, miris tamen laudibus Niciense Pauli Pontificis iter celebrasse? Epistola, quæ Tom. I. Epistolar. ejusdem reperitur ad Paulum III. data, ita incipit: *Padre Beatissimo, la cagione, che vi ha mosso da Roma a Nizza è la più gloriosa di quante ne occorsero mai da che i Pontefici fur Vicarj di Christo. Ella è il decoro del grave de i vostri anni, l'ornamento del sacro del vostro grado, il diadema del santo de la vostra vita; e perche basta solamente sì fatta dimostratione a strangolare l'heretico del grido Luterano, il popolo fedele vi loda d'haver pensato di andarvi, e ringratiavi d'esserci pur' andato. Ma sendo spinto costì dall' opra dell'istessa bontà &c.*

Sed

Sed ad Epiſtolam tandem veniens, cujus gratia de itinere illo hucuſque egi, quod ſcilicet eam dederit Polus ex eodem in Italiam redux, Lectores jam monui, ſcriptam ipſam fuiſſe ex Villa Tarviſina, quo conceſsetat, antequam Romam repeteret, ad Contarenum, qui pariter, bona Pontificis venia, ad Sedem ſuam Epiſcopalem, brevem ibi moram tracturus, diverterat. Moram eorundem in iis locis trium circiter menſium fuiſſe conſtat, ſi non ex Epiſtola, de qua agimus, ex tribus Prioli ad Beccarellum, quo comite in itinere illo Contarenus uſus fuerat, procuratione rei domeſticæ, & familiaris ei deſtinata, quo munere ita functus eſt, ut non Contareni tantum familiarium, ſed Cardinalium, quotquot Nicæam advenerant, benevolentiam, exiſtimationemque ſibi inde comparaverit. Ita legitur in ejus Vita alibi a me laudata. Poli Epiſtola illa data eſt die 4. Auguſti; tres vero Prioli, die poſtremo Julii, die 3. Auguſti, die 25. Septembris, atque ultima iſta nos docet, diem octavum Octobris conſtitutum fuiſse Romano itineri ineundo. Omnes quatuor fidem faciunt, ambos Cardinales otium illud, ut in reliqua omni vita in more habuerunt, ſancte traduxiſse. Polus de ſe ita loquitur: *Ego interim fructus otii hic capio con queſto buon Padre con tanta avidità, con quanta mai Agnello da latte, ſugens ubera matris.* Forte Marcum Monachum, eo vocabulo Polus deſignavit, aut aliquem alium paris pietatis ex ejuſdem ſodalitio, cujuſmodi Aloyſius, Federicus, Lombar-

bardus, Bernardinus, Benedictus Ferrariensis, & Bernardinus Presbyter, quos inter Marci filios nominant Poli ad eundem literæ in superiori §. laudatæ. Lombardus ille, alius certe fuit a Lombardo, quem vidimus Polo comitem fuisse in itinere Belgico, quemque eidem in Tarvisina pariter hac rusticatione socium adhæsisse dignoscimus ex una ex tribus illis Prioli literis. Alterum hunc, superius p. LXXXVII. dixi eundem forte fuisse cum Lombardo, de quo Madius in Procemio ad Explanationes in Artem Poeticam; at quoniam ex eodem Procemio discimus, Lombardum per annos viginti ita conjuncte cum Madio vixisse, ut ne momentum quidem temporis eos separaverit, hinc adducor modo ad credendum & a Lombardo, de quo Madius, alium fuisse Lombardum istum. Quod autem tam Poli, quam Contareni secessum maxime exhilaravit, nuncius fuit seu pacis, seu induciarum, quæ inter Carolum, & Franciscum statutæ fuerunt. De his ita Polus in eis literis: *Di quelle nove della Pace non posso dir altro per adesso che quel che mi replicava un Pittore a Verona a ogni ora parlando delle cose spirituali: Oh bontà di Dio! &, quod non frustra cadit in terram verbum Domini, sed prosperabitur ad omnia, ad quæ misi illum, ut inquit ille Propheta in persona Dei: tam cum magna spe expectavimus Pacis fructus.* Sacra præterea studia otium illud utrique ex ipsis jucundius adhuc reddidisse, fidem faciunt S. Augustini, & S. Basilii Opera in literis & Poli, & Prioli memorata; novamque eidem oble-

cta-

ctationem accessisse ex doctorum Virorum convictu demonstrant, qui ibidem nominantur, bini celeberrimi Patavinæ Scholæ Professores M. Antonius Genua, & Lazarus Bonamicus, pariter Trypho Gabrielius, Victor Superantius, Carolus Gualteruccius, & Donatus Rullus, omnes ex quamplurimis Bembi, Sadoleti, aliorumque Scriptis sat bene comperti. Hi cuncti ad POLUM rusticantem adierunt. Cum Contareno autem adfuisse intelligimus præter Thomam ejus fratrem, & Matthæum Dandalum, sororis ejus Virum, quos ipsos POLO e Belgio redeunti obvios Veronæ factos fuisse vidimus, Petrum Danesium, celebrem illum ea ætate ex doctrina Virum, postmodum vero ex demandata ipsi Francisci II. Regis Galliæ in literis institutione, insuper ex Vaurensi Episcopatu in ipsum collato, ac demum ex aditione ad Tridentinam Synodum, ubi famigeratam de Gallicinio argutiam jactavit. Ipsum, & in hac, & in prima Diarriba laudandi occasio mihi adfuit. Jucundissimus tandem eorundem Cardinalium secessus ille evasit, quod mutuo ad se invisendos accesserint, & una simul per dies aliquot vicissim habitaverint. Villa, in qua degebat POLUS, ad Priolum spectabat, & de ea hæc scribit Bembus Bruno suo Vol. III. lib. XI. *Se sarai ito a Treville col Mag. M. Luigi Prioli, mi piacerà, che so'averai avuto piacere, e veduto una bellissima villa, e di vero degna del Signor suo.*

Tam Paulus Pontifex itinere prospere confecto, quam POLUS, & Contarenus (atque hi quidem post

aliquot dies Venetiis consumptos) Romam reversi, animum statim ad Christianæ rei negotia appulerunt. Hujusce rei testis adest Epistola altera in hoc §. adnotata, & modo recensenda. Data est ex Ostiis Tiberinis die 11. Novembris ad POLUM a Contareno. Hic Pontificem comitatus fuerat, novo itineri Roma vix adita se dantem, nullumque, ut supra vidimus, incommodum refugientem, ut Ecclesiæ Romanæ populis otium, quietem, pacem, justitiam procuraret, mirantibus omnibus, qui fieret, ut sex & septuaginta annos jam natus, tot itineribus, tot laboribus adeo non deficeret, ut magis magisque indies vires acquirere, in juventutem referri, & revirescere benignitate Dei insigni, & incredibili videretur. Ita Sensus in sæpius laudata Concione; ac statim adnotat, inde ob summum desiderium, quo prodesse cunctis mortalibus, præsertim vero ditionis suæ, flagrabat, plus virium ei accessisse, quam ætate detraheretur. POLUS autem Romæ substiterat, etsi optasset otium sibi fieri, imo illud a Pontifice impetrasset, ut discimus ex tertia ex illis Prioli literis jam jam memoratis, ubi ad Beccatellum ita scribit: *Tre di sono ha avuto lettere* (de POLO loquitur) *da M.r Bortolamio da Roma, che gli scrive che S. Sant. l'aspetta ed è contenta di concedergli ozio, e secesso da Roma, ma vicino a Roma per ogni buon rispetto, e però aveva disegnato che Sua Signoria stesse a Tivoli, e già si aveva dato ordine per il Palazzo ch'è del Cardinal Santa-Croce.* Cur autem Romæ POLUS, ut dixi, substite-

terit, in causa fuisse censenda est novæ in Hispaniam Legationis ei post tres menses demandata provincia, de qua in §. proxime subsequenti. Romam igitur ad Polum ex Ostiis Tiberinis Contarenus literas scripsit, quarum argumentum colloquia ab ipso cum Pontifice habita de negotio ad Curiæ Romanæ reformationem spectante: *In via* (inquit) *compellavit me seorsim Optimus hic Senex Noster, solusque cum solo sermonem instituit de Reformatione Compositionum, & dixit, se detulisse secum, atque legisse antelucanis horis tractatulum quendam, quem conscripsi (de ea re nihil tibi hactenus dixi, quia fere desperaveram, putabamque fore celandum potius, quam prodendum quidquid actum fuerat) plurimaque Christiane mecum disseruit, quo effectum est, ut iterum conceperim magnam spem aliquid Deum boni acturum, neque portas inferi prævalituras esse contra Domini spiritum. Hæc ut quam celerrime scires, cupio, ac Deum ores, ut cœpta a se dirigat, ac perficiat.* Quid clarius ad probandum, adeo vehementer, & assidue Paulum III. ad Christianæ Reip. instaurationem, submotis morum corruptelis, adspirasse, ut cogitationem illam neque inter itinerum labores, neque inter graves curas, quibus in ea ditionis suæ municipiorum lustratione implicabatur, deponeret? Opusculum illud Contareni de Reformatione Compositionum extat in Biblioth. Pontif. Roccaberti T. XIII. atque in eo de Pontificiæ potestatis finibus ita modeste, ita sapienter ille differit, ut longissime abesse se ostendat, ut eandem ultra modum amplificaturus,

rus, honesta virtutum nomina vitiis impertiatur. Quæ profecto sincera dicendi libertas, nihil scilicet eorum, quæ Reip. Christianæ bonum postulabat, vel ipsi Romano Pontifici reticendi, inter præcipuas laudes tam Contareni, quam insignium aliorum id temporis Cardinalium emicuit, eaque tot fere constat documentis, quot supersunt seu eorundem Epistolæ, seu lucubrationes aliæ. Eadem comparet in alio etiam Contareni Opusculo, quod superius laudato in Collectione illa Roccaberti conjungitur, imo præmittitur; hujusque exordium statim aperit, quid idem Contarenus de gravissimo illo Reformationis negotio cogitaret, nam ibi hæc habentur: *Beatissime Pater, equidem tot curis, & gravissimis occupationibus cum videam Sanctitatem Tuam distineri, & non queat omnibus per se satisfacere, hominum nostri Ordinis offitium esse duco, quoniam in partem hujus solicitudinis publicæ vocati sumus, ut quisque nostrum pro virili eam, quam potest, opem ferat Beatitudini Tuæ, præsertim his temporibus, quibus multo magis, quam per multa secula retro, navicula Petri fluctuat, ac undique oppugnatur. Innumera fere tibi sunt negotia obeunda, verum horum maximum non injuria quivis censuerit hoc, quod aggressus es Reformationis negotium*. Quæ mox subsequuntur, palam est referri ad Consultationem novem Cardinalium, & Præsulum, de qua multa dixi in superiori Volumine, scilicet in Diatriba, & in Animadversion. ad Epist. Schel. nam hujusmodi sunt: *Super quo* (Reformationis negotio) *cum hesterna die, multa ultro, citro-*

citroque dicta fuerint in Conventu Reverendissimorum Cardinalium & prudenter, & docte; attamen, quoniam nonnulla incidit dubitatio de his, quæ in principio statim illorum capitulorum, quæ jussu Sanctitatis Tuæ confecimus, dicta fuere, an liceat Romano Pontifici Christi Vicario, vel cuivis alteri, qui est particeps potestatis clavium, aliquid sibi ex usu illius potestatis comparare, meas partes esse duxi &c. Paria utique leguntur Consultationis illius Novemviralis initio, ubi inter cætera: *Putamus, non licere Pontifici, & Christi Vicario in usu potestatis* (*clavium potestatis inquimus*) *a Christo ei collatæ lucrum aliquod comparare*. Conclusio demum ejus Opusculi ista est: *Pater Sanctissime, ingressus es viam Christi, audacter age. Neque magno isto tuo animo ullo pacto verearis, si ob correctionem hujus rei desint tibi ob distractionem bonorum Ecclesiæ factam a tuis Prædecessoribus viginti, aut triginta millia nummorum aureorum ad sustinendam vitam Pontificis. Quin facillime multis modis resarcire hæc possis cum immortali tua, tuorumque omnium laude, ac sempiterna memoria. Universa Christiana Resp summum gaudium capiet, te venerabitur ut Deum alterum; nullumque Pontificum post Beatissimum Petrum tibi præferendum ducent, & nostræ ætatis homines, & universa posteritas. Hoc castigato, quod ad Te pertinet, cætera omnia erunt facillima.*

De ea castigatione, seu emendatione, Pontificum imperio perfecta, quantum tamen humana conditio pateretur, Pallavicini verba p. LXV. attuli, quibus scilicet

licet claudit lib. IV. Cap. V. Eo loco fuse expenderat Novemviralis Consultationis Capita omnia, comprobaturus providam ubique manum morbis Ecclesiæ sanandis potius re ipsa, quam sanctionibus, adhibitam a Pontificibus fuisse. Quam vero mirum mihi acciderit, eodem loco Pallavicinum de ea Consultatione ita loquutum fuisse, ut plane ostenderit, nihil se prorsus resciviсse de eadem typis Romanis vulgata per Antonium Bladum, Cameræ Apostolicæ Typographum, aliisque, in quorum fronte Pontificium Pauli Stemma non desideratur; nihilve etiam de eadem in Catalogum librorum vetitorum, Paulo IV. Pontifice publicatum, reposita; & insuper, utrumque hoc æque ignorasse tam Sarpium, quam Couraierum, & alios plerosque omnes, quibus occasio adfuit de ea differendi; id, inquam, quam mirum mihi acciderit, adnotavi in Animadversionibus paulo ante memoratis. Modo autem, capta occasione ex Opusculo illo Contareni, adnotabo, laudatas ibidem a me Sadoleti ad Sturmium de ea Consultatione literas ab ipsomet Sadoleto memorari Epist. VI. lib. XI. ad Joannem Cochlæum, cui causam significat lenitatis a se adhibitæ in Sturmio objurgando, ita scribens: *Decet enim nos istorum* (Hæreticorum) *insolentiam non exasperare conviciis, quo in genere maxime exultant ipsi, sed mansuetudine retundere, quod proprium officium Christiani hominis est.* Integras easdem literas Sadoleti exhibet, non Germanica solum Collectio, cui titulus, Discursus Epistolares Politici Theo-

Theologici &c. Francof. an. 1610. sed præterea ipsa frons Tomi IV. Oper. Sadol. Edition. Veron. earumque demum partem recitat idem Cochlæus in lib. de Act. & Scripr. Luth. ad an. 1539. quo loco de Consultatione illa agens, statim testatur, evulgatam illam fuisse *inscio Pontifice*, & postea narrat, se edito libello eandem a Sturmii, & Lutheri criminationibus vindicasse. Et hic quoque libellus proscriptus visitur in Indice Romano. Adeat, velim, Lector meas illas Animadvers. quibus p. XLIII. & sqq. pro virili laboravi, ut quibusdam conjecturis res maxime involutas, &, ut mihi visæ sunt, ænigmati similes, aperirem. At contra nil apertius, quam juste omnino conqueri in ea Epistola Sadoletum de injuria Catholicis facta, dum uno nomine omnes in vituperationem vocantur, *Cum tamen* (inquit) *& de singulis judicium faciendum sit, & major sit copia bonorum Virorum in Urbe Roma, eorum, inquam, qui sacerdotiis præsunt, quam malorum; & virtus, ac religio in eadem Urbe summo apud omnes in pretio, atque honore sit*. Nil etiam magis perspicuum, quam conferre maxime ad Pauli III. laudem, quod idem Sadoletus ejusdem libri XI. Epist. I. testatum reliquit, nil aliud dies, & noctes cogitasse Paulum Pontificem, *quam quo pacto ista, quæ dissidiis, & alienationibus animorum distracta sunt, in unum rursus quasi corpus coalescant*. Addere potuisset, in eandem curam intentum fuisse Pontificem, dum etiam iter haberet, eoque etiam tempore antelucanas horas sanctæ illi cogitationi consecrasse.

§. IX.

§. IX.

Ad Epistolas LXII. LXIII. LXIV.

ROMAM ex itinere, quod in superiore §. descripsimus, POLUS appulsus, desinente Octobri, seu ineunte Novembri, per reliquos duos tantum menses ejus anni 1538. in Urbe substitit, quandoquidem prima ex tribus hujus §. literis ipsum exhibet non Roma tantum egressum, sed Bononiam advectum ante diem Epiphaniæ anni 153. Itineris hujus causam hisce verbis ejus Vita exponit: *Romam per æstatem Pontifex Max. rediit, eumque non ita multo post Contarenus, & POLUS una, paucis diebus in Gallia Cisalpina consumptis, consecuti sunt. Ac Pontifex quidem, sive sponte sua, sive hortatu Cæsaris, & Regis Galliæ, qui etiam affirmarent, sibi nullum deinceps fore cum Anglo commercium, quod hac re nonnulla spes ostenderetur populos Angliæ ad tumultus, ac seditionem adduci posse, POLUM iterum Legatum ejus rei causa mittit; atque ut celerius, quo iter erat, pervenire, ac Regis Angliæ insidias effugere tutius posset, placuit Pontifici, ut mutato vestitu, paucis quibusdam comitibus, recta in Hispaniam ad Cæsarem, qui Toleti erat, contenderet, atque illinc postea ad Galliæ Regem se conferret. Interim autem, dum uterque cum Anglo amicitiam abrumperet, ipse loco aliquo, sive in Galliæ finibus, sive in Belgis, ubi magis e re futurum esse videre-*

deretur, subsisteret, ibique totius rei exitum expectaret. Unus ego tum ex iis fui, qui POLUM *secuti sunt*. Quæ tamen Legatio, licet hortatu Oratorum Cæsaris, & Regis Galliæ suscepta, æque improsperum habuit successum, ac Belgica superius descripta, cui pariter ineundæ eorundem Principum consilia, & hortamenta non defuerant, ut POLI literæ ibi allatæ perspicue comprobarunt. Eandem sancto animo tam a Paulo Pontifice decretam, quam a POLO initam fuisse, nemini certe licebit in dubium revocare, si ad ea animadvertat, quæ copiose de hujusmodi argumento in medium attuli pluribus locis tam hujus, quam superioris Diatribæ, & copiosius adhuc in Animadvers. ad utramque Schelhornii Epist. Saluti profecto, non exitio Henrici Regis, non Angliæ cædibus, sed tranquillitati institutam ipsam fuisse, omnium luculentissime declaravit POLUS ipse in Epistola pluries laudata ad Regem Eduardum, narrans quid sibi ea Legatione apud Cæsarem perfuncto acciderit, dum ex Hispania rediens per Provinciam Galliæ iter faceret, atque e via paululum declinans, Speluncam inviseret Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Eam narrationem in alium §. reservamus. Quæ autem eidem POLUS præmisit, etsi alibi a me allata sint, hic iterum Lectorum oculis supponam, quod summam operis POLO a Pontifice in eadem Legatione demandati ita in propatulo ponant, ut nihil magis: *Cum utroque autem Principe* (ait POLUS in Epist. ad Eduard.) *sic egi, ad id utrumque semper hortatus sum, ut*

amoris & amicitiæ rationem potius adhiberent, qua amicum & fratrem graviter lapſum erigerent, erectumque in regio ſtatu confirmarent; quam, ut odii, & inimicitiarum armis uterentur, quibus eum opprimerent, atque ſpoliarent. Hoc ego nunquam profecto volui, neque cum illis egi: ſed intelligens, quantum eorum vel exemplum vel auctoritas in tam boneſta piaque cauſa valere poſſet, ab utroque id contendi, ut omni auctoritate & gratia apud illum niterentur, ne diutius in ſua a communi omnium matre Eccleſia defectione perſeveraret, neque a reliquis Chriſtianis Principibus hac in re ſejunctus eſſe vellet. Quod ſi, tentatis omnibus amoris, & benevolentiæ officiis, nihil ſe proficere viderent, tum quidem non negabo, ſuaſiſſe me, ut minas etiam adderent, & ab omni cum eo uſus & commercii genere prorſus abſtinerent. Extremum itaque remedium, ad quod ille, quotieſcumque deſperatam prope Henrici ſalutem conſpexiſſet, ſe confugere poſſe exiſtimabat, idque, ne quid intentatum relinqueret, quo ſeu labentem, & ruentem ſuſtineret, ſeu lapſum ab interitu vindicaret, non aliud fuit, quam ut ambo illi Principes amicitiam Henrico renunciarent, ſeu ab omni cum ipſo conſuetudine diſcederent. Qua autem ratione expoſitis a Polo in ea Epiſtola ſenſibus reſpondeant reliqua omnia monumenta ad eandem Legationem pertinentia, ſuis locis manifeſte patebit.

Tres literæ modo recenſendæ Polum iter aggreſſum repræſentant; nam unæ ab ipſo datæ ſunt Bononiæ, alteræ Placentiæ, tertiumque locum occupant

pant literæ Contareni alteris illis respondentes. Bononiæ Polus hospitium cepit apud Beccatellum, indeque Contareno significat, tempus quidem omnium asperrimum propter maxima frigora, & altissimas nives in Appennino tolerandum sibi fuisse, *tamen nihil inde* (ita subdit) *me magis invalidum factum ad labores ferendos sentio, adeo ut, si iter, & propter anni tempus, difficultatemve viarum, & longitudinem, multo difficillimum restet, tamen, ut spero, iter durum vincet pietas, quam spem meam augent cum orationes multorum bonorum virorum (quos scio in hoc officio mibi non defuturos) ut ab eo, qui solus debiles fortes facit, idem pro me precibus impetrent, tum maxime Rmæ D.V.* Datæ sunt hæ literæ in Festo Epiphaniæ an. 1539. Alteræ autem datæ sunt post quatuor tantum dies Placentiæ; & ex iis discimus, a Cardinale Joanne Maria Montio, Pontificis in iis regionibus Legato, Polo exhibitas fuisse ejusdem Pontificis ad utrumque Principem literas, & una simul præstita officia omnia, quæ maxime ad itineris sui commoditatem pertinerent. At nihil opportunius, nihil jucundius Polo in ea Urbe contingere potuit, quam ibi nancisci Gibertum, Episcopum Veronensem. Quemnam ex hujus præsentia fructum ceperit, declarat Epistola illa hisce verbis: *Ego hic unum diem integrum permansi, ut me reficerem, eo quidem libentius, quod Reverendum Veronensem hic repererim, qui me ad aliquot dies jam expectaverat, ut mecum condoleret, simul ac de itineris nostri ratione intellexisset, de gra-*

vi casu meorum. Et ego quidem nunc sensum illius multo melius, quam unquam ante, ex ejus conspectu visus sum intellexisse, qui dicebat, animo afflicto nihil majorem consolationem afferre, quam φίλον ὄμμα, *quasi diceret, cari amici oculus. Quod prorsus nunc maxime sensi, cum mea afflictio maxime renovaretur ex quibusdam litteris, quæ mihi damnationem fratris majoris natu ad mortem significabant; quare nunquam opportunius tam carus amicus mihi se offerre potuit, qui in multis, quæ ad commoditatem itineris etiam pertinebant, sua liberalitate prospexit. Deus illi referat gratiam.* Sanderum, heroicam Polo in adversis tolerandis constantiam tribuentem, Burnetius sibi satis refutasse videtur, ita scribens: *Nous avons ensuite dans nôtre Auteur quelques traits de la constance heroique de* Polus. *Mais puisqu' il ne les appuye d' aucun témoignage, & que pas un autre Auteur n' en a parlé, du moins de ma connoissance, nous les considerons comme des essais de l'éloquence & du génie de Sanderus.* At erectum illum, imperterritumque Poli animum innumeris exemplis demonstrant tam quæ in ejus Vita Beccatellus descripsit, quam quæ ipsemet in literis suis prodidit, cujusmodi certe est locus jam jam recitatus. Præterea eam Poli pectoris constantiam commendant literæ Contareni in fronte hujus §. ultimo loco designatæ, siquidem earum hoc est exordium: *Accepi litteras tuas datas Placentiæ x. die mensis, quem agimus, simulque Epistolam Beccatelli nostri; nimirum, quas possum, maximas gratias ago Deo Optimo, qui te in-*

incolumem servat, adeoque singulari ope fovet, ut nec sentias incommodum iter, neque molestam hyemem, animumque habeas imperturbatum in his procellis, quibus fortuna te exercet. Mihi equidem illud Raphaelis ad Tobiam in mentem venit: Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Verum Deus dives in miserationibus, ut video, cum tentatione proventum facit. Ne dubites, tempus veniet, cum illud psalmi cantabimus: Lætati sumus pro diebus, quibus vidimus mala, annis quibus nos humiliasti: transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Quam vehementer vero eandem virtutem admiratus fuerit Sadoletus, binæ ejus Epistolæ statim declarabunt.

Iter suum magna Polus celeritate prosequutus, Alpibus conscensis, in Galliam advenit, indeque in Hispaniam profecturus Carpentoracte ad Sadoletum divertit, mansitque cum ipso unum diem. De eo igitur scribens Sadoletus ad Contarenum, ita Epistolam, quæ prima est lib.XIII. exorditur: *Polus collega noster, optimus atque amplissimus Vir, dignissimus illa fortuna in qua erat natus, non hac, quæ nunc illi obstat, graviterque infesta est, iter faciens in Hispaniam, Carpentoracte ad me divertit, suoque mihi adventu cum non mediocrem dolorem, tum magnam etiam attulit voluptatem. Videre enim & aspicere hominem eum, quem summe diligo, & affari præsentem, quem absentem desiderare sum solitus, insigni quadam lætitia me affecit. Audire autem ex eodem acerbos familiæ suæ casus, & nobilissimam immanitate teterrimi tyranni pene extinctam*

ctam domum intelligere, sane usque eo mihi miserum & crudele visum est, ut nisi ejusdem Poli, *cui erat illa calamitas inflicta, virtute & sapientia levitus essem, modum meo dolori facturus non fuerim. Verum ille, qua suis in rebus omnibus animi constantia & moderatione est, cum Deo semper se subjiciens, atque illius voluntati obtemperare paratus, de suis acerbissimis rebus, tanquam de alienis loqueretur, suum domesticum quidem incommodum fortiter gerebat; de publico vero Christiani nominis incommodo gravius commovebatur*. Ignotum itaque prorsus Burnetio fuisse oportet Sadoleti Epistolarum Volumen, quando affirmavit, Poli constantiam, de qua Sanderus, nullius Scriptoris testimonio fulciri, *du moins de ma connoissance*. Altera Sadoleti Epistola data est ad Cardinalem Montium, & prima est lib. XIV. atque hujusmodi habet exordium: *Adventus huc* Poli *amplissimi collegæ nostri, & magnum mihi dolorem attulit, ut tu quoque futurum videras, & non minorem etiam voluptatem; videre enim hominem amicissimum utrique nostrum, summa ipsum virtute, summa temperantia, modestia, sanctitate vitæ præditum, sane jucundissimum mihi fuit. Eundem autem videre tot appetitum injuriis, atque alienæ impietatis & crudelitatis scelere, in tantas, & tam graves conjectum calamitates, certe non mediocriter mihi molestum accidit: cum præsertim non amici solum in eo incommoda, sed Christianæ etiam Reipublicæ vulnera, uno & eodem tempore, dolere, & misereri cogerer. Atque ipse quidem,*

dem, quo animi robore, & qua erga Deum pietate munitus est, ferebat res adversas fortiter atque constanter. Ego vero qui nequaquam simili virtute præditus sum, cum me affligarem in ejus acerbis casibus, illo ipso consolatore sublevatus sum, cui me afferre solatium magis oportebat. Atque is unum diem apud me cum fuisset, ita a me discessit, ut præter pristinam meam de illo opinionem, novam etiam admirationem suæ spectatissimæ virtutis in animo meo relinqueret. Quid ad hæc Burnetius? Non aliud certe, nisi fassus, Sadoleti Epistolas nulla ratione fuisse sibi compertas, quæ tamen in lucem prodierunt ante finem seculi XVI. non unis Germaniæ typis, quæque Auctorem nactæ omni disciplinarum genere, omni literarum cultu longe præstantem, merebantur utique, ne Historicum de ejus ævi memoriis evolvendis sollicitum laterent. Aliæ Sadoleti Epistolæ, quæ fortissimum Poli animum, haud minus quam allatæ, collaudant, non desunt, locumque suum inferius nanciscentur.

Historicam Burnetii fidem æque nutare deprehendo in prodenda causa, qua ductus Henricus fratrem Poli, aliosque e primaria nobilitate extremo supplicio affecerit. Sanderum a Burnetio impugnatum vindicat in hac etiam parte Abbas le Grand in Opere sæpius laudato; hujus vero dicta postquam ad examen revocasset Isaacus Larrejus, tandem ita concludit: *Peut étre qu'il seroit plus glorieux a un Prince de pardonner des paroles indiscretes, & de mechantes intentions, qui n'ont point été mises en execution, que*

que de les punir. Mais il y a long tems que ces projets criminels, & ces discours seditieux, qui attaquent la personne du Souverain, ont ete mis au nombre des crimes de leze Majeste. At veram causam ejusdem supplicii nobis aperiet POLUS ipse in Apologia ad Cæsarem, ubi hæc narrat n.XXV. *Tres uno tempore interfecit, Henricum Cortenei, Marchionem Exoniensem, Henricum Polum Dominum Montacutæ appellatum, & Eduardum Nevellum ex Equestri ordine, de quibus nihil verebor dicere (etiamsi unus illorum mihi frater germanus fuit) quod scio, ex communi universi Regni judicio & omnium, qui eos noverunt, me dicere, ut nullis nobilitate generis cessere, sic virtute, quæ genus, & nobilitatem ornabat, paucos ipsos habuisse pares.* Moxque profitetur, se paucis de eo argumento ibi agere, quod libro, qui per eos dies ad se perlatus fuerat, vulgato ab impietatis fautoribus ad iniquam illam cædem excusandam, imo probandam, in animo jam haberet respondere. Qua ratione magis adhuc magisque POLI heroica constantia enituerit in matris suæ supplicio, dicetur suo loco.

Ut ad Contareni Epistolam redeam, paucis nonnulla POLO significat de publicis rebus, scilicet de restitutione Camerini, de negotio Ferrariensi, de Principis Auriæ Romam adventu, celerique inde discessu, ac tandem, *Ego* (inquit) *libenter vellem, ut constitutis rebus cum Turca, vineam nostram repurgaremus.* Data visitur Epistola ista die 18. Januar. 1539.

§. X.

§. X.

Ad Epistolas

LXV. LXVI. LXVII. LXVIVI. LXIX.

UNo die, ut supra nos edocuit Sadoleti Epistola, Carpentoracti transacto, Polus in Hispaniam ad Cæsarem iter prosequutus est, gravi quidem corporis cum incommodo ex hyemalis tempestatis rigore, exiguo autem, ne dicam nullo, negotii sibi commissi cum emolumento ob Angliæ Regis molitiones. Rem ita narrat Beccatellus in ejusdem Vita num. XI. & XII. *Mense Januario propter sævam hyemem, & viæ asperitates perdifficili itinere Barchinonem venimus. Hinc* Polus, *quod jumenta nimium defatigata essent, ut profectionem maturaret, quatuor ex familiaribus secum ire jussis, per equos dispositos magna celeritate Toletum venit. Interea Anglus de regni sui incolumitate solicitus, cum nonnihil de Pontificis Max. contra se studio atque conatibus inaudisset, Legationem ad Cæsarem de ineundo adversus ejus inimicos fœdere miserat. Eam rem Cæsar, qui in Gallum offenso erat animo, minime contemnendam ratus, ut Anglum confirmaret,* Poli *Legationem, commutata voluntate, sic audit, ut alienum illud esse tempus exequendis Pontificis postulatis dicat; & ut prius Galliam adeat, ex cujus sententia ipse quoque consilium capturus sit, monet.* Polus, *cum satis intelligeret, quo utriusque consilia spectarent, & sua in Galliam profectione Angli*

cum Cæsare fœdus magis ac magis confirmatum iri animadverteret, non existimavit prudentis hominis esse, nulla proposita utilitate, quin potius magno Christianæ Reipublicæ detrimento, & causæ, propter quam missus esset, eversione, certissimis caput suum periculis objicere. Ita abeundi venia a Cæsare impetrata, cum se omnia Pontifici *perscripturum, & quæ is mandaret, facturum dixisset, eodem, quo venerat, itinere, Avenionem revertit, atque illinc Carpentoracte, quæ ambæ Civitates Pontificis Romani juris ac ditionis sunt, abiit.* Nulla extat Poli Epistola scripta ex Hispania, at plures exaravit Carpentoracte reversus, quarum quatuor hoc §. recensendas sumimus.

Prima data est die 25. Martii, ibique, quod spectat ad itineris sui labores, & causæ successum, Contarenum, cui scribit, ad Beccatelli literas amandat, hoc solum addens, tantis malis, quibus Resp. vexabatur, non aliunde proficisci posse remedium, quam ex precibus ad Deum fusis, iisque propterea potissimum incumbendum: *Quod si quis* (inquit) *hoc pro se primum impetravit, ut auferatur cor lapideum, quod perpetuo resistit voluntati divinæ, si idem aliis, quod est voluntatis divinæ, persuadere cupiat, frustra quidem hoc verbis contenderit, utcunque ratione niti, muniri, & acui videantur, nisi prius a Deo precibus assequutus fuerit, ut dura corda emolliat, ut verba possint penetrare.* Hæc in postrema ejus Epistolæ parte, quæ quo brevior est, eo longior pars prima, in qua agitur de libro quodam Sadoleti, de quo judicium suum apere-

ruerat Contarenus per literas datas ipsi Sadoleto, qui easdem Polo legendas tradiderat. Hic Contarenum certiorem facit, quæcumque ipse in eo libro notaverat amanter, & prudenter, amantius forte, & majore cum judicio, atque animi æquitate a Sadoleto accepta fuisse, gratulatumque eundem sibi præterea de eo maxime, quod loca quædam ejusdem libri, quæ nonnulli perperam fuerant interpretati, accurate expendens Contarenus, oculo suo columbino in ipsam rei veritatem, & Authoris ipsius sententiam penetrasset. *Interim vero* (ita postea subdit) *hoc eum merito dolet* (*quod certe nobis omnibus non minus molestum esse debet, pro tanti Viri fama, & Collegii conjunctione*) *quosdam esse inventos, qui ex eodem libro, de quo ipse nondum firmum judicium fecerat, quem paucis communicandum, & his solis, quorum judicium exquirebat, esse voluit, nescio quæ excerpsere, & in vulgus protulere, quæ nec cum illius sententia, cum scriberet, conveniunt, & huic infamiam apud ignaros rei veritatis inurere posset, tanquam novi, & alieni a consueta Ecclesiæ doctrina dogmatis author esse vellet*. Tandem Contarenum rogat, ut pro tanto Viro, & Collega, imo pro honore ipsius Collegii, defensoris partes ubique, & apud omnes, atque ipsum etiam Pontificem, si opus foret, suscipiat. Agebatur de libro, cui Sadoletus titulum fecerat de Ædificatione, seu Substructione Ecclesiæ, quem ab eo dicatum fuisse Cardinali Joanni Salviato discimus ex Epistola huic ab illo data, & quarta est lib. XIV. nam ibi hæc

leguntur: *Hujus ego operis duos jam libros confeci: sed cum prior liber aliquanto videretur esse limatior, non duxi procrastinandum, quin mitterem eum ad te, ut perspicere primo quoque tempore posses, Salviate amplissime, quam in intimis mei sensibus fortiter inhæreres. Videbantur duo adhuc restare libri, quos ut absolvam atque perficiam, maximæ quidem mihi curæ est. Sed omnino magnitudine rerum impediebatur vis ingenii nostra, etsi animo quidem sumus alacres, sed copiis haud ita firmi.* Data hæc V. Id. Decembr. 1539. Quod autem in ea subditur: *Illud te rogo, ut cum liber satis apud te fuisse videbitur, Romam postea illum ad Contarenum nostrum remittas, ad quem ego hac de re scribo, ut ibi quoque tanti viri gravitate & scientia, & eorum quos ille adhibuerit judicio, diutius perpendi, & omni ex parte excuti diligenter possit,* non videtur convenire cum notis chronicis Epistolæ, quam jam jam recensuimus, nam ex ijs constat non desinente, sed ineunte eo anno 1539. librum illum a Sadoleto transmissum fuisse Contareno. At facile ad concordiam utriusque Epistolæ notas redigemus, si antiquiores ad Opus nondum limatum, quale certe innuunt verba a me laudata ex Epistola ad Contarenum, recentiores ad illud jam expolitum, de quo aperte loquitur Epistola ad Salviatum, referamus. Constabat Opus illud pluribus libris; siquidem de eo in Epistola alia ad Contarenum Sadoletus: *Superiore (inquit) anno confeceram quidem secundum meum de Ædificatione Ecclesiæ librum: sed non retractaveram, quod deinde æstate pro-*

xi-

xime exacta feci, eumque describendum curavi, quem nunc ad te mitto, tuæ & prudentiæ & doctrinæ totum me permittens, teque enixius rogans, ut ea qua soles humanitate & benevolentia, me & corrigere, & admonere ne graveris. In eadem a Contareno petit, ut eam lucubrationem communicet cum Fregosio, Bembo, Polo, *amplissimis*, ita eos vocat, *Collegis nostris, & concordissimis fratribus*; iisque postea addit Rodulphum Pium, *Collegam* (inquit) *nostrum, dignissimum (meo judicio) qui in summorum, & optimorum Cardinalium numero censeatur, eundemque præterea amantissimum mei.* Addidit insuper iisdem Dionysium Laurerium, Cardinalem S. Marcelli, atque in Epist. ad ipsum, his verbis eum affatur: *Te obtestor atque oro, ut legere accurate meum librum, meque admonere & docere audacter omnibus de rebus velis: ut quoniam ego & in doctrina, & in benevolentia tua maximam spem repono, id per tuam fidem ac diligentiam consequar, ut ex fontibus scientiæ eruditionis tuæ, mei tenues rivi uberius irrigentur, tuaque opera & ope fluant pleniores.* Tandem addidit Cardinalem Marcellum Cervinum, ut constat in Epistola ad ipsum, ubi de eo libro (secundo scilicet, nam primum in Gallia jam legerat Cervinus) ita loquitur: *Oro te atque rogo, mi optime Marcelle, ut hanc ejus perlegendi operam, sive etiam molestiam, non gravate recipias meæ utilitatis causa, tribuasque hoc cum amicitiæ nostræ, tum humanitati etiam tuæ; ut tuo labore, cura, diligentia, meus liber efficiatur correctior.* Hæ tres Sadoleti Episto-

læ

læ datæ sunt an. 1541. extantque lib. XIII. Epistolar. ejusdem. Scopus illius Operis, ut ex laudatis Epistolis patet, tendebat *ad hanc fulciendam reparandamque Ecclesiam, quæ jam ad procumbendum vehementer prona est, & inclinata, vel ad novam, & firmiorem aliam, super idem fundamentum, constituendam.* Hæc Sadoleti sunt verba ad Cardinalem Laurerium. Ex ea autem Epistola ad Contarenum intelligimus, multa in eodem fuisse de Sacramentis Ecclesiæ conscripta contra Lutheranos. De eo ipso Opere nullus dubito loquutum fuisse Sadoletum in Epistola ad Albertum Pighium allata superius in §. V. qua ille, quandoquidem data fuit III. Kal. Mart. an. 1539. bonam tantum partem lucubrationis suæ a se confectam fuisse affirmat, eam scilicet ipsam, quam ejus anni initio subjecerat Contareni judicio.

Epistola secundo loco in fronte hujus §. indicata, scripta & ipsa a POLO ad Contarenum die 8. Aprilis, ac proinde quinto decimo die post superiorem, ab hujus mentione initium facit hisce verbis: *Ancora che V. S. Riverendissima per le lettere, che io li scrissi alli* xxv. *del passato quì da Carpentras possa facilmente havere inteso quanto si abbia potuto ritrar dal Imperatore, e la causa perche siasi ritenuto quì a Carpentras, e come haveva mandato l' Abbate di San Saluto al Re Christianissimo, pur perche sappia ogni cosa da capo, e piedi, e le riposte, e proposte particolari sopra il tutto quello è occorso, e più quanto poteria fusse bisogno trattare per l' avenire, l' ho voluto mandare in posta a Roma, il quale*

quale è stato meco in Spagna, e di poi andato alla Corte di Francia, ed é molto bene instrutto di tutto l'andamento di questa causa, Vomo prattico di queste due Corti, e buono intelletto, e buona volontà. Qui hoc loco, & alibi etiam, vocatur Abbas *di S. Saluto*, non alius quam fidus POLI Achates Aloysius Priolus, quem oporret dicere recens assecutum fuisse Abbatiam aliquam S.Salvatoris, in quibusdam aliis hujus Collectionis Epistolis justo hoc vocabulo indigitatam. Agit postea POLUS in literis illis de studio, quod (ne omnino in cassum caderet Legatio sua) adhibendum foret, ut Cæsar omnem aliarum rerum respectum sibi tandem abscindens, reipsa pro bono Religionis perficeret quod toties pollicitus fuerat, sociaret scilicet consilia cum Rege Christianissimo, quem Priolus sat bene animatum deprehenderat ad molienda quæcumque causæ, de qua agebatur, conducerent. Addit, Cæsari ad moras omnes abrumpendas impellendo, utilem satis operam eundem Abbatem præstaturum, quod omnibus adjumentis abundaret gerendo negotio illi opportunis, quin opus foret ea de causa Hispanum iter denuo a se suscipi; subditque: *Quando poi loro Maestà fossero risolti di far'insieme questa impresa, allora io potria conferirmi alle loro Maestà, per far la Capitolazione per nome di S. Sant. riguardo di quei popoli d'Inghilterra*. Aliqua insuper tradit de extraordinariis expensis, *le quali* (ait) *superano le nostre forze, ancora che si usano tutti li sparagni. Questo correre di poste a Toledo, in Francia, ed a Roma, sono quelle*
che

che ci rovinano; ma in una causa così importante, ed ove va la prestezza del tempo, non mi pare si possa fare di manco. Tandem commendat Contareno causam Episcopi Gerundensis in Catalonia adversus quosdam immorigeros ejus Diœcesis Sacerdotes, qui Romam accesserant, litigiumque coram Auditore Cameræ instituerant, ut se ab Episcopi potestate exemptos comprobarent; affirmatque, sibi valde dolere, *quando* (inquit) *veggio fare ingiuria a simili Prelati, che doveriano essere favoriti, e non sbattuti dalla Sede Apostolica, ed ajutati a fare il debito suo, siccome fà questi, il quale fa residenza, e fa l'offizio di buon Pastore, & bene audit appresso li vomini da bene. Scrissi una lettera al Riverendissimo Jacobacci in favore, ed in giustificazione di questo Vescovo, così prego V. S. Riverendissima, voglia difenderlo, ed ajutarlo nelle sue oneste dimande appresso l'Auditore della Camera, e dove bisognerà, perche questa è causa degna del suo patrocinio.*

Alium Polus commendat Contareno Epistola, quæ statim sequitur, nimirum Patrem ex familia S. Dominici, qui Carpentoracti Romam adibat ad Capitulum Generale sui Ordinis. Quarta, quæ illam excipit, Polus Contareno significans se binas ejus Epistolas accepisse, datas scilicet die 21. & 28. Aprilis, profitetur, in maxima, qua ex temporum iniquitate premebatur, tristitia, se una consolatione sustentari, quod sibi ejusdem amoris, studii, & pietatis officia non deessent; nec jucundius quidquam accidere sibi potuisse, quam quod ex literis ipsius intel-

tellexerat, *ch'essendo deliberata di partirsi di Roma questa Està, ricordandosi bene di me, e della causa che prattico, questo è stato tra li altri rispetti quel di più importanza che l' ha fatto restare. Io non so dir'altro, che penso che Dio ha messo in mente de V. S. Rma a fare così di non lassare mancare la causa sua di un tale patrone a un tempo così necessario come pare adesso, e di non darmi tristitiam supra tristitiam, che appresso altri impedimenti della causa haveria reputato questo di non havere al suo solito patrone, non essendo poi altra consolazione piena dell'animo mio, a che ho possuto riccorrer, & per questo Dio avendomi consolato in questa parte spero del resto, che il suo restare farà ogni di più dolce e jucundo a lei medesima, come pregherò continuamente la Sua Maestà*. Explicat deinde qua ratione otium illud Carpetoractense oblectarent, ipse, Beccatellus, & Priolus, & quam congrue eo ipso die, quo literas illas scribebat, ad eum Psalmum devenissent, *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana &c.* affirmatque multis verbis, Poli pietate dignissimis, id unum in tanta rerum perturbatione sibi esse propositum, ut se penitus ad omnem divinam voluntatem conformaret. Cœlestia hæc Poli, ejusque comitum oblectamenta si cum Lutheri Actis comparemus, horum Annales nobis exhibebunt, quæ eodem illo anno, quo Polus Carpentoracti degebat, imperium assecutus Misniæ, Turingiæ, & Saxoniæ Henricus Dux (successor, heresque Georgii fratris, cujus

cujus obitu gravissimum passa est res Catholica detrimentum) in eas ditiones, Lutheranæ ipse sectæ addictus, invexit, inter quæ, teste Cochlæo in Act. & Script. Luth. ad an. 1539. *In Ecclesia Cathedrali Misnensi, ubi antea divinis officiis, & diversis cantandi, & psallendi vicibus laudabatur Deus jugiter die, ac nocte, omni hora absque ulla intermissione, cultum divinum maxima ex parte abolevit.* Meminerit Lector, parem a me institutam fuisse comparationem inter sacras occupationes, quæ in Leodiensi domicilio, Poli, & comitum horas sibi vindicabant, atque inter ludicra illa, & impia commenta, quibus eodem tempore Smalcaldensis Conventus in universumCatholicorum cœtum grassabatur. Utraque ista comparatio quidvis potius certe demonstrat, quam eam morum emendationem, cujus quod cupidissimi forent Lutherani (ut ipsi jactant) necesse sibi fuisse arbitrati sunt a Catholicorum hominum communione discedere. Tandem Polus in ea Epistola Contarenum certiorem facit, sibi Sadoletum legenda tribuisse quæ ipse censuerat de Epistola ejusdem ad Genevenses, & de ea, quemadmodum de alia ejusdem ad Sturmium, se in aliis literis verba facturum pollicetur. Literæ istæ seu Contareni, seu Poli non extant, at extant Sadoleti ad ipsumContarenum, quibus a censura Epistolam illam ad Genevenses in hunc modum vindicat: *In epistola mea ad Genevates, ea quæ notas legi perdiligenter, totamque rem cum eruditissimo Polo communicavi. Quod in ea scripsi, Visum esse Spiritui sancto*

&

& mihi, in eo nihil sum equidem elatum neque arrogans meditatus: quinetiam me deprimere volui, ne, si tantummodo mihi visum id fuisse dicerem, plus mihi ipse tribuerem, quam ferri posse videretur. Atque illud dictum tamen dupliciter sum interpretatus: nam & Scripturæ sacræ morem loquendi imitari me dixi & re vera ita esse, ut quæcunque recto & pio erga Deum aguntur animo, ex Spiritu sancto cuncta sint. Aliqua postea addit de justificatione, & justitia, quæ alibi expendendi occasio suppetet. Quod spectat ad Epistolam Sadoleti ad Sturmium, non defuerunt utique e nostris, quibus parum probaretur, quam sectatus fuit Sadoletus, moderata, & lenis, potius quam vehemens, & convitiosa in Religionis causis tractandis disputatio. Poli Epistola hactenus recensita data est die 12. Maii, probatque, Priolum eo tempore nondum Romanum iter suscepisse, de quo supra in alia mense Aprili scripta; susceptum vero paulo post illud fuisse alia Poli Epistola in proxime subsequenti §. afferenda nos edocebit. Ejusdem Prioli ad Regem Franciscum aditionem, quæ præcesserat, præter Poli Epistolam alteram hujus §. memorat Poli Vita his verbis: *Unum etiam ex familiaribus suis* (Polus) *in Galliam mittit.* Ea occasione Priolum ingenii sui, ad hujusmodi res gerendas aptissimi, virtutem patefecisse nullus dubito, at eo fere exitu, quem habuit Gibertus ad eundem Regem pariter a Polo, dum Belgicam Legationem obiret, missus, qui scilicet id unum ab ipso Rege obtinuit, ut ejus suasionem censuerit *un discor-*

so piu ricercato, e rettorico, che veritiero, ed efficace. Ita Pallavicinus extremis lineis cap. IV. lib. IV. post exposita quæ in literis Giberti datis Ambrosio Protonotario Ambiani die 20. Aprilis an. 1537. continebantur.

Claudit præsentem §. Contareni Epistola. Eam ille dedit die 12. Aprilis; quodque angustia temporis magnopere arctaretur ob improvisum discessum illius, cui eandem tradiderat, paucis se expedit, gratulatus primum POLO faustam ad Sadoletum reversionem, cum quo etiam Paschales dies jucundissime egisset; deinde eidem significans, Pontificem non tantum probare, verum etiam admirari ejus prudentiam, ac animi in toto eo negotio præsentiam; insuper obstupescens, quod illi, POLUS scilicet, & Sadoletus, nullam ipsius Epistolam acceperint, etsi novies scripsisset, quodque una tantum POLI Epistola, Carpentoracti data, ad ipsum pervenerit; ac tandem petens, ut Sadoletum certiorem faciat, se non defuisse eidem in tuenda ipsius dignitate cum Pontifice, & nonnullis aliis Cardinalibus, imo, antequam etiam illius literæ sibi fuissent redditæ, dixisse, sentire se proculdubio rectum fuisse ejus sensum *in illa authoritate doctorum, & proborum, qui tum non essent Episcopi.* Hæc verba referuntur ad Sadoleti librum, de Ædificatione Ecclesiæ, cujus defensionem in Romana Curia POLUS Contareno commendaverat. Mirum, celebrem illum librum, adeo multis Sadoleti literis, ut supra vidimus

mus memoratum, latuisse Dupinium, quippe qui in Histor. Eccles. Sæc. XVI. agens de Sadoleto, & ejus Scripta Theologica recensens, præter typis edita, meminit quidem libri de Purgatorio, aitque, *On ne trouve point, que cet Ouvrage ait été imprimé;* at ne verbum quidem facit de Opere illo, quod tribus libris distinguebatur. Ejusdem mentio in Niceronio pariter desideratur. Extare illud inter Codices MSS. Vaticanos adnotavit Montfauconius in Biblioth. MSS.

Mentionem ipse facere non omittam, antequam huic §. finem imponam, testimonii, quod Poli, Carpentoracti morantis, virtutibus, animi præsertim fortitudini (quam absque veterum documentorum auctoritate jactari, Burnetius affirmabat) perhibuit Sadoletus Epist. IV. lib. XII. ad Cardinalem Alexandrum Farnesium: Polus, *tuus* (inquit) *vir fortissimi animi, virtutisque non eximiæ solum, verum etiam admirabilis, (quod ipse & alias sæpe, & nunc cum maxime, in hac iniquitate fortunæ, acerbisque suorum eventibus declaravit) summa mea cum voluptate nunc est Carpentoracti. Itaque ab omnibus colitur, & in honore habetur, ut non hominem nostri temporis, sed quasi e cœlo demissum, aut ab antiquitate nobis redditum, videantur intueri. Tanta est is sapientia, modestia, humanitate, religione: quod quidem etiam in gloriam vestri nominis cedit, cum videant hæ nationes, cujusmodi vos viros ad Sedis Apostolicæ gubernacula acciendos esse putaveritis*. Data est Calendis Maii.

§. XI.

§. XI.

Ad Epistolas

LXX. LXXI. LXXII. LXXIII. LXXIV. LXXV. LXXVI. LXXVII. LXXVIII.

COMPLEXI sumus proxime superiori §. Epistolas Carpentoracti a POLO datas tribus prioribus domicilii sui in ea Urbe mensibus, nimirum Martio, Aprili, & Majo. Hoc autem Junium, & Julium, qui subsequuntur, complectemur, ad quos spectant Epistolæ novem modo designatæ, quarum septem a POLO, unæ a Contareno, & unæ a Nuncio Apostolico apud Regem Galliæ conscriptæ visuntur. Quoniam vero pleræque omnes mentionem faciunt itineris a Cardinale Farnesio in Hispaniam suscepti, quod ei scilicet Paulus Pontifex demandavit post mortem Isabellæ, Caroli Cæsaris uxoris, ut consolationis officia ipsi nomine Sanctitatis Suæ impenderet, & una simul eundem hortaretur primo ad ineundam cum Galliæ Rege pacem, deinde ad socianda cum isto consilia adversus Henricum Angliæ Regem, recensionem meam exordiar a laudibus ei Pontifici debitis ob injuncta adolescenti Nepoti ejusmodi munera, unde is ediscere valeret virtutem, verumque laborem. Illas autem non aliis verbis prædicabimus, quam quibus usus est Sensus in Concione a me satis frequenter laudata. Ea ita se habent: *Et cum nequiret ipse* (loquutus fuerat de Pau-

Pauli Pontificis itineribus) *in locis omnibus eodem tempore præsto esse, quemadmodum pro Rep. nunquam sibi pepercit, ita nec suis unquam parcendum ratus, jam bis Alexandrum Farnesium, Cardinalem nepotem, paci publicæ statuendæ, cursim trans Alpes Allobrogum, & Pyreneos saltus legavit. Parum admodum pro Reip. charitate solicitus, quod corpus illud adolescens, tenerumque adhuc, immensa ea jactatione, cui sæpe durati laboribus non sufficiunt, labascere facile potuisset.*

Prima ex Epistolis nunc recensendis initium ducit a commemorando eo itinere Farnesii, & a commendanda hujus indole, quam rei naviter gerendæ magnopere idoneam ex sermonibus cum eodem habitis, dum Avenionem pertransiret, Polus compererat. En Poli verba ad Contarenum: *Alli 2. di questo scrissi d'Avignone a V. S. R̃ma, & l'avvisai come io era andato per ritrovarmi con Monsig. R̃mo & Illm̃o Farnese col quale io parlai a longo sopra le cose d'Inghilterra, le quali sino quì sono scorse in longo senza risoluzione alcuna. Et se all'andata hora di S. Signoria R̃ma alla Ces. Maestà non se ne cava qualche conclusione, non so più quello se ne possa sperar dagli vomini. Il R̃mo Farnese è molto bene istrutto, e mi ha promesso farà bonissimo officio.* Fretus itaque Polus Farnesii ingenio, atque prudentia, statim subdit, inde nihil opus amplius fore, ut ad Cæsarem Priolus ablegetur, quem propterea cuperet Roma, quo concesserat, ad se cito reverti. Hisce autem verbis Epistolam concludit: *Noi tutti stiamo benissimo che Dio*

ne

ne sia laudato, & cosi Monsig. Rmo Sadoleto & tutti di cuor basciano la mano a V. S. Rma. La prego si degni per me salutar il P. Mrõ, M.r Galeazzo, & M.r Danesio, che Dio tutti in sua grazia conservi. Scripserat eandem POLUS die 8. Junii. At priusquam ipsam obsignaret, aliqua adjunxit de rebus Germaniæ, scilicet de Conventu Norimbergensi, quem audierat statutum fuisse ad Calendas Octobris pro rebus Ecclesiæ componendis, idque ex decreto superiorum mensium Conventus Francofordiensis, in quo nulla facta foret mentio nec de Pontifice, nec de aliquo, qui pro Sede Apostolica interveniret. *Vides credo* (subdit ibidem POLUS) *quo isti tendunt. Utinam ego decipiar. Sed hoc prorsus judico; etsi præsentibus conatibus Regis Angliæ maxime sit obstandum, tamen non hunc esse qui maxime Sedi Apostolicæ possit nocere.* Et post pauca: *Ego certe talem nunc video Ecclesiæ statum, ut si unquam dixi ulla in causa cum Isaia, Mitte me, nunc potius, si rogarem, dicerem cum Moyse, Rogo, Domine, mitte quem missurus es.* Tandemque Contareno libere significat, amorem suum erga ipsum non tantum apud se posse, quin valde cuperet, ut ex otio, quo sciebat valde ipsum oblectari, ad gerenda gravissima illa Religionis negotia extruderetur. Quanto cum zelo Francofordiensis illius decreti iniquitatem Paulus Pontifex improbaverit, ex Annalibus Raynaldi, & ex Historia Pallavicini facile cuivis innotescet, indeque etiam patebit, præclare pro eodem castigando laborasse Hieronymum Card.

Card. Aleandrum tam voce apud Ferdinandum Regem Romanorum, quam scriptis apud Romanum Pontificem. Nescio itaque quid in mentem venerit Continuatori Histor. Fleur. dum initio libri 139. T. XXVIII. ita scribit: *L'Assemblée fut indiquée a Francfort, & le Pape a la priere de Charles V. y envoya le Cardinal Hiérome Aleandre en qualité de Legat.* Eo quidem tempore Legati Pontificii munus in Germania Aleander gerebat; at nec missum ipsum fuisse ad Francfordiensem Conventum, nec huic interfuisse, certo certius nos docent ejusdem Epistolæ ad Cardinalem Farnesium, & alia scripta Romam transmissa, quorum autoritate Pallavicini de eo Conventu narratio nititur, neque ista vel uno verbo seu a Sarpio, seu Courayero impugnatur.

Hisce Poli literis Contarenus respondit die 22. ejusdem mensis Junii, ac primo gaudere se scribit, quod Polus, bonique ipsius socii optime valerent, deinde certiorem eum facit de integra valetudine, qua ipse cum suis Romæ fruebatur; *e ci godiamo il bel Palazzo di Monsig. Rmo di Carpi.* Aliqua postea habet de misero Ecclesiæ statu, cui quam cuperet vel proprio sanguine opitulari, in hunc modum declarat: *Quantum ad me pertinet, adscribo humanitati, & amori tuo singulari ea, quæ mihi attribuis, sicuti arrogantis, & temerarii esse existimo præter cetera pericula, & incommoda hujusmodi, quidquam appetere, ita impium existimarem, si oblatum recusarem, nulla etiam habita vitæ ratione. Nam quid optabilius, quam mori pro*

causa ejus, qui nobis veram vitam sua morte comparavit? Orate Deum assidue pro nobis, ac in primis pro Sanctissimo D. N. & pro Collegio nostro. Tandem salutem impertitur Sadoleto, & duobus Paulis, quorum nomine intelligit Paulum Sadoletum, & Paulum Sacratum. Hi ipsi æque conjuncti mihi occurrunt in Pauli Manutii Epistola, quæ legitur Epistolar. hujus lib. V. & æque laudari, præter alias doctrinæ, & integritatis dotes, ex orationis exornandæ facultate, ad quam scilicet aditus ipsis foret patefactus Cardinalis Jacobi Sadoleti præceptis, & consuetudine domestica, quamque quasi patrimonium, familiæ ipsorum proprium, & communem hereditatem conservarent.

Hæ Contareni litteræ secundo loco indicantur in fronte hujus §. moxque ibidem post ipsas ex Poli subsequuntur, quibus iste certum illum reddit, easdem sibi redditas fuisse, & alias etiam datas die 14. ejusdem mensis Junii, quæ tamen non extant. Significat præterea, Priolum ad se rediisse incolumem, & bene valentem, seque magnopere lætari ex eo adventu, & quod plurimum delectetur ejusdem consuetudine, & quod gratissimi sibi accidant sermones omnes, quos cum ipso de Contareni rebus conferret, quosque reipsa adhuc copiosiores se habiturum sperabat. Demum sui secessus jucunditatem his verbis exponit: *Noi stiamo alli Frati, luogo devoto & solitario, & multo mi diletta questa stanza, ove si trovano de buoni Padri, & non siamo lontani dal giardi-*

no di Monsig. Rm̃o Sadoleto, ove almeno una volta la settimana andiamo a star un giorno tutto intiero, senza che ci visitiamo tratto tratto, & spesso li suoi Nipoti da bene ci vengono a visitar. Hortis illis suis suburbanis affirmat Sadoletus in Epist. ad Contarenum supra p. ccx. laudata, jucunditatem accedere ex ipsomet POLO: *Hoc mihi* (ait) *amœniores jucundioresque sunt, quod eos interdum amplissimus vir* POLUS *noster visere humanissime, & mihi cupientissimo suavitatis suæ copiam facere non gravatur. Utinam, iterum dico utinam, te nobiscum una, optime Contarene, haberemus, disceremus profecto simul vivendo & lætando, quibus in rebus beata vere consistat vita*. Suis illis literis, signatis die 1. Julii, nonnulla POLUS adjungit de iis, quas a Farnesio ex Hispania acceperat, unde edoctus fuisset, suam ad Galliæ Regem aditionem a Carolo Cæsare, antequam ipse negotio illi se implicaret, vehementer urgeri, nec tamen abnuere, ut de re illa suo in Consilio ageretur.

In eo ipso argumento versantur literæ designatæ numeris LXXIII. & LXXIV. Postremas hasce POLO Lutetiæ dedit Nuncius Pontificius, qui eum aperte monuit, ne itineri Gallico se daret, antequam ex Farnesii literis intelligeret, Cæsarem paratum omnino esse ad id agendum, quod initis inter ipsum, & Galliæ Regem consiliis conveniret; sin vero de eo Cæsaris animo nondum ipsi plane constaret, *non gli pareva* (ita subdit) *che per hora la S.V. Rm̃a dovesse venir qua altramente, sì per obviare a tutte le*

suspizioni che porriano nascere, come per non dar' occazione all' altro di provedersi. Si che V. S. Rma la intende & come savio & prudente si governarà in modo che le cose habbino il verso suo. Quas propterea literas POLUS quum accepisset, inde suas, numerum LXXIII. præferentes, Contareno scribens, anxiam, qua torquebatur, curam minime dissimulat, quod in ancipiti, & maxime lubrico loco constitutum se conspiceret, quodque præterea pecunia ad iter illud, quoties suscipiendum foret, necessaria prorsus careret, idque his verbis declarat: *Bisognerà ancho, come altre volte ho scritto, che dovendo andar' in Franza, o altrove, io sia provisto di denari, perche ne' viaggi si fanno di bone spese, & io sono senza un quatrino, e non ho molta compagnia anchora come saria necessario che io avessi in simil paese*. Postea in ea Epistola Contarenum certiorem facit, a se frequenter magna cum animi oblectatione Sadoletum invisi, omnes recte valere, omnes studiis vacare, Priolum præsertim, qui Philosophiæ, & Historiæ se dederat, atque una simul hortorum culturæ, ad quam re ipsa, potius quam lectione, ediscendam ipsum invitabat elegantissimus hortus Cœnobitarum eorum, apud quos degebant. Claudit Epistolam salutans Patrem Magistrum Badiam, Galeatium Florimontium, & Danesium. Data est die 16. Julii; ornaturque & ipsa, quemadmodum præcedens, auctario quodam, quod præfert notam diei proxime subsequentis, atque in eo Contarenum primo monet, se eidem copiam facere literarum

rarum Nuncii Apostolici, deinde de rebus Hiberniæ aliquid breviter indicat, ac postremo verba facit de Contareni libro ad Pighium mittendo, pariter de alio sui ipsius, quem Rhambertus sibi legendum tradi petebat, ut ex eodem Contareno intellexerat. Nuncii literæ illæ post Poli istas in Collectione nostra comparebunt. Excitatas in Hibernia turbas, postquam ibi quoque Ecclesiasticum suum Primatum agnosci, ac publice approbari Henricus Rex per vim obtinuerat, describunt Historici; easdem vero in grave Catholicorum damnum cessuras Polus ominatur in hunc modum: *Di questo sono causa questi romori, che fanno questi Principi di voler far l'impresa, & noi non facendo altro saremo cagione che tanto più saranno li sudditi oppressi da quella tirannide.* Quinam foret Contareni liber Pighio destinatus, nos latet; certum autem est, Poli librum non alium esse quam ipsius Opus de Unitate Ecclesiastica, quod seu a Rhamberto, seu a quovis ne tunc legi pateretur, hanc causam reddit: *Havrò caro non se mova parte alcuna fino che non sia fornito, & che io non gli habbia giunto quello ho scritto qua, che sono parecchi foglii; molti altri mi hanno fatta la medesima richiesta, & con tutti mi sono excusato, & quando lo dessi ad uno, agli altri farei ingiuria.* Additamentum, in quod Polus se eo tempore incubuisse scribit, nullus dubito fuisse Apologiam ad Cæsarem a me primum evulgatam, & de ea ipsa mentionem facit in alia Epistola in proximo §. recensenda.

Lite-

Literæ Poli signatæ n. LXXV. Contareno commendant Judæorum negotium, de quo & ipse, & Sadoletus Farnesio scripserant, *Pregando S. S. Rma voglia operar con N.S. che le domande faranno a Roma questi Giudei contra questi poveri non siano esaudite, perchè in fatti questo è un'anno da haver gran rispetto alla povertà, la quale non coglierà grano in questi paesi apena per seminar*. Non solum autem de ea re scripserant, sed ambo de ipsa cum Farnesio, dum in Hispaniam iter haberet, collocuti fuerant, ut prodit ea ipsa Sadoleti Epistola, quinta scilicet lib. XII. qua dolenter maxime, & libere disserit de frænanda Judæorum avaritia, qui opibus referti, fautoribus insolentes, inter eas plebes, tanquam inter pecudes lupi, grassarentur, ac proinde oppida jam dudum pleraque vastata forent, familiæ plurimæ exturbatæ laribus suis, & extorres factæ, dispersæ inter finitimas nationes, quererentur conditionem temporum, & miseras fortunas suas, *cum tamen* (subdit) *quotidie Judæi istinc ex Urbe a præfectis ærarii nova ad nos privilegia deferant*. Adeo autem ex tot, tantisque malis, eam Epistolam scribens, commotus fuit Sadoletus in improbos stomacho, erga pauperes misericordia, ut Pontificium Nepotem, cui data est, his verbis compellare non dubitaverit: *Agam fortiter, utarque libertate, quam tribuit mihi Deus: neque eum Principem, cui omnia debeo, cujus eximiam laudem virtutis, probitatis, sapientiæ, ullis hominum sermonibus infringi aut imminui iniquissimo animo patior,*

tior, falsis assentationibus in errorem inducam. Sed dicam aperte ut se res habet. Qui potest videri amore religionis in suis provinciis Lutheranos persequi, qui in eisdem provinciis tantopere sustinet Judæos? Sustinet autem? Imo vero auget, condecorat, honestat? Nulli enim unquam ullo a Pontifice Christiani tot gratiis, privilegiis, concessionibusque donati sunt, quot per hosce annos Paulo Tertio Pontifice honoribus, prærogativis, beneficiis, non aucti solum, sed armati sunt Judæi. Ac ceteris quidem fidelibus & optime meritis nova juris beneficia ad propulsandam, si qua illa sit, injuriam conceduntur: Judæis solum ad inferendam. Et paulo post: *Et hæc vos tandem quomodo ab his trans alpes nationibus accipi existimatis, quarum in oculis & in conspectu posita sunt? Quæ nationes carent omnes hac Judæorum peste, nec abominantur pejus quicquam quam Judæorum nomen, quos tantopere vident istic in deliciis esse. In tanta ne defectione animorum omnium jam a nobis gentium (plane enim dico omnium, quod ego ita esse intelligo; vos haud ita sentitis, propterea quod auribus vestris vulgo homines blandiuntur) in tanta ne, inquam, defectione omnium, & prope execratione auctoritatis ecclesiasticæ, magno Reipublicæ præsidio futurum putatis, si sic alueritis, sic extuleritis Judæos? fideles autem, & pauperes populos vestros sic lacerari ab illis, & diripi neglexeritis?* Quæ tamen dum scriberet, fateri non omittit, culpam eam esse non optimi Pontificis, sed eorum, qui ad suum ex Judæis quæstum, Pontificis nomine abuterentur. In aliis vero literis magnam præ-

præterea eidem laudem tribuit, quod ipsius non solum æquitate,& justitia, sed summa etiam clementia, & benignitate, omnia quæ voluerant consecuti fuissent ipse, & populi illi, quæ scilicet ad horum fortunas,ac salutem potius, adversus Judæorum improbitatem, & fraudes tuendam pertinebant. Eas exaravit utrique Pontificis Nepoti, Farnesio, & Sfortiæ, quos paribus laudibus cumulat, testatus, ex suscepto causæ illius patrocinio maximum, certissimumque confirmatæ in se ipsis virtutis, egregiæque in Christianam Remp. voluntatis argumentum præbuisse. Perlegant, velim, literas illas omnes de eo negotio a Sadoleto conscriptas, quotquot seu Pauli in publicis utilitatibus curandis socordiam,seu Cardinalium in obsequium Pontificum ad blanditias, & assentationem pronum ingenium, seu denique eorum Pauli Nepotum adolescentiam parum dignam amplissimis honoribus in eosdem collatis, carpere, atque reprehendere non verentur. Siquidem ex iis literis intelligent, eos adolescentes singulari virtute, & supra ætatem prudentia præditos fuisse, Cardinales libere omnino, quoties res & causa postularet, sensus suos Pontifici explicare non reformidasse,Pontificem demumReip. administrandæ sedulam ubique, sapientemque operam navasse, nec quidquam magis seu a Nepotibus illis suis, seu a Cardinalibus aliis præsertim a se renunciatis, expetiisse, quam ut ad illius gubernacula admoti, pro sua quisque parte singuli opem ferrent,& periclitanti subvenirent. Poli Epistola, cujus occasione

ne memoratæ ſunt Sadoleti illæ, data eſt die 18. Julii.

Ad eum ipſum diem ſpectant binæ ejuſdem Poli literæ, binis numeris LXXVI. & LXXVII. in fronte §. indicatæ, agiturque in iis de controverſia pecuniaria excitata inter Bartholomæum Stellam, Poli familiarem, & Cardinalis Verulani, Ennii Philonardi, nepotem. Stella tercentum aureorum ſummam ſibi creditam, ad eum, qui eandem depoſuerat, ita exigentem, tranſmiſit, de ejus ſecuritate nil minus proſpiciens, quam ſi ſua fuiſſet pecunia. Quum autem in direptione Urbis, ejuſdem jactura accidiſſet, Polus, cujus arbitrio Philonardus cauſam commiſerat, Stellam nonniſi injuria in ſumma illa condemnari poſſe contendebat, hominem de tali fraude nunquam ante ſuſpectum, imo vero in paribus negotiis integerrimum inventum, atque ab omnibus habitum. Cenſuit tamen, eundem poſſe jure amicitiæ extra judicium invitari, ut partem damni cum amico pro ſua facultate ſolveret, *Et ſic ego* (ſubdit ille) *condemnavi illum, ut centum aureos ſolveret in reſarcitionem damni, quibus ego ex meis totidem adjunxi.* Æquum adeo, ac Poli prolixa, beneficaque natura dignum arbitratum, Philonardus rejecit, cauſatus, Stellam gloriari, & aliqua dicere, quæ ſuum honorem tangerent, ac præterea diminuere velle de ſumma, quam Polus ſolvendam ſtatuerat; eo autem rejecto, maluit, ut lis reverteretur ad Judicem, & ab eo pro tribunali decideretur. Rei novitatem a Sadoleto, cui de eadem ſcripſerat Philonardus, Polus in-

intellexit, statimque ad hunc literas num. LXXVI. designatas dedit, quibus profitetur, omnia se Philonardi voluntati remittere, perinde ac si inter ipsos de ea re nihil esset actum, nihil promissum, nihil dictum; duo tamen petere, primo ne Philonardus in eam adversus se suspicionem adducatur, quasi plus tribueret familiaris sui utilitati, quam ejus honori, quem maxima a se observantia omnibus officiis colendum esse semper censuerat; deinde vero ne congruum tempus ad probationes suas afferendas Stellæ, qui eas in patria habebat, Brixiæ scilicet, denegaretur. Tandem de integritate sui illius familiaris ita loquitur: *Hoc autem iterum dico, postquam eum recepi, nunquam me pœnituisse, illis qui authores fuerunt, ut mihi operam præstaret, sæpe gratias egisse, talem invenisse, qualem illi mihi descripserant, & talem, qualem R̃ma Dñio V. judicavit, quando tantam pecuniæ summam illi crediderat, & qualem nunc inveniret, si æmulis ejus aures obstruere vellet, integerrimum, observantissimum etiam honoris R̃mæ D.V. si illi se reconciliari pateretur*. De re vero antea gesta, & de pactis inter se, & Philonardum, testes laudat Durantem, Episcopum Algerensem, & Vottium, Episcopum Aquensem. Ille pluries alibi memorabitur. Hunc autem, ex Pallavicini Historia satis celebrem, hoc Polus exornat elogio: *Sic de illo Viro sum persuasus, eum doctum, probum, exercitatum in jure, & qui Dei non hominis faciem, aut personam in judicando respiciat*. Ad hunc ipsum data est Poli Epistola, signata num. LXXVII.

LXXVII. qua paucis ſe expedit, affirmans, ſe plenius ſcripſiſſe Cardinali S. Angeli, ſeu Verulano, nec tamen diſſimulat, ſe adhuc valde cupere, & expectare, *Ut* (inquit) *Dñio ejus Rñia reipſa præſtet, ac perficiat, quod tanta humanitate, ac benignitate mihi antea eſt pollicita*. En quo pacto bonum & honeſtum Poli animum vel Epiſtolæ iſtæ demonſtrent, in quibus tantum de pecuniarum ſummulis agebatur.

Reſtant recenſendæ poſtremæ omnium literæ, ſignatæ num. LXXVIII. quibus magis, magiſque Polus in medium affert & diſcutit momenta profectionis ad Regem Galliæ, a Pontifice, ut ex Contareni literis intellexerat, arbitrio ſuo permiſſæ, non ita facile ſuſcipiendæ, quin antea Cæſar ſententiam ſuam clarius explicaſſet, imo vero voluntatis jam conſtitutæ certum aliquod teſtimonium præberet, nam eo tantum munitus, ſuum ad Regem adventum gratum futurum ſperabat, quod id ipſum Nuncii Apoſtolici apud eum literæ, ſibi datæ, & Romam a ſe tranſmiſſæ, ſed a Contareno nondum acceptæ, apertis verbis teſtatæ fuerant. Cujuſcemodi eſſe oporteret teſtimonium illud, ita declarat: *Majeſtas Cæſarea poteſt ad Pontificem ſcribere* (literas) *quæ ſi ad me poſtea deferantur cum literis Ejus Sanctitatis, quæ me proficiſci jubeant, jam vides quanto majore cum authoritate omnia fient, & bonore Sedis Apoſtolicæ. Et quid minus a Cæſare poteſt poſtulari, præſertim cum verbis hoc jam promittat facturum?* Unde vero exiſtimaret, nuda Cæſaris verba non ſuffice-

ficere, in hunc modum explicat: *Cum verbis hoc idem de voluntate Cæsaris ad eum deferebatur, referente Abbate S. Salvatoris; tamen cum de eadem re, & de meo adventu postea loqueretur Nuncius cum Magno Contestabile, hoc tum in meo adventu exigebat, ut aliquid certius afferrem de voluntate Cæsaris, significans interim, aliter haud gratum fore meum adventum, & cum hoc gratissimum, quod quo pacto fieret, nisi aut Cæsar per litteras hoc significaret, aut certum hominem ex suis una mecum, qui hoc testaretur, ad Regem mitteret, ipse quidem nihil video.* Et paulo post subjungit: *At vero curabit, ut Orator apud Regem Christianissimum de his certior fiat, & mandata certa habeat, qui in meo adventu mecum aderit apud Regem. Atque hoc quidem tum expectabam ut fieret, cum Abbas apud Regem hac de causa adesset; promissum enim fuit in meo discessu ab Aula, cum nihil aliud de me expectaretur, quam ut recta me ad Regem Christianissimum conferrem, in meo isthuc adventu me reperturum Oratorem Cæsaris, qui de omnibus mandata haberet; postea vero cum ipse consilium mutarem, & Abbatem mitterem, cum ille cum Cæsaris Oratore de negotio ageret, ille ne literas quidem de negotio habuisse respondit.* Hisce expositis de tota re, denique concludit, se Sanctitatis Suæ voluntate, & Servorum Dei orationibus fretum, certo confidere, omnes difficultates posse superare, *cum tamen* (inquit) *superare difficultates tali in causa, potius appellandum sit, in mediis difficultatibus occumbere,* quo, subdit, nihil sibi optabilius contingere posse.

§. XII.

§. XII.

Ad Epistolas

LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII.

ROMAM ex Hispania reverso Cardinale Farnesio, quod contigit ante finem mensis Julii an. 1539. POLUS, qui eundem in transitu per Avenionensem ditionem alloquendi occasionem ceperat, quique ipsi aperuerat quietis, quo flagrabat, desiderium, hoc ipsum in prima ex Epistolis modo indicatis, ad Contarenum die 7. Augusti scribens, his verbis declarat: *Certo io sono forte perplexo, & più desidero di quiete che altro, & se per le cose publiche io non posso far giovamento alcuno con le attioni, desidero poter haver otio di pregar Iddio per il bisogno di quelle;* ac statim addit, se avide expectare Farnesii literas, quæ sibi, ut ille pollicitus fuerat, Pontificis de ea re mentem patefacerent. In eadem Epistola, quod in plerisque omnibus Carpentoracti datis facere consuevit, felicem se prædicat ex otio, quo fruebatur in Fratrum de Observantia Cœnobio, ex studiis, quibus ibi una cum Beccatello, & Priolo vacabat, ex Sadoleti, quam frequentabar, consuetudine. Hunc autem Contareno commendat ita scribens: *Non feria se non cosa lodevole a N. S. che fra l'altre sue Creature honorate da S. S. si ricordasse anche di questa che non è l'ultima fra tante belle piante fatte da S. S. alla quale non mancherà modo, quando lo*

lo vorrà fare adoperandolo o in Germania, o in Italia, o dove meglio li piacerà.

Quietis illius desiderium multo fusius, atque ardentius Polus, postquam Farnesii calamo Romam a Pontifice se revocari intellexit, declaravit in omnibus aliis literis, quas ad Contarenum dedit ante suum Carpentoracti discessum. Quare in Epistola adnotata num. LXXX. quæ post octo tantum dies jam recensitam subsecuta est, statim ita loquitur: *Etsi maxime cupio primum SSmi D. N. pedes coram osculari, deinde ad tuam omnium mihi jucundissimam consuetudinem redire; tamen ut corpus ægrum sæpe animi desideria ne impleri queant, impedit; quod quidem ego ita hoc tempore experior, ut nunquam magis, qui cum illa exopto, quæ modo dixi, alio tamen me trahit animi ægritudo, ut solitudinem potius quæram, & separationem etiam ab his, quibuscum versari, & quibuscum adesse (cum non ita animus languebat) fuerat jucundissimum.* Postea subdit, Contareno sat bene constare posse, qua ratione animus suus, quoties eum nimius pungeret dolor, ad celebritatis fugam semper spectarer, & ad quærendas latebras, ubi totus in doloris remedium incumberet, ac proinde eidem minime mirum visum iri, si in præsens majore cum studio ad remedium illud confugeret, quandoquidem dolore jam obrueretur, quin tamen spem abjiceret de causa, quam in manibus habebat: *Nec enim* (inquit) *desperare possum quandiu de illius potentia cogito, ad quem magis, quam ad me hæc causa pertinet, nunquam vero, ut*

ut spero, capiet me ejus oblivio. Etsi enim Patriam meam agnosco esse provinciam illam, quæ omni genere calamitatis premitur, cujus vicem tam vehementer doleo, tamen non minus intelligo eandem esse portionem Regni ejus, cui data est summa omnis carnis potestas. Et paulo post: *Fundamentum consolationis mecum circumfero, quod positum est in illius providentia, & amore erga suos, super quod stans ipse, eo etiam minus perturbor, quo magis per illius gratiam nihil mihi conscius sum, causam unquam dedisse me, cur in has calamitates hoc ejus Regnum inciderit, sed his, qui eas intulerunt, semper, quantum potui, restitisse, atque ubi occasionis vel minima spes se ostenderet, meam operam juvare posse, nunquam defuisse. Hæc fateor, magna esse consolationis semina, & magna doloris remedia, sic tamen si possint adolescere; quod ut fiat, temporis tranquillitas, & loci solitudo maxime præstant. Quod si ad solita negotia redirem eorum, qui hujusmodi doloris malum non sentiunt, vereor illic spinas, quibus hæc semina prorsus suffocentur, quod si non prorsus suffocentur, at certe ne vis eorum retundatur, ut minus valeat ad remedium doloris, quia expertus sum, non possum non timere.* Obtestatur igitur Contarenum, quem certo noverat justissimum esse doloris sui æstimatorem, & sui amantissimum, ut sibi a Paulo Pontifice impetret, ne eo tempore ad celebritatem Urbis vocaretur, quam alias etiam sanando dolori minus aptam expertus fuerat, quæque, si in ea ipse spectaretur, palam ipsa faceret, nihil amplius esse quod quisquam de

de causa sibi commendata speraret. Moxque: *Sed utcumque sit de causa, quam nescio, an extincta sit, cum nihil æque opponatur consolationi animi mei hoc tempore, quam si in istam celebritatem post has jactationes venirem; hoc, quæso, pro me procures apud SSmum D. N. ne mihi necesse sit isthuc accedere, ubi nemini prosum, mihi, ut nunc rerum mearum status est, maxime obsum. Non agam pluribus, hæc enim nimis multa sunt, in quibus sentio, me longius, quam par est, oratione provehi.* Causam autem, cur tot verbis, ad obtinendum quod petit, opus esse non putet, hanc affert, quod sibi persuadeat, tantulum doloris solatium ex secessu,& vacatione ab urbanis rebus minime denegandum ab eo, cui secundum Deum serviens in dolores se immiserat, labores exhauserat; præsertim si Contarenus deprecator accedat, qui auctor extiterat, ut omnia sua, ac fortunam domus suæ eidem, non tam ut publicæ personæ, sed ut privatæ propter animi generositatem, & virtutem sine ulla exceptione committeret. Tandem nihil alienum a dignitate, nihil extraordinarium se petere, in hunc modum ostendit: *Quod si hoc concedi solet, tum in nostro Ordine, tum in aliis, ut, qui propinquos, aut caros amiserit, qui uxorem, qui parentes, qui liberos, aliquot dies ad lugendum sibi sumant, quibus vacant a publicis muneribus, idque in singulis, qui faciunt, rite, & ordine facere videntur; ego, qui non singulos, sed prope universos uno momento amiserim, partim nece, partim captivitate, &, quod omnem causam doloris*

ris superat, patriæ meæ interitum pene viderim, nec enim aliter dicere possum de ea, ex qua Fides, & Religio sunt expulsæ, quæ florere in ipsa maxime solebant, sine spe, quantum ego quidem de humano auxilio cogitare possum, fore ut illæ nunquam revocentur, an aliquid indecore facere videor, si, ut hæc lugeam, mihi licere postulem ab Urbe abesse, & vacationem ab urbanis rebus petam? Immo indecore facere viderer, nisi hæc flagitarem, qui si in tantis calamitatibus & meorum, & patriæ vacationem ei omnem vitam peterem, ut orationi, & lacrymis totus incumberem, meo fortasse & decori, & officio maxime servirem. Claudit Epistolam, fassus iterum, longius oratione se progressum fuisse, quum ei scriberet, cui sciebat salutem suam non minus curæ esse, quam sibi, casumque suum, æque ac sibi, amaris lacrymis dignum videri. *Quod si* (inquit) *ad illum scriberem, a quo sunt impetranda, minus etiam necesse video, cujus benignitatem hac in causa scio esse talem, ut vel gemitus soli, si absque verbis intelligi possent, satis essent ad hæc impetranda, nedum tam longa oratio meos gemitus referens*. Scripta hac Epistola, literas Contareni, triduo serius quam Farnesii illas in eadem memoratas, accepit, quare plura eidem adjunxit; & primum omnium, quod consilium cepisset Romam ad pedes Pontificis mittendi charissimum Abbatem suum, ut a Sanctitate Sua impetret, ne ipse ad Urbis celebritatem eo tempore redire compellatur. Deinde dolorem suum aperit ex Campegii Cardinalis obitu, at una gratulatur

tur Contarenum eidem suffectum fuisse in officio Protectoris Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Justinæ. Tandem multis explicat, quam parum personæ, & tempori consentanea foret Sarisberiensis Episcopatus sibi facta a Pontifice attributio: *Quanquam* (inquit) *non possum non agnoscere S.D.N. in me studium & promptam ex tali occasione voluntatem de me benemerendi. Sed ita sentio, si res Ecclesiæ in Anglia restaurentur, non posse mihi deesse illic Episcopatus, si modo illis ipse deesse nolim. Sin eodem statu maneant, quid mihi conferet plus Episcopatus Sarisberiensis, plus quam Antiochenus, aut Alexandrinus, si eodem modo nominarer, non video.* Addit, non solum neque honorem, neque lucrum ex eo Episcopatu posse sibi obvenire, sed verendum esse, ne calumniæ, & dicteria obveniant ex re, quæ in Anglia bonis non satisfaceret, probe consciis, quid ipse amiserit, & reliquerit in patria Sedis Apostolicæ causa, aliis vero ridendi materiam suppeditaret. Demum hæc habet: *Supra omnes Episcopatus hoc tempore mihi erit, ut, tanquam militi vulnerato redeunti a bello, locus, & spatium ad curanda vulnera dentur, de quibus scripsi in alteris literis. Si hoc impetrabis, omnia impetrabis, quæ hoc tempore possum desiderare; reliqua Deo permittemus.* Eo ipso die, quo hæc addidit Epistolæ jam antea scriptæ, nempe 16. Augusti, Epistolam aliam ad Contarenum pariter dedit, ipsamque, ut credere par est, Abbati Priolo Romam proficiscenti perferendam tradidit. Novis

vis in ea precibus eundem exorat, ut sibi patrocinium præstet apud Pontificem, *che per questo verno mi lasci soprastar qui il che sommamente desidero & præcipue per poter quietamente suspirare, & lugere casum patriæ, & parentum*. Adjicit aliam causam, qua adduceretur ad Carpentoractensem secessum amandum, *Oltre che* (inquit) *scrivo per compimento delle cose altre volte da me scritte nella causa d'Ingbilterra, & totus sum in eo, & in questo otio, & in questa sorte di vita che io tengo non sento le miserie del Mondo, quæ me circumstant; onde se fosse possibile non vorrei mutarla, che so bene che passarò da male in peggio, & desperarò quelli huomini da bene d'Ingbilterra quando mi vedranno ritornar senza frutto*. Insuper vereri se dicit annonæ sterilitatem, qua Urbem premi nunciabatur, & cui tolerandæ necessaria sibi deforent instrumenta. Petit postremo, ut saltem facultas sibi fiat, *ch'io mi fermi in qualche luogo di Lombardia, ove parerà alli miei, ch'io tanto non mi discosti da loro, & fruar otio liberiore, & quietiore, quo maxime indigeo*. Adscribitur huic Epistolæ num. LXXXI.

Votorum suorum jam compos evaserat Polus, dum Epistolam designatam n. LXXXII. exaravit die 2.. ejusdemmensis, quam proinde ita exorditur: *Hò ricevuto insieme le lettere di V. S. R.ma* (Contareni) *dell'ultimo di Lugio e di VIII. d'Agosto, & ancho per lettera di Mons. R.mo Farnese hò inteso la volontà di N. S. del mio soprastar qui sino ch'io non bab-*

bia altra commissione in contrario, la qual cosa mi è stata molto grata. Adeo autem aberat ab inertia otium illud, quod sibi Polus exoptaverat, ut, etiamsi Roma abesset, occasionem exoriri posse speraret, propter quam ad negotium aliquod pro Religionis causa a Pontifice destinaretur, Deo adversus Henrici tyrannidem suscipiente curam illam, quam homines propemodum abjecisse videbantur. Subdit: *Molte cose mi vanno per la mente, & ne sento anche di fuora via, & dicono, che si tratta di dar la Principessa all'Imperatore. Faccia Dio quello è per lo meglio, dubito che'l Re d'Inghilterra darà parole a tutti, & interim quærat subterfugia, & al judicio mio non seria questa impresa se non facillima, purche li Prencipi consentono insieme, a quali tutti porteria utile & honore.* Non ideo tamen Carpentoractensi illo otio Polo contigit diu adhuc frui, quod Contareni literæ, Pontificis verbis scriptæ, ipsi injunxerint, ut Cubicularium Sanctitatis Suæ, Joannem Riccium, Montepulcianum a patria dictum, ex Hispania, scilicet ex Aula Cæsaris, revertentem immoto pede præstolatus, Italico itineri tunc statim se daret, quum idem ita faciendum censuisset, ut re ipsa censuit. *Nos in horas* (hoc est initium Epistolæ a Polo ad Contarenum datæ die 22. Septembris) *expectamus Montepulcianum, a quo simul ac intellexero, quid ex Cæsare afferet, quod ad meum hinc discessum pertinet, quoniam ita jubet Ejus Sanctitas, statim exequemur.* Quid autem allaturus foret Montepulcianus, Polus jam præsen-

fensisse se subdit ex literis Nuncii apud Cæsarem, unde edoctus fuerat, de sua in Galliam profectione Cæsarem cogitationem jam omnem dimisisse. Quare paratum se dicit ad iter Italicum aggrediendum, etsi ægre admodum avelleretur e muris Monasterii, intra quos per tres menses latuerat, celebritatem suburbii Carpentoractensis minime ferens, etsi ista, quemadmodum in aliis locis hominum frequentia, solitudo nominari posset, si cum Roma, Orbis theatro, comparetur. *Sed omnia* (inquit) *vincet mea erga illum obedientia, qui me eo vocat, cui si jam pridem minora cessi, quam vita sit, etiam banc libenter in ejus obedientia relinquam.*

Vitæ quam citius amittendæ grave sibi periculum imminere, si Romæ, seu in locis Romæ proximis lares figeret, unde exploratum haberet, statim aperit, narrans, quid, quum in Hispania esset, ex Granvellii ore, aliisque accepisset, nimirum Oratorem Anglum apud Cæsarem publice dixisse: *Si Rex Anglus* (ita POLUS in iisdem literis) *tantum hoc curaret, ut publice in civitatibus Angliæ per edicta hostis judicarer, & liberaret eum a Legatione illa, ac illi negotium hoc committeret de mea cæde cum summa decem millium aureorum, se possessiones suas, quibus abundat in Anglia, obligaturum, ante sex menses cum illa pecunia meam mortem procuraturum, Romamque, & loca maxime vicina, tanquam opportunissima ad facinus laudabat; hæc tamen quidem audivi, sed ut temere, & impie dicta a furioso juvene. Sed vide quæ sunt*

sunt consecuta, statim a meo discessu a Legatione illa fuit revocatus. Ego, quod nunquam ante, per edictum, ut ille postulabat, publice hostis judicatus sum, ut ex literis ex Hispania ad quendam meum familiarem scriptis intellexi, quæ simul cum literis a Nuncio de Montepulciano scriptis, fuerunt allatæ. Nondum in Anglia applicuit, neque quemquam scire, ubinam locorum sit. Quare si huic negotio vacare eum suspicor, quam non temere id facio, vides. Qua ratione vero saluti suæ cavere posset, explicat in hunc modum: *Postulo, & flagito, si ita tamen ejus Sanctitati videatur, cujus semper obedientiæ vitam concesserim, ne mihi necesse sit tam cito (maxime cum adventus meus Romæ expectetur) ad locum prædæ ab inimico, & insidiatore destinatum venire.* Cauta ista consilia nihil prorsus derogasse heroicæ POLI pectoris fortitudini, demonstrat literarum earundem conclusio, ubi ita legitur: *De reliquo ita me per gratiam Christi paro, ut si necesse sit hinc migrare, nusquam me inimicus imparatum inveniat. Quod facilius impetrare possum, si Rma Dominatio Vestra me oratione adjuvabit, pro quo mea est assidua, & imprimis pro incolumitate SSmi D. N. magisque, ut spero, assidua erit, cum, quod sæpe interrumpit, hoc corpore exuar, quod si ad gloriam Dei fieri possit, ut qam primum fiat, maxime opto.* Datæ sunt illæ ex agro Carpentoractensi ex Monasterio Montilii 22. Sept. 1539. & postremæ sunt hujus §.

Iisdem in Collectione mea subjungitur prolixum auctarium, quod non ad alias quam ad eas spectare judi-

judicavi, etsi loco non suo in Vaticano MS. assutum reperiatur. *His scriptis* (hoc est illius initium) *Rme Dne, accepi tuas* XVIII. *datas, quæ me prorsus magno dolore affecerunt quod oppugnationem narrant illius arcis & oppidi Castelnovi, tum vero cædem illius præsidii militum, in quo prorsus robur Christianæ militiæ fuisse omnes volunt. Ingemui maxime, cum ob ea, quæ præterierunt, tum ob ea, quæ sunt in expectatione de tam potente inimico.* Postea sancte monet, non aliunde quam a Domino auxilia esse expectanda, cavendumque, ne iste a nobis quotidie magis, magisque provocatus, vindictam de nobis capiat per suos inimicos. Digreditur deinde ad eas preces, quas in superioribus literis geminasse vidimus, quasque rursus inculcandi quænam sibi subesset causa, his verbis exponit: *Audisti, credo, de mea matre ad mortem consilio publico damnata, idest ad vitam æternam; nisi enim ego ita vere interpretarer, ne vivere quidem possem, & ne cum illa quidem firmissima animi persuasione solem intueri possem, nisi sub petra latitarem, & in foramine illo me absconderem, ubi gloriam Domini transeuntem expecto; nec vero solam damnatam mulierem septuagenariam (qua nulla, excepta filia, propinquiorem habet, &, ut ille ipse, qui eam damnavit, sæpe dicere solebat, nec regnum illud sanctiorem habuit feminam) sed cum nepote suo filio fratris mei puero, spe reliqua stirpis nostræ.*

Tandem verbis pluribus, Christiano zelo plenis, Carolum Cæsarem sugillat, quod parum sibi cordi

esse

esse demonstraret, illatas Regno Christi per Henricum injurias ulcisci. *Si dicere* (inquit) *debeo quod sentio, quanquam fortassis parum autboritatis babitura sit bac præsertim in re mea oratio, sed tamen ita judico, si qui Turcbam illum in Oriente maxime infestum regnis suis babet, bunc alterum magis infestum regno Christi a sua saltem amicitia rejecisset, magis quidem propitium Deum ad defensionem sui imperii babuisset. Hoc vero non temere dico, qui video quam graviter in Scripturis Deus castigat suos, qui cum impiis societatem babuerunt.* Addit, se in eodem Carolo, qui Deo non minus charus foret, quam Josias Rex Judæorum, iram ipsius Dei timere eo graviorem, quo magis pro certo haberet, eundem a Deo præparatum fuisse, ceu instrumentum aptissimum ad Henricum in impietatem declinantem, & primo in honorem Cæsaris, & domus ejus impingentem, castigandum. *Palam* (inquit) *dixi cum discederem ab aula Cæsaris cum illa tenui spe, me non potuisse non maxime dolere, non majorem spem mibi dari de ope Cæsaris in nostræ provinciæ rebus sic afflictis, sed non minus certe timere de rebus Cæsaris propter causam, quam jam dixi, quam de rebus nostris doleo.* Demum affirmat (quod ipsum in plerisque aliis fecisse vidimus) se una spe consolari, scilicet Providentiæ Dei, & Christi de Regno suo. Antequam tamen Epistolam claudat, ei breve additamentum subjungit, quo testatur, valde se dolere ex morte Cardinalis Tridentini, indeque in memoriam sibi reduci jacturam, quam pau-

paucis annis Ecclesia fecerat, Cardinalis Leodiensis, & Georgii Saxoniæ Ducis, qui omnes inter maximas Ecclesiæ columnas in Germaniæ partibus numerabantur. De Cardinale Leodiense, & de Georgio Saxone dictum est supra. De Tridentino illo Cardinale, videlicet de Bernardo Clesio, id unum dicam, prædicari a Pallavicino incomparabilem ejus zelum, & ex eo ipso Clesium laudem promeritum fuisse vel a Petro Aretino, qui in Epistola ad ipsum data, eum vocat *uno dei sostegni della religione, & uno dei rettori dell'Universo*. Aliæ ejusmodi columnæ in iis partibus vel ætate illa non deerant; quare Sadoletus in Orat. ad Princ. Germ. postquam scripsisset, gravi, & intolerando dolore se se affici, & opprimi, quod ex Novatorum improbitate, studia veræ religionis apud magnam partem Germanorum obsoleverint, quod prostratis legibus, rerum discrimine sublato, remissis continentiæ frænis, omnia sibi libera, & soluta voluerint, indeque, quam obtinebant summam apud exteras nationes modestiæ, & religionis laudem, eam ipsam amiserint, de columnis illis ita subdit: *Quanquam ego hæc, quæ loquor, non universe de Germanis dicta esse volo, sunt enim & erunt in ista fortissima invictissimaque natione, qui sustineant veræ religionis caussam, qui tueantur morem majorum, qui a Deo & veritate se abduci non sinant.*

§. XIII.

Ad Epistolas

LXXXIV. LXXXV. LXXXVI.

SEMESTREM suam Carpentoracti commorationem POLUS absolvit Epistolis illis, quas Augusto, & Septembri datas in proximo §. recensuimus; quæ ergo in isto recensendæ occurrunt, Octobri datæ, eundem exhibent jam in Italiam reversum, atque in ædibus Giberti, Veronensis Antistitis, diversantem. Ejus discessum qua benevolentia, quo amoris studio prosequutus fuerit Sadoletus, non desunt hujus literæ, quæ declarant, nimirum ad Cardinalem Simonetam conscriptæ V. Cal. Octob. 1539. POLUS (inquit) *amplissimus vir, certe incredibili quadam virtute animi & sanctitate vitæ præstans, totus tibi deditus est, plurimamque tibi reddit salutem. Is in viam se daturus est hodie, aut cras, ut proficiscatur ad vos: cujus ego abeuntis desiderium non sine magna molestia perferam.* Leguntur istæ lib. XIV. Aliæ vero lib. XIII. ad Contarenum de eodem discessu, qui ante paucos dies contigerat, ita loquuntur: POLUS *noster, qui a nobis hinc discessit, ita magnum sui mihi reliquit desiderium, ut a cogitatione & dolore avocare animum non possim. Non solum enim benevolentia erga illum moveor, verum etiam indignissimæ illius fortunæ misericordia: quæ talem virum tam acerbe opprimit, ut omnino virtuti inimicam se offerre videatur. Sed*

certe

certe hos non illius tantum privatos, sed publicos Christianæ Reipublicæ casus, quos principes nostri tam lente ferunt, Deus sibi sumet & providendos, & vindicandos: atque utinam non jam cœpisset ulcisci.

Grato animo tam Polum, quam ejus socios Priolum, & Beccatellum officiis Sadoleti respondisse, præterquam quod plures literæ superius allatæ ostenderunt, id ipsum palam faciunt unæ ejusdem Beccatelli ad Cardinalem Contarenum in Vaticano Cod. exhibitæ post Poli illas, de quibus pag. ccxxxvii. In iis enim agitur de quodam Pauli Sadoleti negotio, & pro eo Contareni apud Pontificem opera postulatur: *Si obbligerà* (en Beccatelli verba) *questi Signori in perpetuo, ma ancho ne farà piacer singolarissimo a Monsig. Rmo Polo, & a M.r Alvise, & a me i quali tanto siamo obbligati alla cortesia loro, che non sò mai quando li potremo in parte remunerar, se V.S. Rma non ci ajuta a farlo, & maxime in questo loro importante bisogno.* Negotium illud obscuris hisce verbis in eadem Epistola adumbratur: *Tanto più è questo lor desiderio da esser exaudito, quanto al parer mio e molto justo & honesto, che mai non si disdirà, che sollevar un signor povero e dabene non sia santissima cosa, & maxime da un Papa, di quelle tasse & gravezze, che Dio sa come sono state imposte, & le quali usano a rimettere non che alli Cardinali, ma alli suoi tinellanti di Palazzo.* Quodnam, inquam, foret negotium illud, non ita clare patet. At aliud emolumenti genus ad ipsum Cardinalem Sadoletum ex

ejusdem Contareni humanitate obvenisse, intelligimus ex illius ad POLUM Epistola, rem aperte his verbis explicante: *Contarenus noster valde humane egit mecum, qui me voluit absentem nihilominus participem esse earum pecuniarum, quæ nostro ordini attributæ, distribui solitæ sunt duntaxat inter præsentes: quod ego profecto nec cogitavi unquam, nec postulavi; quo etiam illius benignitas erga me eminentior*. Laudat postea eximiam Contareni virtutem, apud quam, *Video* (inquit) *monitore nihil fuisse opus; per se enim ille propensus ad me juvandum, & omnibus beneficiis afficiendum assidue est*. Tandem sensum depromit Sadoletus animi sui magnitudine dignum, qui hujusmodi est: *Nam etsi mihi nullum emolumentum, nullaque utilitas ita est cordi, ut vel minimum velim de mea dignitate propterea deperdere: tamen habere hæc indicia amoris a summis viris, maximam ego arbitror esse dignitatem*. Dignitati illi suæ adeo studiose Sadoletus optimus cavebat, ne ulla vel levis labes adspergeretur, ut non dubitaverit, subsidium centenum aureum nummum, quod ei Pontifex ex fisco suo in menses singulos constituerat, etsi opportunissimum sibi certe, & necessarium donum, recusare; de qua re, ne notam duri, & agrestis animi incurreret, his verbis eundem affatus est in Epist. XII. lib. XII. *Rogo & deprecor Sanctitatem tuam mihi ut ignoscat. Non enim profecto aut perversitate ingenii, aut moris naturæve contumacia in id rusticitatis sum lapsus: sed quod diu ante statueram, meorum sacerdo-*
tio-

tiorum fructibus duntaxat vivere, nihil pecuniæ extraordinariæ capere, quodcunque, aut undecunque unquam mihi obvenisset. Itaque constantiam illius meæ sententiæ retinere volui. Paribus omnigenæ virtutis documentis si quis neget, seu Sadoleti, seu Contareni, seu Poli, seu etiam Bembi Epistolas (faciunt hæ omnes in Diatribis nostris utramque paginam) redundare, dicam profecto, eundem quid sit virtus propemodum nescire.

Venio nunc ad Epistolas hujus §. easque paucis recensebo, postquam tamen fidem liberavero, qua me p.CCXCIII. obstrinxi, inferendæ scilicet narrationis ex Epistola Poli ad Regem Eduardum, in hunc locum reservatæ, licet ad initium Carpentoractensis Poli commorationis pertineat: *Cum ex Hispania* (ita Polus in ea Epistola) *rediens, per provinciam Galliam iter facerem, paululum e via declinavi, ut speluncam illam, in arduo præruptoque Alpium jugo positam inviserem, ubi Magdalena plures annos, præteritis suis peccatis deflendis, vitam transegisse dicitur. Cumque inde ad templum venissem, in quo ejus caput asservatur, in ipso ingressu, Regis peccatis obruti recordatus, cui ad salutem animus pœnitens deesset, cum pro illo Deum, quam maxime possem, animo precarer, magnam vim lacrymarum profudi: quo in fletu cum illinc digressus, ad aliquot etiam passuum millia perseverarem, idque a comitibus esset animadversum, atque unus ex his, quo familiarius utebar, causam a me ejus luctus quæsisset, non modo eam exposui, sed etiam*

quid

quid toto illo itinere, mente, atque animo precatus essem, nempe me ad Patrem misericordiarum conversis oculis, id primum esse testatum, lacrymas illas non meas esse, (meæ enim si fuissent, me qui tot jam modis tam iniquis, tamque acerbis læsus essem, justum potius Dei judicium contra earum auctorem, quam misericordiam postulaturum fuisse) sed filii ejus lacrymas esse, qui, ut ait Apostolus, exauditus est pro sua reverentia, qui expers ipse omnis peccati, pro alienis peccatis oravit. Quid ad hæc Schelhornius, aliique POLUM Vatiniani, & novercalis odii adversus Henricum insimulantes? Eorum judicio aut falsa omnino narrasse dicendus erit, aut eas lacrymas non explendo, egerendoque dolori, sed crudeli illi, & atroci odio exsaturando fudisse.

Itaque POLUS Carpentoracti digressus, Veronam advenit, ut in ejus Vita traditur, in qua numerus XII. his verbis concluditur: *Ibi* (Carpentoracti) *sex menses commoratus est magna cum sui, & Sadoleti, ac populi illius voluptate; deinde revocatus a Pontifice, Veronam profectus est, qua in urbe, ejus permissu, aliquandiu cunctatus, summam amicissimi hominis Jo: Matthæi, ejus civitatis Episcopi, erga se humanitatem, atque hospitalitatem expertus est.* Non ita tamen diuturna fuit ea cunctatio, ac POLUS optaverat, speraveratque; quandoquidem Veronam ingressus medio mense Octobri, ineunte Decembri Romæ adfuit, etsi in prima ea urbe usque ad Christi Natalitia festa subsistendi facultatem jam a Pontifice impe-

petrasset, de qua testem ipsum habemus in prima ex tribus hujus §. Epistolis: *Alli XV.* (scribit ipse ad Contarenum) *giunsi in Verona sano & salvo con la compagnia, ove trovai le lettere di V.S. Rm̃a del primo di Ottobre, le quali mi hanno portato quella gratissima nova della licenza mi da N.S. che io possa soprastar qui sino a Natale, la quale quanto mi sia stata cara lascio pensar a V. S. Rm̃a.* Data est die 17. Octobris. Et post biduum alteram conscripsit ad eundem, in qua veluti exultat ob eandem facultatem sibi impertitam: *Quare* (inquit) *quod tempus Nativitatis Christi ad fruendum hoc otio ejus Sanctitas præscribit, ita prorsus judico, si stellam ducem habuissem, ut domum ejus natalem invenirem, quam maxime quæro, non alio me hoc tempore, quam in hanc domum me conducturam, ubi magna cum spe vivam videndi, & fruendi hoc Rege Israel, non tantum in Nativitate, sed in Resurrectione, & Adscensione. Sed hujus rei deliberatio tota penes Regem esto.* De Episcopi ædibus loquitur, in quas, licet antea mansioni suæ destinasset Alborum Monachorum Cœnobium, quod illas a Principe Urbinate occupatas reperisset, cito tamen secessit, liberum locum nactus ex ejus Principis discessu. Subditque, nullum esse Monasterium, quod cum ea domo conferri possit: *In quo* (inquit) *ipse dux totus in Deum incumbens & pietatis studio ardens, idque non verbis tantum, quantum operibus declarans, reliquos omnes suos, tanquam adolescentulas sponsum sequentes eodem trahere videtur.* Hæc Po-

Polus in Epiſtola data die 19. Octobr. At die 25. ejuſdem menſis tertiam ad Contarenum pariter exaravit, valde triſtis ob literas, quas a Bartholomæo Stella acceperat. En ejus verba: *M.r Bartolomeo nostro importunamente con lettere di XVII. mi turbo' ogni coſa, ſcrivendomi come M.r Durante li ha detto che faria meglio a venir a Roma di longo, & coſa più grata a Sua S. Io ſono reſtato attonito da queſta coſa, la qual tanto mi moleſta, quanto mi conſolò la nova di reſtare.* Contarenum igitur enixe precatur, ut ipſe una cum Cardinali Farneſio a Pontifice obtinere ſatagant, ne impetrata jam gratia mulctaretur. Addit, non Farneſio tantum de ea re a ſe ſcribi, ſed curaſſe etiam ut ſcribatur a *M.r Marcello, col quale V.S. R.ma potrà parlare, parendoli che ſia per eſſer a propoſito.*

Marcelli nomine hic a Polo deſignari Marcellum Cervinum, præſtantiſſimum paulo poſt Cardinalem, ac demum Pontificem Maximum, nullus dubito. De hujus Vita, Geſtis, & Moribus diligentem & eruditum nuperrime in lucem edidit Vir Cl. Petrus Pollidorus, Frentanus, Commentarium, cujus num. XI. docemur, eundem eo tempore præfectum fuiſſe a Pontifice educationi Cardinalium Alexandri, & Raynutii, Pauli III. Nepotum, & num. XII. eum Pontificem dicere ſolitum fuiſſe: *Se tanto inſtitutore Nepotibus cumulate conſuluiſſe; nec dubitare, ſi eum magiſtrum, & ducem ſequerentur, quin utiliſſimi Apoſtolicæ Sedi, ac Romanæ Eccleſiæ eva-*

evaderent, quod sibi quoque futurum decori, & inter molestissimas Summi Sacerdotis curas levamento. Idem Marcellus Alexandrum Farnesium in utraque Legatione, quam an. 1539. gessit, in Hispania scilicet ad Cæsarem, de qua superius locuti sumus, & deinde in Belgio ad eundem, eo ex Hispania per Galliam proficiscentem comitatus, ut (ait Pollidorus) una cum aliis Viris eximiis Adolescenti adesset, primasque post Legatum obiret partes. Profecto inter præclarissima Pauli III. Gesta, ea cura recenseri debet, qua diligentissime studuit, ut Nepotes sui potius ex summa virtute, quam ex summa fortuna commendarentur, hujusque rei certissimo documento est demandata eorundem institutio viris omnium virtutum, omnium literarum cultu excellentissimis. Quare ex illorum familia, quasi ex Ecclesiasticæ sapientiæ Academia, Episcopos, Cardinales, imo & Pontifices prodiisse, testati sunt Auctores in Ciaconii Opere laudati, iique inter eos Cardinales, quos ea familia protulit, magna cum laude memorarunt, præter Cervinum, Nicolaum Ardinghellum, &Bernardinum Maffæum. Sed nullus (quod ego quidem sciam) ex Auctoribus illis adnotavit, Joannem Petrum de Grassis, Bononiensem, Antistitem Viterbiensem, omnium primum fuisse inter illos, quibus Paulus III. regendam, optimisque disciplinis imbuendam Nepotum adolescentiam commisit. Id tamen certo constat ex binis Epistolis, quæ Epistolar. Sadoleti lib. IX. leguntur, unæ scilicet Grassi

ad Sadoletum, alteræ Sadoleti ad Grassum. Hic in provincia, quam humeris suis Pontificis voluntas imposuerat, amice advocat Sadoletum in partem suæ illius sollicitudinis, eundem hortatus, ut, quod semel jam fecerat, literis suis Cardinalem Alexandrum ad summum virtutis amorem inflammare pergeret. Eas Sadoleti literas in §. I. laudandi occasionem mihi præbuit POLI ad Sfortiam, alium Pontificis Nepotem, gratulatio; ipsarum autem placet hic exordium recitare, ut magis, magisque comperiatur, perperam in invidiam vocari Pauli III. existimationem, ob Nepotes illos, ætate adhuc tenera, Romana Purpura donatos: *Quo tempore* (inquit) *primum de tuo bonore amplissimaque dignitate nuntius ex urbe ad nos buc pervenit, etsi statim cogitans existimare cœpi, te, quanquam ætate adhuc esses adolescens, indole tamen virtutis, & commendatione ingenii dignum babitum esse, cui tantus bonos jure committeretur: tamen quominus festinarem dare ad te literas, tuæque & præsenti, & speratæ amplitudini gratulari, illa res effecit, quod neque naturæ meæ, nec instituti unquam fuit, ita accurrere ad laudem, & ad gratulationem, ut fortunam magis, quam judicium secutus viderer*. Postquam autem elapso jam anno ex plurimorum literis, ac nuntiis, & constanti omnium voce ea de optimis, liberalissimisque Alexandri moribus Sadoletus comperisset, unde ipsi constaret, gratulationem suam non ad incertam spem, sed ad firmam, & fundatam de eodem opinionem certo directum iri: *Gratulor*

(in-

(inquit) *tibi, & ex animo gratulor, quod tum honore isto, quo es affectus, tum etiam spe, quam de te eximiam summæ virtutis præbes, magnum in te præsidium simul, & ornamentum, cum ætas nostra habitura esse videatur, tum Christiana universa Respublica.* Honorem in eos adolescentes collatum, paribus ac Sadoletus sensibus, gratulari non refugerunt, ut occasio tulit, Polus, Contarenus, & Bembus, qui omnes, quoniam (ut de uno ex ipsis affirmavit Paulus Manutius) vixerunt, quantus eis vitæ cursus fuit, in virtute toti, eorum propterea testimonia nemo erit, qui per se se satis esse non putet ad Paulum ab ea invidia liberandum. Itaque miror, ad eadem Pallavicinum in Hist. Conc. non animadvertisse, imo vero Sarpio, Pontificem eo nomine carpenti, manus quodammodo dedisse, his verbis usum lib. III. cap. XVII. *Non perche Paolo III. si lasciò trarre ad un eccesso di tenerezza verso il suo sangue, togliesi che non fosse nel resto zelator della Religione, secondo che appare da tutto il corso del suo Pontificato. Si come da un atto virtuoso non ben s'inferiscono tutte le virtù, così da un atto diffettuoso non ben s'escludono tutte. E quel diffetto di Paolo è cotanto umano, che non si noteria per diffetto in verun altro Principato, che non habbia del soprumano.* Æquior ea in re erga Paulum Natalis Alexander, qui de tribus Nepotibus ad Purpuram evectis ita loquitur, *quos præclara animi dotes & egregia merita non temere adlectos comprobarunt.*

Eorum meritorum, ex quibus iidem post adeptam amplissimam dignitatem concordi omnium voce celebrati sunt, illud certe potissimum censeri debet, quod Collegas in eo Ordine præstantissimos sibi a Pontifice dari enixe curaverint, quodque illos postea omni officiorum genere prosequi nunquam omiserint. Unum tam præclaræ laudis testem afferam Bembum, cujus scilicet testimonio de POLI Romam adventu finis huic §. imponetur. Tres extant lib. VI. Familiar. ab illo ad Farnesium datæ Epistolæ, omnesque fidem faciunt, hunc non patronum tantum, sed propugnatorem Bembi fuisse, quippe qui maximorum, & clarissimorum hominum auctoritatem (sic ipse loquitur in una ex ipsis) se apud Avum, Nepotemque impugnantium, neglexerit, prudentiaque sua eorum consilium represserit. Testimonium autem Bembi de POLI ad Urbem accessu legitur lib. III. in Epistola data ad Sadoletum, atque hujusmodi est: *Collega noster POLUS heri ad urbem rediit, quem virum non tu quidem plus tuis in literis laudas, atque in cælum fers, quam ille tulerit te in eo sermone, quem, cum apud Contarenum cœnaremus, mecum, & cum illo multum de te habuit. Qua in cœna si affuisses, quis me esset fortunatior?* Horum hominum cœnas Platonis illis, quas Timotheus dixit non modo in præsentia, sed in posterum quoque diem fuisse jucundas, æquiparari potuisse nullus erit qui dubitet.

§. UL-

§. ULTIMUS.

Ad Epistolas

LXXXVII. LXXXVIII.

BINÆ Epistolæ istæ, etsi ad Carpentoractense Poli domicilium, unde ipsum proxime præcedens §. Veronam deduxit, pertineant, postremum tamen nactæ sunt locum tam in lucubratione hac nostra, quam in Collectione, quoniam suo, quem scilicet temporis series poposcisset, assignatæ, parum opportunæ narratarum in aliis superioribus Epistolis rerum ordinem abrupissent. Complectuntur autem Poli ad Bembum, in sacrum Cardinalium Ordinem cooptatum, amplam gratulationem, & Bembi ad hanc officiosissimum responsum, quod editum extat inter hujus Epistolas Familiar. lib. V. Verba quibus ante binos & amplius annos usus fuerat Bembus, Polo eandem dignitatem gratulatus, *Tu vero longe ornatior, atque illustrior factus, non Italiam modo, sed Britanniam etiam tuam, atque ipsum cœli verticem tuarum laudum splendore fac impleas*, jam diximus in §. I. Polum in Epistola, de qua modo agimus, ita accepisse, ceu ipsum hortarentur, ac monerent; a vice tamen Bembo rependenda eundem abstinuisse, quod affirmaret, quæ Bembum senem decuerant, se juvenem decere minime posse. Bembi excusationem juvat hic ipsismet ejusdem verbis repræsentare: *Hic profecto est non tam hortandi, aut monendi,*

di, quam laudandi, orationis quidam color, lusufque magna, atque præclara de eo ad quem fcribimus fperantis, atque pollicentis. Itaque laudavi te verius, non monui, ut mihi fane videor: volui quidem certe. Nihil verius, quam POLI, etiam adolefcentis, virtutum fincerum laudatorem fuiffe Bembum, quod plane conftat ex omnibus ejus libri Epiftolis ad eundem exaratis, & in fuperioris Voluminis Collectione in medium adductis. In earum poftrema, quæ hujus loci eft, ita loquitur: *Ego vero*, POLE, *te magnopere lætatum effe ifto de Cardinalatu meo nuncio, ut fcribis, fane puto. Habebis enim pofthac tu quidem me non laudatorem modo tuarum virtutum longinquis in locis, ut adbuc poft tuam ad Urbem profectionem habuifti, fed in Collegio & factorum pulcberrimorum teftem, & optimorum confiliorum focium, a quo ea omnia erga te officia & ftudia expectanda tibi fint, quæ a germano fratre tuo, fi is collega tibi effet, confideres profectura. Neque enim committam, ut a quoquam in te amando vincar. Reliquis in rebus fortaffe vinci potero ab iis, in quibus plus inerit ad eas res conficiendas facultatis. Voluntas erga te quidem mea erit ejufmodi, ut ab uno Sadoleto fe æquari patiatur, fuperari, ne ab illo quidem fit paffura, quicum te Carpentoracte nunc effe, valde gaudeo: neque vereor quin & itinerum fufpectiffimorum, & curarum maximarum recentes labores tui, ifto in otio doctiffimi amantiffimique hominis convictus compenfatione fuaviffime leniantur.* Datæ funt hæ literæ XI. Cal. Jun. 1539. Patavio.

Ma-

Maximis ubique plausibus quum exceptus fuisset Cardinalatus honor Bembo attributus, nil fere mirum, si in eosdem etiam eruperit lingua, cætera insigniter nocens, Petri Aretini, quod aperte dignoscitur ex Epistola, quam iste Paulo III. conscripsit die 21. April. 1539. Ibi totus est in Pontifice illo commendando, at in eodem nihil magis extollens, quam curam in iis Cardinalibus renunciandis, qui Christianæ Reip. tecta, columnarum instar sustinerent, his verbis declarat, quæ ad ejus Pontificis laudem faciunt, ob eorum, & Bembi præsertim cooptationem: *Gli altri Pastori creano Cardinali Reverendissimi, & voi create Vicari di Christo, e ciò verificarebbe il lungo andare, caso che vivessero secondo il dovere delle virtù loro, & il bisognio della fede nostra. Veramente si come essi non potevano nascere in tempo piu opportuno, ne a i giorni di miglior Papa; cosi voi non potevate dispensare le degnità sacrosante in piu necessaria occasione, ne in piu giuste creature, & è chiaro, che l'heresia gravida del seme sparto dalla malitia Lutherana, o che disperderà il concilio, o che le dottrine di tali'Io annullaranno, partorendolo. Intanto Italia, Spagnia, e Francia, da che havete saputo fare del Collegio di Pietro il Bembo, huomo nobile, e di civile eccellenza, se ne congratula con voi, non altrimenti, che del suo haver merito d'esserne, se ne habbia rallegrato con seco. Io che mi taccio la innocentia, la modestia, la integrità, la sapientia, l'honestade, e la santimonia di lui, acciò, che la fama sempiterna ministra della*

della sua gloria non mi noti di presuntione, dirò solamente, che sì chiara persona ha dato mille anime al Paradiso, con l'havere transferito in questa città catholica, & vostra divota il tanto humile, quanto buono fra Bernardino da Siena. Quod spectat ad Bernardinum hunc, Ochinum scilicet, Venetias a Bembo vocatum, plures quæ extant Italicæ hujus literæ Vol.IV. P. I. ad Victoriam Columnam, Principem Piscariæ, sat palam vel solæ demonstrant, toto cælo errare quotquot singulares virtutes, quibus iste excelluit, a Christiana pietate disjungunt. Quum passim enim tota ea Urbe percrebesceret sermo de illo ad Cardinalatum evehendo, suis in literis pios de ea re admodum sensus, quos eidem Bernardino aperuerat, Victoriæ ita explicavit: *Non mi pento tuttavia di questo mio picciolo & basso stato; se non in quanto io a N.S Dio non serva, come deverei. Ma cio nell'animo mio sta, non nella mia fortuna: & posso a sua Maestà servire così in questo stato, come in altro. Ragiono con Vostra Signoria come ho ragionato questa mattina col Rever. Padre Frate Bernardino, a cui ho aperto tutto il cuore & pensier mio, come harei aperto dinanzi a Giesu Christo, a cui stimo lui essere gratissimo & carissimo; ne a me pare haver giamai parlato col più santo huomo di lui.* At sciat Lector velim, dum Bernardini illius sanctitate ita se captum profitebatur Bembus, imo universa Veneta urbs, nondum illum levitatem suam, inconstantiamque patefecisse, qua, post tempus illud, in transversum actus, agni veste deposita, squamosus dra-

draco comparuit. Equidem elapſo jam a concionibus illis Venetiis habitis triennio, Veronæ honorifice exceptus fuit a Giberto Epiſcopo, cui proinde hominis fraudes nondum innotuiſſe oportet; Verona Bononiam acceſſit commendatitiis ejuſdem Epiſcopi ad Ludovicum Beccatellum, Cardinalis Gaſparis Contareni, ejus Urbis Legati, perfamiliarem, munitus; at ejus Cardinalis, quem gravi morbo conflictatum reperit, ſuaſionibus de Romano itinere ſuſcipiendo, ut in alma Urbe judicio ſe ſiſteret, coramque defenderet, quæ ipſi objiciebantur, ſibi parendum minime ratus, præter omnium exiſtimationem ſacro habitu ejus Ordinis, cujus non quidem Inſtitutor fuit, ſed Præfectus Generalis, dimiſſo, Genevam contendit, acerrimuſque hæreſeos patronus fuit. Hæc referuntur in Giberti Vita ad an. 1542. a Veronenſibus ejus Operum, non uno loco ſuperius laudatis, Editoribus; nec diverſi abeunt Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. Wadingus, ſeu ejus Continuator, in Annal. Ord. Minor. & Boverius in Annal. Capuccinor. at nemo accuratius res Ochini digeſſit Joanne Antonio Gratiano in Vita Cardinalis Commendoni; quod autem ſpectat ad illius cum Contareno congreſſum, Ludovico Beccatello, atque Joanne Caſa in Vita ejuſdem Contareni; quod tandem ſpectat ad conciones Venetas, Bembo, & Aretino in Epiſtolis, de quibus paulo ante, & quarum occaſione de Ochino iſta tradidimus. Omnia iſta latuiſſe Joſephum Silos in Hiſtor. Clericor. Regu-

 lar.

lar. etsi iste certiora, quam alii, de Ochino comperisse censendus foret, quod ejusdem errores a suis, omnium primis, præsertim a S. Cajetano Thienæo, & a Vener. Dei servo Joanne Marinonio detectos fuisse glorietur, valde mirandum esse nemo non videt. Non alia siquidem ipse Ochini in Italia gesta agnovisse videtur, quam ea, quæ in Neapolitana Urbe contigerunt, imo vero quod eum an. 1539. in principe ejusdem templo verni Jejunii tempore concionatoris munus obiisse refert, id utique Bembi, & Aretini literis apertissime refragatur, quemadmodum Casæ, Beccatello, & Gratiano refragatur fuga, quam trans Alpes ab eodem arreptam enarrat ex eadem Urbe.

Tandem ad Bembum revertens, Christianæ illius virtutis exemplo, quod tam ipse, quam alii Cardinales ea ætate exhibuerunt, magna dignitate majorem animum præseferentes, Diatribæ huic finem imponam, ejusdem instituto maximopere accommodatum. Porro, Bembo etiam tacente, adeo Sadoletus pro certo habuit, dignitatis amplificationem nullo pacto illi gratam, jucundamque accidere potuisse, ut eidem gratulationis officium post aliquot tantum menses ob persuasionem illam persolverit, imo ab omni cum ipso literarum commercio cessans, anceps manserit, quo potissimum argumento ad ipsum scribens uteretur. Hujusce rei fidem facit ejusdem Epist. XX. lib. XII. ad Bembum jam Cardinalem; & ex hujus responso discimus, novæ dignitatis insignia

gnia non mœrorem tantum, sed & religionem injecisse, perinde ac si iis sumptis piaculum admisisset: *Sic enim* (inquit) *se res habet, ut sæpius peccasse me existimem, qui meum pristinum vivendi morem, libertatemque abjecerim*. Revocat postea in mentem Sadoleto, quam & ipse perturbatus fuerit, dum videret, Ordinem, in quem fuerat cooptatus, jucundissimis illis, & suavissimis prioris vitæ studiis impedimento potius, quam ulli usui esse futurum. Eadem prorsus de imposito sibi Cardinalatu sensisse Contarenum, POLUM, Fregosium tam certis documentis constat, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Eos tantum nominavi, quos, ceu maxima inter se amicitia conjunctos, Sadoleti Epistola ad Fregosium, quæ paulo ante citatam ad Bembum proxime subsequitur, in unum pariter conjunctos repræsentat. Nihil autem frequentius in tota hac Diatriba inculcavi, quam magnos istos Viros, omnique præditos virtutis, & religionis studio, integerrimos, ornatissimosque Cardinales, maxima animorum concordia de Rep. optime sentientes, eos profecto fuisse, quos oportebat ut Heterodoxi, si & ipsi ad ejusdem Reip. bonum sincere spectassent, consiliorum suorum non tam comites, quam duces haberent, eoque magis quod a Pauli III. Pontificis benignitate omnia æquitatis, pietatis, ac benevolentiæ studia jure & merito possent expectare, dummodo æquitatem animi ex se attulissent. De hoc argumento amantissime scriptam ad Germaniæ Principes

a Sadoleto Orationem superius laudavi, & in ea valde ad rem nostram faciunt præsertim loca quædam, quæ statim recito. Non una tantum vice ultro Lutheranis concedit in ea Oratione integerrimus ille Cardinalis, multa in Urbe Roma esse, quæ minus recte fiunt, ac propterea non inficiatur multa esse a vetere curriculo innocentiæ in Sacerdotibus non mediocriter deflexa, quæ correctionis indigeant; at subdit, arduam valde rem esse, mores eos, qui inveteraverunt, repente velle vertere, & commutare, idque ostendit trium in primis Romanorum Pontificum exemplo, nimirum Clementis V. qui Viennæ, Gregorii XI. qui Avenione, Pii II. qui Mantuæ, leges de Sacerdotum moribus in meliorem cultum restituendis, aut renovarunt veteres, aut novas constituerunt, quæ tamen, ipsis etiam auctoribus tunc viventibus, observari sunt desitæ. Quare ita concludit: *Confitemur nosmetipsi & concedimus aliqua fieri in hac urbe, quæ merito reprehendenda sint, non pauciora tamen esse affirmamus, quæ summe sint laudanda: nusquam enim charitas, nusquam amicitiæ & familiaritatis fides, nusquam in egentes misericordia, neque sanctius colitur, neque majore studio curave exercetur. Ipsa vero erga Deum pietas ac religio hic maxime sancta & semper syncera est. Sunt quidem vitia his intermixta permulta, quod necesse est, ex omnium pene gentium conventu conflata hac civitate. Sed tamen in turba & colluvione vitiorum, multorum eximiæ virtutes elucescunt, quibus æquum profecto fuit parci ab iis,* qui

qui omnes & omnia in crimen atque in invidiam uno nomine vocant. Quoniam vero ad ea Sacerdotum, & Romanæ Curiæ vitia Adversarii semper revertebantur, occasionem inde captantes omnia pervertendi, prætextumque facinoribus suis ex aliorum facinoribus sumentes, eosdem iterum in hunc modum ille repellit: *Ego sacerdotium non exigua ex parte his temporibus contaminatum esse fateor, & Romana vitia non probo: sed ea tamen ad curandum dico esse faciliora, quam iniquitatem eorum, qui, ut hominibus detrahant, ipsa etiam divina inviolata esse non sinunt. Etenim huic sacerdotum morbo quæ est adhuc a vobis allata medecina? qui si reprehensores vos morum & correctores vitæ sacerdotibus esse profitebamini, debebatis sane ipsi sine reprehensione esse. Nunc neque a vobis ullam in partem adjuti & sublevati sumus, & quæ manebant adhuc in Germaniæ populis virtutes, humanitas, patientia, modestia, quibus quidem virtutibus cum religione conjunctis, vel maxime datum est rapere cælum & possidere, hæ multis per vos, aut ereptæ penitus, aut certe magna ex parte turbatæ & labefactatæ sunt.* Insuper eosdem Adversarios redarguens, quod in Catholicos quotidie probrosos libellos spargerent, de iisdem invidiosas conciones haberent, leges sanctissimas ea una de causa, quod illæ per Romanos Pontifices sint conditæ, easdem hominum libertati inimicas vociferarentur, quod vulgus tantum ad iram, & odium Catholicorum inflammarent, ab ipsis quærit, num ita se gererent ex Evangelio instituti,

tuti, doctique; num ablata ex Evangelio charitate, se tamen non Evangelio contrarios proderent, sed Evangelicos rite possent appellare. Suam autem illam Orationem absolvit Sadoletus instituta Romanæ Sedis ad Germanos Apostrophe, qua nihil ad excitandam, commovendamque erga se eorundem pietatem efficacius. Ejus hoc est exordium: *Ego vos, Germani, cum ab initio Christiani nominis atque generis, viderem a vero Deo aversos, falsis obsequi Diis, & cultum illis vestrum impendere, eamque rem vobis exitio & perpetuæ damnationi esse animadverterem, maximam cepi curam, ut ad veritatem & ad salutem vos ipsi reciperetis. Quo per Dei omnipotentis gratiam nostra assiduitate & industria, munere profecto, altera nostra fuit cura, ut rationem vitæ bene traducendæ in optimis moribus & sanctis legibus teneretis. Quibus dum estis obsecuti, vestra imprimis laus, & Germanici nominis gloria, inter omnes populos & nationes floruit. Eadem ego deinde, cum omnem meam spem stabiliendæ ornandæque Christianæ Reipublicæ in vobis & in virtute vestra reposuissem, qui potuit summus in terris haberi honor, eum vobis potissimum habendum curavi, Romanique imperii potestatem, & præstantissimam terrenis in rebus auctoritatem, in vestro genere locare & constituere non dubitavi. Quo ex bonore maximo atque amplissimo plurimi deinde inter vos honores & dignitatum gradus, orti & distributi sunt. Quid amplius potui pro vobis efficere, quam feci? quæ & aditum vobis in cælum, & orbis terræ principatum lar-*

largita sum, complura præterea, procedentibus sæculis, in vos a me beneficia, & privatim, & publice, profecta sunt, pro quibus profecto non commerui, ut hæc tam mala gratia mihi referretur.

Tandem ut Diatribam claudam ea recitabo, quæ Sadoletus de Polo, dum adhuc apud se esset, ad Bembum exaravit in Epistola, de qua supra. Dolens, se Romæ minime adfuturum, quo tempore Bembum eo profecturum esse sibi nunciatum fuerat, affirmansque, hanc animi ægritudinem eis a se lenitum iri remediis, quæ ex optimarum artium studiis multa, nec injucunda sibi suppetebant, postea subjungit: *Quanquam quod ad suavitatem amicitiæ & familiaritatis attinet, multorum mihi amicorum vicem præstat vir clarissimus* Polus, *qui apud nos complures jam est menses: quo homine, cave, mi Bembe, quenquam existimes aut dulciorem in congressibus, aut fideliorem in consiliis, aut sanctiorem in omni parte vitæ optimisque moribus existere: præterea summæ ipsum doctrinæ, summique judicii. Sed quid ago? tibine ego eum laudo, qui tibi ipsi melius notus est, quam mihi?* Suavitas amicitiæ, & familiaritatis, de qua in uno Polo multorum amicorum vicem sibi præstari Sadoletus scribit, quam arcta necessitudine ambos primo inter se, deinde eosdem cum aliquot aliis spectatissimæ virtutis Collegis conjunxerit, ex quamplurimis ejus ævi Epistolis constat. Itaque præclara admodum (ut ibi desinat Diatriba hæc mea unde incepit) Pauli III. laus fuit, qui in Apostolicum Senatum ad-

adſcivit Viros egregios, quibus nihil foret conjunctius ad curandas Catholicæ Eccleſiæ utilitates, quarum præſertim gratia eam ipſi familiaritatem inſtituerant, colebantque. Tanta autem fuit Pontificis illius, nunquam ſatis laudati, in deligendis hominibus eo inter ſe fœdere vinctis induſtria, ut ea præſertim de cauſa immortalem ille gloriam concordi omnium judicio nomini ſuo comparaverit. Quare de eo Pallavicinus lib. III. cap. 17. ita loquitur: *Delle ſue Creature quattro ſenza interruzione empierono per dieci otto anni la prima ſedia, & oltre a queſti i più eminenti huomini di quell'età per virtù e per dottrina furono conſtituiti da lui nel ſupremo Senato*. Concinunt ita ſcribenti Pallavicino innumeri de ea re teſtes, quorum plures in utraque Diatriba laudavi, & quorum omnium agmen agere cenſendus eſt, *magnique ipſe agminis inſtar*, Lazarus Bonamicus elogio iſto alibi recitato, at nunquam ſatis iterando: *Sapientiſſimi, innocentiſſimi, clariſſimi, & ſumma auctoritate præditi viri, evocati, rogati, facti ſunt Cardinales. O præclara Comitia! O bis difficillimis temporibus neceſſaria! O Pauli III. ſapientiam, & bonitatem ſingularem!*

FINIS DIATRIBÆ.



MO-

MONUMENTA
PRÆLIMINARIA
HUJUS VOLUMINIS.

PAULI III.

LITERÆ OCTO IN FORMA BREVIS

Editæ ex Archivo Vaticano in Annalib. Ecclesiast. Odor. Raynaldi T. XXI. P. I. ad an. 1537.

Paulus III. ad Episcopos Anglos, ac Proceres Catholicos illius Regni &c.

DIlectissimi filii Angliæ Populi, qui semper nobilis portio Christianitatis in cultu veræ fidei, & præcipua S. R. E. obedientia fuerunt, quique his paucis annis non volentes, sed ut exitus declaravit (coacti) a fide, & obedientia prædictis desciverunt, nuper pœnitentiam facto, & suam voluntatem pariter ostenderunt armis pro sancta religione, & veteri ejus observantia sumptis, quorum nos, sicut aberratione dolueramus, ita reversione maxime lætati, non cunctandum nobis existimavimus in eis benigne recipiendis &c. (*Et infra*) Hortamur igitur Fraternitates, Nobilitates, & Devotiones vestras in Domino, & omnium studia charitatis requirimus, ut eundem Cardinalem Legatum pro vestra in Deum, & hanc Sanctam Sedem reverentia, proque ipsius Card. Legati eximia nobilitate, singulari doctrina, excellentique probitate, honorifice suscipientes &c. (*Et infra*) In exequendis mandatis nostris, quæ a pietate profecta ad Dei laudem, & publicam utilitatem diriguntur, opem, operam, consilium, & auxilium vestrum benigne præstare velitis, &c.

Paulus III. Regi Scotiæ &c.

CHarissime, &c. Cum dilecti filii Angliæ Populi, qui Deo obedire magis quam hominibus, & in vero fidei cultu tot sæculis ab universali Ecclesia, & cuncta Christianitate observato, manere cupiunt, nostram sollicitudinem, & curam merito provocent, cum nostro, & omnium bonorum favore digni sint, mittimus eo Dilectum filium Re-

ginaldum Polum S. R. E. Cardinalem ex ipsa Anglia summo genere, sicut te scire credimus, ortum, omnique laude præstantem, qui noster, & Apostolicæ Sedis Legatus in propinquo agens omnia curet, atque agat, quæ ad eorum pietatem confovendam, retinendam, tranquillandamque pertineant. In transitu autem ejus per Galliam voluimus eum adire Majestatem Christianissimi Regis Soceri tui, eique cum salutem Populorum eorumdem commendare, tum etiam pacem cum Cæsarea Majestate suadere, ut generale Concilium celebrari, hæreses tolli, Ecclesia reformari, Turcæ Nobis jamjam imminentes repelli, multaque ad commune totius Christianitatis bonum pertinentia constitui possint. Quod autem in his omnibus, præcipueque in juvandis illis Populis, tibi propinquis, magnam post eumdem Christianissimum Regem in Tua Majestate spem collocamus, quippe quam egregia pietate animatam, omneque commercium, cum aberrantibus a vera fide semper aversatam novimus, ipsi Cardinali Legato mandavimus, ut Majestate Tua prius nostro nomine officiose, ac paterne salutata, cuncta nostra consilia cum ea communicaret, quæ nihil aliud respiciunt, quam ut specialiter eorumdem Populorum saluti, & quieti, generali vero omnium Christianorum securitati consulamus, quæ nobis cum Majestate Tua ut cum præstantissimo Rege, & omnibus Christianis Principibus communis est. Itaque qnod idem Cardinalis Legatus cum Tua Majestate nostro nomine uberius acturus est, nos etiam a te cum præsentibus omni studio, & amore per Jesum Dominum petimus, ut Nobis, & Romanæ Ecclesiæ in pietate dictorum Populorum fovenda, ac retinenda auxilio esse, Deique causam juvare tu in primis velis, cui occasio id faciendi propinquior, & commodior, voluntas autem Deo obsequendi eadem est, quæ Nostra: & ut cumulum obsequii tui apud Deum Omnipotentem magis augeas, velis etiam idipsum, ac præterea sanctissimam pacem, a qua omnis salus Christianorum hoc tempore dependet, nobiscum apud eumdem tuum Socerum curare, qua actione nullam

Deo

Deo acceptiorem hoc tempore præstare potes. Sed cum hæc plenius, & particularius idem Cardinalis Legatus Tuæ Majestati sit explicaturus, ad ejus sermonem nos referentes, eum a Tua Majestate honorifice, atque humane suscipi, cum fide audiri, Tuamque Majestatem a Deo Omnipotente omni felicitate cumulari optamus. *Dat. Romæ XV. Februar. MDXXXVII. Anno III.*

Paulus III. Regi Scotorum &c.

CHarissime, &c. Consueverunt Romani Pontifices in Sacratissima Nativitatis Domini nostri Jesu Christi nocte quotannis ensem cum pileo solemni cæremonia benedicere, & alicui Christianorum Principum dono mittere, quem hoc sacro munere ornent, & spirituali virtute adversus sanctæ Ecclesiæ, & Catholicæ fidei hostes muniant. Quod si quando antea, fili charissime, nunc maxime, cum tot hæreses sanctam Ecclesiam lacerant, per necessarium est. Cum vero nos exemplum nostrorum Prædecessorum sequuti, ipsum ensem cum pileo in proxima Natalis Dominici nocte benedixissemus, & ad quem potissimum mitteremus eos animo volueremus, Tua in primis Majestas nobis occurrit, quæ dignissima eo munere Nobis videretur: id enim ætati, & virtuti congruit tuæ, tum religioni animi tui debitum est, & hoc tempore aptissimum, cum (multum gaudentibus nobis) Christianissimi Regis pietati tua pietas etiam affinitate conjuncta est, & vicini tibi Regis impietas divina ultione concutitur. Ad te igitur, quem Catholicum Principem, & hujus Sanctæ Sedis devotissimum filium habemus, hunc ensem cum pileo, per dilectum filium Joannem Antonium Comitem de Campegio Camerarium nostrum præsentium latorem mittimus, Deum suppliciter deprecantes, ut tibi, qui tuum Regnum venenis vicinarum hæresum, quamvis sæpius sollicitatus, numquam inquinari passus es, felicitatem concedat, dextram ense firmet, caputque tuum hoc pileo vi Spiritus Sancti per Columbam figurati protegat ad tutelam Sanctæ Ecclesiæ, & Catholicæ fidei adver-

fuis eos, in quos Dei justitia, atque judicium, nunc præparantur. Tu igitur pro tua pietate hoc munus nostrum Christiano affectu, & devota veneratione suscipies, nec tam muneris qualitatem, quam mysterium, & vim spiritualem eius perpendes, ob quæ maximi quique Principes, semper se hoc munere a Sede Apostolica valde honestatos putaverunt, ficuti & te pro nostra in te benevolentia, tuaque in nos observantia, nunc existimaturum speramus. Ut autem ipsum debita cum cæremonia, sicut a nobis benedictum est, etiam Tuæ Serenitati tradatur, mandamus Venerabili Fratri Archiepiscopo Glasguensi, vel cuivis alteri Catholico Antistiti per te eligendo, ut solemni Missa in aliqua Ecclesia per te pariter eligenda, ab eo in tua præsentia celebrata, post ejus solemnia dictum ensem cum pileo Tuæ Majestati, & ex parte nostra assignet. *Datum Romæ XIX. Januar. MDXXXVII. Anno III.*

Paulus III. Regi Christianissimo &c.

CHarissime. Etsi officium suadendæ inter te, & Serenissimum Cæsarem pacis toties frustra tentavimus, tamen, ut illud nunc novis Legatis, & Nuntiis cum Majestate Tua repetamus, facit maxime appropinquatio verni temporis, in quo multa veremur ne accidant, ne vestra arma intus, Turcarum foris, Christianitatem conficiant, neve celebratio generalis Concilii, eodem tempore inchoanda, per hæc impediatur, hæresesque interim confirmentur, & alia Ecclesiæ vulnera incurata putrescant. Cum igitur reputaremus hæc, & ex Apostoli sententia opportune, importuneque instandum in tanta præsertim periculi magnitudine, & propinquitate, nec unquam a munere nobis injuncto cessandum nobis esse videremur, iterare, ac renovare suasiones nostras cum Tua Majestate voluimus, spe in Deo primum Omnipotente, quod nobis, id quod possumus sedulo agentibus sua misericordia non deerit, deinde in Majestatis Tuæ, pietate, animique magnitudine collocata, ipsa re & nomine Christianissima, salutem publicam suis

pri-

privatis affectibus, & rationibus anteponet, ficut ea dignum eft. His itaque curis merito anxij, cum mitteremus Dilectum filium Reginaldum Polum S. R. E. Cardinalem Angliæ nuncupatum Legatum Noftrum, & Apoftolicæ Sedis ad confirmandam illorum Angliæ populorum pietatem, qui in veræ, & Catholicæ Fidei cultu manere cupiunt, propterea que juvandi a nobis, & omnibus bonis funt, eum voluimus ad Majeftatem Tuam primum pervenire, ut & benignum Tuæ Majeftatis favorem illis populis, imo ipfi Deo, fanctæque Religioni, & Ecclefiæ noftro nomine peteret, & noftras fimul preces, & lacrymas, fuper pace ineunda, Concilio celebrando, hærefibus extirpandis, Chriftianis defendendis, quæ omnia ad Chriftianiffimum Regem pertinent, Majeftati Tuæ offerret. Te igitur, fili, per communem Dominum Jefum, cujus fancta Religio agitur, cujufve Populus facro Baptifmate ejus perfufus in fummum difcrimen adductus eft, rogamus, & obteftamur, ut te, & favorabilem ad juvandos veræ Religionis zelatores, & placabilem ad confilia pacis præbere velis, a qua hoc tempore cætera bona dependent. Sed cum hæc ipfa plenius, & particularius idem nofter Legatus Tuæ Majeftati fit explicaturus, erit folitæ erga omnes nos humanitatis tuæ ipfum Cardinalem Legatum eximia pietate, doctrina, nobilitate præftantem, atque ob id nuper a nobis in Cardinalium numerum relatum, valdeque dilectum, & probatum, benigne fufcipere, ejufque verbis in his, & aliis tibi Noftro nomine referendis fidem haud aliam femper habere, quam fi nos ipfi tecum prefentes colloqueremur. *Datum Romæ XV. Februarii MDXXXVII. Anno III.*

Paulus III. Reginæ Mariæ Gubernatrici Flandriæ

CHariffima, &c. Ut Populis Angliæ, quo favore poffumus, non defimus, caufamque Religionis Catholicæ dignitatis Apoftolicæ, veritatifque & juftitiæ non folum hic fcriptis, fed iftic etiam opere juvemus, & ut poft Deum Omnipotentem Sereniffimis Cæfari, & Regi Romanorum tuis

tuis Fratribus, Tuæque Majestati gratum faciamus, mittimus istuc Dilectum filium, & Legatum nostrum Reginaldum Polum Card. Angliæ nuncupatum, cum amplissimis mandatis, & facultatibus, sicut ex eo tua Majestas, & ex literis etiam Cæsarei apud nos Oratoris diffusius intelliget. Et nunc, filia in Christo charissima, nihil opus esse credimus te hortari, ut Legatum ipsum pro tali præsertim causa, quæ honorem fratrum tuorum, ac tuum nobiscum ita conjunctum habet, venientem honorifice, & benigne suscipias, juvesque efficaciter omni tua ope, & auxilio eum, quod etiam sine tali causa te facturam in favorem fidei, & justitiæ ex optimæ Reginæ officio speraremus, & justissime confidamus, accedente hac communi ratione juris, & dignitatis, te omni studio esse exequuturam. Cùm itaque nos omnia egerimus, et agamus, justitia quidem primum, et nostro pastorali officio, verum deinde etiam nostri honoris causa adducti, reliqua esse debent posita in vestra opera, exequutione, atque auxilio, ut Deo primum in salute tot animarum, receptioneque talis populi ad Ecclesiæ gremium, deinde justitiæ, & communi vestræ, nostræque dignitati piam operam dedicetis, &c. *Datum Romæ XV. Februarii MCXXXVII. Anno III.*

Paulus III. Cardinali Leodiensi.

DIlecte fili noster &c. Licet autem nos eidem Card. Legato (scilicet Polo) de pecunia ad ejus usum, & pro hac expeditione necessaria abunde providerimus, quia tamen ad illos populos consovendos (nempe Anglos) & conficiendam rem, ob diuturnitatem temporis, & locorum distantiam accidere posset, ut majori etiam pecunia indigeret, petimus a te, ut si eo casu ab eodem Cardinale requireris, ei illam pecuniæ summam subministres, quam a te petierit; nos enim hic tuo procuratori Benedicto Gentili Scriptori Apostolico, vel cui ordinaveris, cum bona fide quam primum restitui faciemus, nosque ad id & bona omnia nostra, Sedisque, & Cameræ Apostolicæ, ubique existentia, præsentia, & futura obliga-

gamus, idque tibi in verbo, & fide Romani Pontificis pollicemur, &c. *Datum Romæ XV. Februar. MDXXXVII. Anno III.*

Paulus III. Cardinali Polo.

DIlecte fili noster &c. Ad dolorem, quem capimus ob non sequutos eos, ad quos te miseramus, pios effectus, illud accedit, quod circumspectionem tuam frustra tot laboribus, & periculis objecimus. Verum sicut illuminat conscientia recte actorum, & laudanda etiam sine effectu pia voluntas, ita hoc tua pietas, & virtus nobis innuit, quod publica tantum causa dolens, nihil privatis periculis commotus es, sicut tuæ, ac Venerabilis Fratris Episcopi Veronensis literæ nobis testantur; quo etiam animo nos hic, fili, sumus, ut debemus, Deoque gratias agentes, omnia ejus judicio, & voluntati permittimus. Itaque cum te, & periculis eximere, atque tua opera, & consilio apud nos uti cupiamus, multaque sint hoc difficili tempore, in quibus tua prudentia plurimum nobis sit opportuna, te hortamur, tibique injungimus, ut receptis præsentibus, cum primo commode poteris, ad nos redeas, venturus nobis gratissimus. *Datum Romæ ultima Junii MDXXXVII. Anno III.*

Paulus III. Regi Romanorum &c.

REvocamus ad Nos Dilectum filium Reginaldum Card. Polum Legatum nostrum, Leodii, sicut Tua Majestas scit, nunc commorantem, ne is diutius in illis locis, sine fructu aliquo, & cum suæ salutis, quæ inimicorum insidiis continue appetita est, periculo versetur. Cumque nos, ut debemus, anxii valde, & solliciti simus, nequid eidem Cardinali in Germania noceatur, Majestatem Tuam rogamus, ut pro communi honore ad Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Coloniensem, ad quem nos etiam scribimus, omnesque alios, quorum per loca idem Cardinalis transiturus est, scribere, & mittere velis, efficacemque, cum illis operam dare, ut idem Cardinalis secure per Germaniam ad nos redire possit, &c. *Datum Romæ apud S. Marcum XXI. Julii MDXXXVII. Anno III.*

INSTRUZIONE,

Ovvero informazione sopra le cose d'Ingbilterra data dal CARDINAL *Polo a Papa Paolo III. quando vi fu destinato Legato. Da Codici MSS.*

PAdre Santo, se il servitio, al quale N.S. Dio mi facesse atto per servire Vostra Santità non consistesse in altro che in haver la preparatione de l'animo e determinatione di esponer la vita per quella, di questo era molto tempo fa in modo risoluto che i favori & grandissimi honori che quella s'è degnata sopra ogni merito, & aspectatione mia de farmi, non hanno operato in me altro augumento se non che conosco di dover far hora tutto per obligho quello, che prima faceva per mera elettione.

Però bisognando all'opera, che V. Sant. disegna valersi della persona mia per servirla meglio, altre circunstanze, e bisogni l'esporrò tutto quello che mi occorre remetendomi & nel publico & nel privato mio al sapientissimo giuditio & benignità di V. Sant. facendo questo memoriale più per obedirla, che per dubio che io abbia che di esso non sia per occorrere & quanto dirò & altro assai abondantamente.

E prima dovendo esser ogni nostro principio & fine il servitio di N.S. Dio, e di questa S. Sede Apostolica alla quale per sua gratia & con tanta laude, e sodisfattione de' buoni V. Sant è prefetra, ancorchè sia certissimo che ella non manchi nelle sue sante orationi raccommandare sempre a S. D. M. le sue operationi, pur la supplico tanto più ferventemente di questo in che le piacerà operarmi quanto che ci va con gli altri interessi quello della Patria mia, e di me medesimo per esser la via molto longa & io non habile per la qualità delle mie forze a far diligenza alcuna straordinaria.

Ricordaria reverentemente alla Santità Vostra, che facesse

cesse l'espedittione quanto più presto fosse possibile, perche non essendo se non a proposito che quella mi mandi in ogni evento sì per far quella opera che può in una causa simile, si per mostrar cognitione & corrispondenza alla virile & christiana dimostrazione che hanno quei popoli, & tanti degni huomini, se ben venisse cosa nuova dopo la mia partita per la qual V. Sant. avesse ad alterare la commissione, che mi fosse partito, si potrà sempre far per mezzo di lettere, & io me trovarò non haver persa l'occasione del caminare, essendo molto necessario che più tosto anticipi che posponga il tempo, al quale se fusse come si parla determinato di far qualche parlamento publico, avanti il quale saria bisogno havere spacio, e commodità di poterlo fare.

Facendo come fa santamente V. Sant. professione di neutrale e Padre commune de tutti, penso che sia bene che chi dipende da lei, & va per cose della Religione Christiana quanto possi si accommodi a questo verso, questo dico per la via che io avessi a fare per Francia, & per Alemagna. V. Sant. potrà considerar tutti i rispetti, & deliberare qual sarà la più sicura a fine di condurci dove se desidera senza intoppo ne dilation maggiore di quello porta il longo viaggio e bisogno di fare.

Et acciochè questo sia accettato dalla parte dell'Imperatore parimente come dal Christianissimo con quell'animo che V. Sant. si moverà a ordinarlo faccia chiamar ancora l'Ambasciatore de Sua Cesarea Maestà sicome ha fatto quello del Christianissimo e proponali la cosa di sorte che ne habbino da scrivere, e far rimanere sodisfatti i Principi loro, dicendogli ancora se così piace a S. Sant. che ella non vuol ommetter questa occasione che ha della persona mia di commettermi ancor quello che puotrà portare questa passata per quei luoghi di parlare di entrare de instare e pregare di pace e di esporre i pericoli della Christianità per le preparazioni Turchesche, & haver quella consideratione che si puotrà alli desordeni che sono per le heresie e parlare ancora del Concilio, & quando questo piaccia a

V. Sant. si degnarà farmi dare quelle informazioni che fossero necessarie, & commettermi quanto in ciascun articolo havrò a fare, che con l'ajuto de N. S. Dio mi sforzarò servar quella fede, & integrità che sono obligato a Dio, & a lei, & puotrò aver Brevi particolari sopra ciò, e scritture che fossero necessarie per Anglia, e prima la Bolla della legazione la quale non per conto privato ma per il servitio di V. Sant. e della causa perche si va, supplico che sia & di parole e di facoltà honorevoli, & ampla di sorte che da essa si conosca l'honore che lei fa a quella natione mandandole uno de suoi così innocentemente, & con tanta modestia fuor di quello che sarà il servicio suo, che con la gratia de Dio lasciano tanta edificatione queste gratie e facoltà che suol concedere questa Santa Sede, quanto per non parlar delli altri che non ho notitia, so, che ha generato scandalo chi l'ha usate al contrario di quel fine per lo quale solo si doveriano dare, & accettarsi in quello Regno.

E perche puotria occorrere di aversi ad adoperare o tutte o parte di queste facoltà in luoghi o per tutto il Regno dove io non mi puotesse trasferire e le persone non venir commodamente a trovarmi, il che saria ancor più difficile all'Hibernici, supplicarei a V. Sant. che si degnasse darmi facoltà de communicar le facoltà di tutto quello che giudicasse espediente al servitio suo, e benefitio delle anime a quelle persone dell'integrità e virtù delle quali puotessi promettere quello, che da medesimo, e si stendesse bisognando in Scotia e nei luoghi sudditi a quel Regno, perche me ne valerei dove sapessi, che fusse necessario a bene adoperarle.

Potria portare un Breve generale a tutto il Regno aperto di tal tenore che V. Sant. mostrasse di riconoscer l'animo loro e nondimeno avendo da essere pubblico il Re ne rimanesse più presto sodisfatto che con mala contentezza.

Et che doveva dir prima se si haverà a scriver al Re, Regina, & Principessa & della forma essa puotrà pensare, & commandare.

La

La ſomma di quello che ſi deſidera in Anglia giudico che ſia che il Re ritorni ogni coſa in quello ſtato che era avanti che faceſſe li deſordini che ha fatto, & che ſi comandi tutto quello che non ſi può comportare prima de Dogmi della fede, e Religione ſenza una minima diminuzione, poi di reſtituire l'obedienza, & l'auttorità ſolita in quel Regno e da ſe e da tutti, & eccleſiaſtici, & ſecolari nel modo che era prima, facendo & in fatti, & in parole, & in ogni dimoſtratione quelli ſegnali, & effetti che ſi puotran condurre a fare, & ſaltem che ſaranno neceſſarij a recuperar la gratia de Dio, e di V. Sant., & incorporatione de fedeli.

Piacerà a V. Sant. ordinare che mi ſia data una informatione di quello che era ſolita di communicar la Chieſa de Anglia con queſta Santa Sede, perche ſappiano, che, e quello, a che ſi devono ridurre & ancora della maniera con che ſi aveſſe ad accettare il Re alla penitenza, benche credo purche veniſſe quando non ſi poteſſe ridurre a tutto quello, a che più eſſo che gli altri doveria eſſer pronto che V.Sant. ſi contentaria di quel che ſi puoteſſe condurre purche non foſſe fuora delli termini del dovere.

Io ſpero che al buon animo che quei popoli hanno moſtrato verſo queſta Santa Sede, ſecondo che ſi dice, piu preſto ſia da ſperare augumento di devotione, & riverenza verſo eſſa che diminutione & che quando ſi trovaſſe difficoltà il mio uffitio ſaria non reſolver coſa alcuna ſenza communicatione della Sant. V. Nondimeno perche puotria occorrere, che voleſſero fare qualche alteratione di quella uſanza & neceſſità, che in tutto in parte avevano da far capo a Roma, e che il tempo e de concludere il parlamento o altro mi foſſe propoſto al determinarmi così certo che non aveſſe tempo de conſultar la riſpoſta con V. Sant. le piacerà ordinarmi il modo, con che mi averò a governare e non ammetter coſa che non li foſſe di ſodisfatione & correre il pericolo di non guaſtar il reſto per fermo ſtar ſempre in queſto propoſito, parlando ſempre non di quel-

quello che e di sostanza nelli Dogmi senza i quali ne loro possano essere nostri ne noi accettarli, ma di qualche libertà che volessero havere di puoter fare senza venire qua, più di quella che hanno avuto per il passato.

Del Concilio, delle materie Lutherane, & altri inconvenienti di heresia che fossero publicati per questi disordini del Re, farò quanto N. S. Dio mi darà gratia che io conoschi, & a lei piacerà commandarmi più particolarmente. Credo ancora che li piacerà rimettermi a quello che giudicarò essendo in fatti che si possa & debba fare di perdonare a ogniuno, & legitimarlo in quel grado che si trovasse, facendo però che di quelle cose che hanno a dependere di qua, facciano recapito al solito alla Corte come delli provisti delle Chiese dapoi che fu levata l'obedienza. Non parlo della provisione della persona & sostentatione mia & della compagnia, che parra onesto & honorevole a S. Sant., che io meni meco, perche sappendo essa che io non ho niente, & che non saria honesto ne conveniente che io andassi a merce de altri, sò che per la prudentia & benignità sua, & per la pratica che ha di questa & maggior cosa la si degnarà farci quella provisione, che conviene di sorte che io mi possa provedere delle cose necessarie & sostentarmi fin che ne mi occorra modo di sgravar V. Sant. i bisogni della quale sapendo può esser certa che quando N. S. Dio volesse che si puotesse far con l'honor de tutti non haveria maggior desiderio che servirla con questa sodisfattione di non darli più gravezza alcuna.

Ma Padre Santo una cosa non voglio ommettere che mi pare importantissima e puotria esser ripreso da V. Sant. de aver puoco pensato al suo servitio quando la pretermettessi. Puotria essere che vedendosi il Re a mal partito con tanta furia di populi adosso, avesse cercato con dimandar le loro petitioni e mostrato di giudicarle honeste e promettendo di volerle accettare di levarsele de dosso con animo di non osservar cosa alcuna quando si vedrà fuor di pericolo & col tempo andarsi levando gli auttori della seditione hora con

una

una occasione hora con un altra. A questo quando i Popoli non stessero saldi, overo essendo inutili per suscitarli, penso che saria una gran provisione se ci fosse chi in nome de V. S. li confirmasse o sollicitasse non solo con le parole, ma ancora con fatti, i quali bisognaria che fossero di quella quantità di danari che il bisogno portasse i quali essa vede come in poco migliore e più necessario uso, & in ajuto di persone, che sono così benemeriti satiano spesi, e di quanto bene puotria essere causa avere il rimedio pronto.

Però tra le altre cose mi è parso riverentemente ricordarle, che saria bene che in quella parte di Fiandra, che fosse più libera, la ci avesse un credito nelli Fuccari, e Belzeri, e quanta fosse maggiore, meglio saria del quale avesse a valersi quella persona a chi li piacesse dar questa fede, quando che io per occasione, che fosero sì ben spesi giudicassi di metterci mano, che può ben esser certa che io non farei mai sì temerario ne sì poco amorevole che lo facesse se non un caso che la mi avesse da riprendere quando pretermettessi di farlo.

E Cifra, & altri particolari si puotria parlare poi, benche di tutto ancor quello che ho detto, non reputo di dover aver altra parte se non deavere obbedito a V. S. alli commandamenti della quale sottometto la vita & quanto puotrò, & haverò sempre come sono obbligatissimo di fate.

INSTRUCTIO
Pro Reverendissimo CARDINALI POLO *ad Cæsaream Majestatem proficiscente.*
Ex Codd. MSS.

PRimum benedicere Suæ Majestati nomine S.D.N., & deinde exponere causas profectionis D. V. Rmæ, tum ad Majestatem Suam, tum ad Regem Christianissimum, quas a S.S. habuit in mandatis, super impietate, & sævitia Regis Angliæ.

De-

Demum persuadere Suæ Majestati, ut omni cura velit incumbere reductioni illius Regni ad veram Religionem, nec ulterius pati Rege illum impunè sævire in Deum, & in sanctos, tamdiù a se, & a toto Regno cultos. Ad quam rem habebit ducem authoritatem Apostolicæ Sedis, & S. D. N., qui ut monstraret viam in hac re, quam alii Principes sequantur, publicavit Bullam &c., Habebit Regem Scotiæ, & hic novum creatum Cardinalem Scotum, Virum magnifaciendum, & multæ authoritatis in illis partibus. Itaque prohibeantur commercia, & si quid aliud videbitur ad hanc rem pertinere, non omittatur, sicut pro sua prudentia D.V. R̃ma melius & cogitabit & dicet.

Et quoniam expeditio quæ paratur in Turcas, obstat plurimum huic Angliæ reductioni, & Concilio celebrando pro rebus fidei, & pro Hæresi Lutherana extirpanda &c. D.V. R̃ma conabitur omnibus viribus persuadere Suæ Majestati longe præstare, ne præsens occasio restituendæ Religionis Nostræ in pristinam formam omittatur, fieri a liga universa inducias (& incluso etiam Christianissimo Rege) cum Turcis ad aliquod tempus, quam propter expeditionem in eosdem Turcas (quæ non nisi diuturna & dubia & dispendiosa esse poterit) amittere occasionem bene gerendæ rei Angliæ, & Lutheranæ. Simulque ostendere Suæ Majestati id quod certissimum erit, ut si etiam Bellum Turcarum prospere, & ad votum prorsus cessisset; ne liga, & Sua Majestas etsi victrix possit in victoria ulcisci Hereticos, & male de Religione meritos; daturos interim eos ipsos operam, ut conspiratione facta Italiam invadant & pecunia Regis Angli qua is maxime abundat, & Germano milite quo Lutherani pollent, Provincias ob Bellum Turcarum præsidio maxime nudatas devastent, ac diripiant.

Et præter hæc quæcumque D.V. R̃mæ videbuntur ad hanc rem facere non tacebit &c.

LET-

LETTERE QUATTRO
Del Cardinale Alessandro Farnese, scritte da Toledo, Da Codd. MSS.

Alessandro Card. Farnese al Pontefice Paolo III.

Padre Santo

21. Giugno da Toledo 1539.

HAvendo scritto per l'altra di 19. a V. Sant. il seguito da che mi partei da Barzellona fino a tutto il primo congresso con S. Maestà, scriverò in questa li capi pubblici del secondo ragionamento.

Hieri dovendo andare la seconda volta a visitare S. Maestà Ces. feci la via della casa dove sta il Principe, e visitai S. Altezza prima in nome di V. Sant. poi di Madama nostra, del Sig. Duca mio Padre, e del Prefetto mio Fratello con quelle parole, che mi parvero a proposito. S. Altezza mi rispose molto saviamente & amorevolmente 20. o 25. parolette a proposito, & così parte per non dare più incommodo a S. Altezza, & parte perche l'hora dell'audientia con S. Maestà veniva, presi licentia, & inviaimi alla Sisa accompagnato dal Duca d'Alva, & dal Vescovo di Coria, senza quali non è possibile, che possa uscir di casa, poiche S. Maestà così le ha imposto.

Giunto al Monastero della Sisa, & trovando S. Maestà su la porta della camera li fei riverentia, & subito si ritirammo in un'altra camera più secreta, venendo con me il Nuntio, & M. Marcello, del quale S. Maestà si contentò volentieri che intervenisse a tutto, havendo io fatto ciò intendere prima per il Sig. Nuntio.

Giunti in la camera, che io dico secreta, io cominciai ad esporre il resto della mia commissione circa le cose pubbliche prima della perfettione della Pace, poi delle cose d'Inghilterra, & tertio del Concilio e negotii di Germania.

Sopra la perfettion della Pace, dissi, che havendo io in

la prima visita esposto a S. Maestà la principal commissione mia di visitarla & consolarla in nome di V. Bñe, seguirei hora alcune altre cose, che V. Sant. (poiche io devevo venir a S. Maestà) mi haveva imposte, delle quali la prima era, che havendo V. Sant. alle settimane passate fatta fare più volte instantia a S. Maestà per la perfettion della Pace col Re di Francia senza haver voluto dissimular cosa alcuna di quelle che V. Sant. sentiva circa la oppositione del Re nelle cose di Milano, se forse V. Sant. fosse parsa a S. Maestà troppo libera, & vehemente in tal cose, sapesse che solo era per il zelo che V. Sant. teneva & tiene in le cose de la Religione, perche vedendo V. Sant. che allora si havevano li Signori Venetiani in lega, il che era cosa da stimar molto, & prevedendo che saria stata poco durabile, senza fare una gagliarda impresa offensiva contro al Turco, haveva voluto con quella sicurtà che la bontà di S. Maestà, & la conjunctione che teneva seco li dattavano, dirne liberamente l'animo suo a S. Maestà, perciocchè senza dubbio le forze del Re di Francia unite al corpo della lega saria fatta l'impresa molto più gagliarda, & li Signori Venetiani harieno meglio mirato a disunirsi. Et qui significai a S. Maestà quello che Monsign. Gio: Montepulciano scrive a Monsign. Durante di Venezia alli 29. di Maggio, soggiungendo, che altrimente V. Sant. haveva più causa di desiderar lo Stato di Milano a S. Maestà, che ad altri, tanto per servitio della Sede Apostolica per cagion di Parma e Piacenza, quanto per interessi di casa sua, havendola appoggiata tutta a S. Maestà sola. Et hora quando l'occasione de' Venetiani fosse persa (come si temeva) V. Sant. dubitava forte che non toccasse a lei, & a S. Maestà soli di difendere la Sicilia, il Regno di Napoli, Roma, & la Cristianità dal Turco, & però considerata la sua potentia, V. Sant. non voleva restare di nuovo di non dire apertamente l'animo suo a S. Maestà, quale era di parergli la perfettione della Pace tanto più necessatia hora che mai, quanto è più necessario il difender se, che offender altri. Et se forse col Turco si facesse

cesse tregua universale per la lega, ad ogni modo la medesima perfettione della Pace saria utilissima ad extirpare le heresie dalla Cristianità, percioche non volendo il Re (come sempre ha detto) prima lassare li suoi amici, avviene che li desviati sono più superbi, & S. Maestà trovarà senza tal perfectione maggior fatica a ridurli, che non saria con essa, sicchè V. Sant., come quella a chi le cose della Religione sono molto a core, non ha potuto se non ricordare a S. Maestà il parere suo liberamente, & maxime in questo tempo, dove son più occasioni di parentadi fra il Re, & S. Maestà che mai; rimettendosi però sempre alla prudentia di S. Maestà.

Dissi appresso, che avendo inteso V. Sant. tanto per lettere di Monsign. d'Ivrea Nuntio in Francia, quanto per relatione di M.r Latino, & di M.r Ch.no Segretario del Contestabile, che era stato mandato a V. Sant. come il Re trovava buona la oppinione di S. Maestà Cesarea circa il mandar prima i protestanti al Re d'Inghilterra, che V. Sant. mi haveva imposto, che io hora sollicitassi la expeditione appresso S. Maestà, accioche se non s'exequisse la Bolla, & le censure, non si facesse maggior piaga alla Sede Apostolica di quella che si è fatta fin quì.

Et ultimamente circa il Concilio soggiunsi, haver lettere di V. Sant. dopo la partita mia di Roma, per le quali mi significava, come il Concilio era stato suspeso in Consistorio a beneplacito di V. Sant. & di quella Santa Sede, vedendo che così era parso a S. Maestà, & al Serenissimo Re de Romani, alla prudentia de'quali V. Sant. haveva tribuito tanto, che si era exposta alle calunnie, & maledicentie di molti per satisfarle, & maximamente intendendo che S. Maestà, & il Re de Romani speravano che si traria qualche buon frutto della Dieta proxima di Norimberga: in la qual cosa concorra che V. Sant. sappia la cura che S. Maestà ha sempre tenuta in le turbolentie della Religione, & maxime in quella provincia. Tuttavia non poteva se non pregarla, che hora ce ne volesse haver tanta più, quanto le cose vanno

no ogni dì peggiorando, se una volta non se riducano in tutto, & che si vede esser necessario, ovvero, se il tempo lo portarà, venir presto alla celebratione del Concilio, o se non, serrarlo finche Dio mandi miglior occasione, percioche non sta bene così sospeso per molte cause. In questi tre capi S. Maestà mi rispose in questa sententia.

Al primo della perfection della Pace, che non accadeva, che V. Sant. li facesse scusa di averli ricordato un opera tanto & tanto conforme al suo desiderio di S. Maestà, anziche ne basava i piedi a V. Bñe; & quanto al parentado, che io li parlavo che harebbe potuto fare senza risponder, per sapere horamai, che S. Maestà è vecchia, & che chi ha figlie da maritar miraria molto bene come le desse a uno di quella età. Di poi che S. Maestà ha figlio, & figlie horamai grandi in modo, che più presto deve pensar' a lor, che a se. Che quanto alla perfection della Pace col Re di Francia non mancheranno modi senza questo; & venendo poi alla partita de' Signori Venetiani disse, che non credeva che quella Signoria, quale fa professione di tanto advertita & prudente, havesse fatta una simil cosa con sì poco rispetto di V. Sant. & suo, & che quando pure se ne dubiti, crederia che il risentirsene pria che la cosa si scopra, potesse farli alquanto vergognare & stare più in officio, perche scoperta che fosse non si potria far'altro che dissimularla, & che forse ne scriveria al suo Ambasciator costì. A questo replicò il Nuntio, che quel che si era communicato con S. Maestà era solo per mostrargli il pericolo, del quale, se bene non era così certo, pure quando seguisse, il rimedio era la perfection della Pace, che non si era detto già per commetter male verso li Signori Venetiani.

Al secondo capo d'Inghilterra mi rispose, che già sapeva il Nuntio l'animo suo, quale era di mandar li protestanti a quel Re, ma che per la reputatione del negotio bisognava prima che il Card. Polo andasse a trattare tal cosa col Re di Francia, si come haveva trattato con S. Maestà Cesarea. A questo rispose, che certamente V. Sant. quando spac-

ſpacciò il Card. Polo da Roma, li commiſe che così andaſſe alla Maeſtà Chriſtianiſſima come alla ſua, & che poiche S. S. Rma non per altro, che per timor della vita (ſapendo quante inſidie le ſon teſe dal Re d'Inghilterra) ſi fermò a Carpentras, & mandò l'Abbate di Sanſaluto al Re di Francia, eſſendoſi riſoluto di la quel che biſognava, non pare che per queſto accada altro, ſalvo di ordinare, che queſti proteſtanti vadino &c.

Qui S. Maeſtà parlando liberamente diſſe, che queſto non baſtava perche quando il Re voleſſe, o haveſſe voluto porria molti ingratianarſi col Re d'Inghilterra, con dire che egli non ha voluto accettare il Card. Polo & S. Maeſtà Ceſarea sì, perche le vere cagioni delle coſe ſono note a pochi, & così pochi ſanno che il Card. Polo ſia reſtato a Carpentras per timor della vita, &non per altro reſpetto, pure che ſe ne ragionaſſe con li miniſtri ſoi, che ci penſaria, & daria riſpoſta.

Al terzo della ſuſpenzion del Concilio reſpoſe, che le coſe fatto non hanno regreſſo, perche quando V. Sant haveſſe ſeguito il parer ſuo, haria fatta una prorogatione a tempo determinato come le altre volte, & non a ben pubblico, & che è ben vero, che a S. Maeſtà non pareva tempo hora di celebrare il Concilio, conoſcendo che ne riſultaria, reputandolo de effetto contrario a quel che per il Concilio ſi cerca, ma che da altra parte biſognava ancora reger la coſa in modo che non ſi deſſe maggior cauſa a Luttherani, & etiam a Catholici di calunniar S. Sant. perche eſſendo li Luttherani triſti non pigliano mai la parte migliore, ma la peggiore, & così quando hanno un poco di veriſimile con che perſuadere i popoli contra al Pontefice, che ci ſi fanno cavelle.

Quì io riſpoſi, che quando S. Maeſtà penſaſſe bene a quello che era fatto troveria eſſer data molto minor cauſa di dir male a Luttherani, così che non ſaria ſtato con prorogar il Concilio a tempo determinato, perciocchè così ſi poteva celebrar fra un meſe, due, tre, & finalmente qualun-

lunque volta convenisse, & paresse a S. Maestà, non desiderando V. Sant. altro (come s'è possuto vedere) che l'effetto di questa celebrazione, & quanto al calunniare tanto possono li tristi callunniare questa suspensione, come qualunque prorogatione &c. A che S. Maestà all'ultimo consenti, & disse, che io dicevo bene; & Monsign. di Granuela ha poi affirmato al Nuntio, che per molte ragioni è stato meglio così che se susse prorogato a tempo certo.

Venne di poi alle cose di Germania, & disse potersi tener per una maxima che li Luttherani non fariano mai bene se non per paura, & però che tra le altre provisioni che li parevano di fare prima che la Dieta di Norimberga si celebrasse, era che li Catholici si mostrassero gagliardi coll' armi in mano, e che a questo fine S. Maestà haveva mandato credito in Germania per CL. mila Ducati, e li averia parso che anco V. Sant. dovesse tener' in quella provincia in mano di que' mercanti che più li fida qualche somma de denari, che era come tenerli in casa, & fariano gran timore alli Luttherani. Rispoſi a questo, che io farei la ambasciata a V. Sant. quale sapevo, che per il zelo tiene alle cose della Fede non mancheria di fare tutto che convenisse, & paresse a S. Maestà. Nel resto del provedere a disordini di Germania S. Maestà disse, che li sui Ministri lo praticheriano con me. A questo proposito non voglio mi scordi avvisar V. Sant. come Monsig. Lundense si trova qui, & il Duca de Bransuich che venne con lui, partì quasi subito che giunse, perciò che io lo trovai tre poste di là da Madrit, & allora non conobbi lui, ne lui me.

Ho compreso che M. Adamo Centurione errò per la similitudine del Nome, quando in Barzellona mi disse havere inteso per via, che era venuto a questa corte l'Arcivescovo di Londra, & il Duca di Bransuich mandati dal Re d'Inghilterra, perche erano stati l'Arcivescovo Lundense, & il Duca di Bransuich (come ho detto) ne Inghilterra ha mandato qui altro homo, che lo Ambasciatore ordinario fino ad ora.

Il

Il Duca di Bransuich partì subito che hebbe visitata Sua Maestà, & parlatoli dello stato delle cose di Germania, al bisogno delle quali pare che S. Maestà sia restata di fare bona provisione, & prima havendo tempo sei mesi di accettare, o nò la suspensione de XV. mesi, che s'è fatta in Francfordia, mi disse S. Maestà, che non si risolverà prima che al fine del termine. Sarò hora io con questi Signori Ministri, vedrò qual sia il loro parere in tal cosa.

Finite le cose publiche &c.

Il medesimo al medesimo.

Padre Santo.

PEr quattro lettere una di XIX. & tre di XXI. tenute a 22. scrissi a V. Sant. pe il Piloya Corrier spacciato da me a posta il mio arrivo a Toledo, & il primo, & secundo ragionamento, ch'io havevo havuto cò S. M. Cesarea, come credo, che V. S. harà visto. Dipoi alli 22. furono da me il Commendatore Maggior, & Monsignor di Granvela a consultare in nome di S. M. quello, che nel secundo ragionamento ella haveva rimesso a loro Signorie, che erano quattro capi, de Inghilterra, del Concilio, & Germania, delle cose di Camerino, & di mia Sorella.

Cominciai io a dirli sopra le cose d'Inghilterra quel medesimo, ch'havevo detto a S. M. A che Monsig. di Granvela rispose in questa sententia. Prima si sforzò di mostrar che la mira, & obietto de' Luterani, & del Rè d'Inghilterra era tutt'uno, no' gia di disputar sopra li dottori della Chiesa, o sopra altro articolo della Fede, ma di usurpare li beni Ecclesiastici, e discuotere il giugo della Sede Apostolica, & vivere a modo loro, dicendo ch' il vero è così; se ben essi cercano con altre apparentie verisimili di occultarlo, & che la medesima causa fa, che il Rè d'Inghilterra stia separato dalla obedienza della Sede Apostolica, di modo che essendo il loro fine unito non farieno mai per abbandonare l'un

l'al-

l'altro, quando alcuno di loro fusse molestato, sicome dice esser chiaro tanto per le apperte intelligentie, che si tengono continuamente fra Inghilterra, & Lutherani, quanto per la experienza vistane alli dì passati, percioche già XIIII. mila Tedeschi erano congregati nello frontiere dell'Oceano per passar'in Inghilterra a defension di quel Regno. Hora stando le sopradette cose, dice esser a considerare bene con qual de questi dui si toglia prima la pugna confessando esser ragione, che S. Maestà attenda alla reduttione del uno, & del altro, & conclude, che havendo il Rè d'Inghilterra danari, & li Lutherani homeni, quando il Re fusse il primo molestato, che oltre che si defendaria gagliardamente, porria ancora accendere co'li suoi danari, & co li homeni Lutherani un sì grande fuoco in Italia, che sarebbe difficile a repararlo. Onde dice, che la Maestà Cesarea giudica dover si prima accordar le cose di Germania, che romper con Inghilterra maxime sperandosi presto di esse qualche buona resolutione.

Quì rispos io, che quanto a questo parer'di sua Maestà venendo da così prudente, & Catholico Principe non saprei, che dir altro, escetto di riferirlo a V. Santità. Ma ch'io vedevo bene nel differire la cosa di Inghilterra farsi una gran ferita alla Sede Apostolica, perche essendo già emanate le Censure, & le Bolle contra quel Rè di parer di l'una & l'altra Maestà Cesarea, & Christianissima (come lor Signorie sapevano bene) ove hora non si exequissero, l'autorità di quella santa Sede diverria molto negletta. Et ognuno conosceria, che si portava più rispetto al Re d'Inghilterra così impio, & scelerato, come è, che alla Sede Apostolica, però che almeno per riparare a questo inconveniente si doveria far in modo, che apparisse la pratica mantenersi viva, & che se le Bolle non sono ancora exeguite, o non si exequiscono così presto, non resta per negligersi, ma per honestare, & maturar meglio la executione, & però che almeno non si doveva restar hora di non mandar li dui Ambassiatori a quel Re, come si era ordinato &c. Confessorno ch'io di-

dicevo il vero, & che ſi doveva mantener' la pratica viva come havevo detto, & attender in tanto ad acconciare le coſe di Germania, & che queſta propria era la via, ma ſterno però nella medeſima oppinione di prima, che fuſſe neceſſaria l'andata del Cardinal Polo in Francia avanti che li Ambaſciatori ſi mandaſſero, dicendo che trovandoſi S. S. Rm̃a in Avignone lo porria far ſubito, & che così li Ambaſciatori andarebbero ſubito. Qui vedendo io in che difficultà ci ponevano, diſſi, che quando il Re di Francia ſi contentaſſe hora dell'andata del Card. Polo in quella Corte, che S.S. Rm̃a andaria ſubito ſenza riguardo della vita ſua, tutto che fuſſe dell' importantia che è, & inſidiatiſſima. Ma quando da altra parte il Re non ſi contentaſſe, & diceſſe (come s'intende che dice) che per riſolvere le coſe reſolute l'andata del Cardinale non è neceſſaria, che in tal caſo penſaſſero, che modo ſi poteſſe trovare per ſatisfare a l'una, & a l'altra Maeſtà, & per evitar qualche maggior indignità di queſta Santa Sede, come faria quando un Cardinale ſi moveſſe per andar in Francia, & fuſſe fatto ſubſiſtere.

Diſputoſſi molto ſopra ciò, & non volendo loro paſſar per hora più avanti contra Inghilterra, che in mandar il loro Ambaſciatore con quel del Re Chriſtianiſſimo a proteſtare &c. Nò ſi trovò mai modo buono ſe nò queſto (quando piaccia a V. Santità, cioè che tornato che ſarò io a Roma, V. Sant. ſcriva al Cardinal Polo, che per aver ella inteſo da me circa la expeditione di Inghilterra coſa del animo di S. Maeſtà Ceſarea, che S. Maeſtà nò ha voluto comunicar prima ad altri (dico di quello farà quando li Ambaſciatori ſaranno andati a proteſtar' &c. & quel Rè non harà voluto obedir) pare hora à V. Santità, che S. S. Rm̃a vada in Francia per intendere, & riſolver con la Maeſtà Chriſtianiſſima il medeſimo, percioche così vedendo il Rè di Francia, che S. Maeſtà Ceſarea habbia per mezzo mio comunicato a V. Santità più oltre circa l'animo ſuo di quello, che voleſſe comunicar ad altri, non vorria forſe parer

Oo di

di fidarsi meno di V. Sant. che si abbia fatto lo Imperatore. Onde il Card. Polo harà legitima causa di andare in Francia, come a trattar più avanti di quel, che fino a qui si sia fatto, & andando S. S. Rma promette S. Maestà Cesarea di mandar subito il suo Ambasciatore insieme con quello del Re Christianissimo al Re d'Inghilterra &c.

Questo modo, o uno equivalente, quando a V. Santità piaccia, potrà tener viva la pratica d'Inghilterra con molto honor, & utile della Sede Apostolica, altrimenti vedo troncarsi in tutto, e farsi grandissima piaga al'honor di V. Santità, & di quella Santa Sede come più a longo li dirò (piacendo a Dio) alla mia tornata.

Alle cose di Germania confessorno ingenuamente bisognar, che V. Santità, & S. Maestà ci provedino con più cura, che forse non s'è fattto fin qui per esser ridutte a termine, che governandole bene, se ne può sperar bene, & governandole male, si perderà quella provincia in tutto, & poi co lo esempio di essa il resto di mano in mano finche Dio proveda altramente; dicendo che Inghilterra si disviò dalla ubedientia della Sede Apostolica per l'esempio de'Lutherani, che altrimenti non lo haria osato, & che li Prelati Catholici di Alemagna, sono in vero più desiderosi di libertà, che zelosi della Religione, & però che lo Imperatore era disposto di attenderci con tutte le forze sue, & sperava, che il simile saria anco V. Santità, & che li capi principali da discuter'ora erano questi.

Se lo Imperatore avendo tempo sei mesi di accettare il concluso nella Dieta di Francfordia lo doveva accettar o no, & quando, & a che tempo.

Item se la Dieta futura di Norimberga si doveva lassar celebrare o no, & quando si, in che modo.

Et ultimamente far provisione de'denari, o credito in Alemagna tanto per la reputazione, quanto a ciò che fussero presti, caso che bisognasse adoperarli, rimettendosi di più a quello, che sapria dire Monsignor Lundense, quale era intervenuto alla Dieta, & hora si trovava qui. Et perche

nel

nel parlare del modo da farsi la futura Dieta di Norimberga, vedevo costoro variare al quanto da quello, che scrisse già il secretario del Card. Brundusino, & maxime dove più consiste la importantia, cioe nella qualità, & quantità delle persone, che hanno a disputare: io li domandai copia del Instromento fatto nel Recesso della Dieta di Francfordia, sopra tal cosa & insieme pregai lor Signorie, che tanto la oppinione di S. Maestà, quanto quella di Mons. Lundense, & loro fussero contenti, che me si desse in scriptis, per poterle tanto più fidelmente riportare a V. Santità, il che mi promissero molto benignamente. Et così havendole le manderò con questa alla mia partita per uno di questi mei, che venga di longo a Roma, si per la importantia di questa negociatione, parendo a S. Maestà, che la Dieta futura cominci a mezzo Settembre che horamai ci resta poco tempo, si per avvisar V. Santità de la mia partita di qua, quale sarà a 28. piacendo a Dio, come in un'altra lettera, de' negocii privati dico a V. B. più a longo. Ne me occorrendo per questa altro bacio e' piedi di V. Sant. humilmente. Da Toledo alli XXV. di Giugno 1539.

Tenuta a 27. Monsig. Lundense è venuto a pranso con me, & doppo desinare me ha parlato delle cose di Germania longamente rendendomi conto perche non si è possuto far meglio in la Dieta di Francfordia, & finalmente me ha letta, & lassata la inclusa Informatione, dove è anco il parere suo circa la reduttione di quella provincia, dicendo averne data un'altra de verbo ad verbum a S. Maestà. Raccomandasi molto a V. B., & la supplica, che questa sua Informatione, nella quale non ha voluto tacere niente, ma dire ogni cosa liberamente, sia tenuta secreta, & mostrata a pochi, o niuno, perche altrimenti le porria venire in gran pregiudicio da quella banda di là. Supplica a V. Beatitudine, che per lo amor di Dio abbraccj con tutta la cura sua le presenti cose di Germania, perche reducendosi quella provincia, come spera potersi, & lo Anglo, & ogni altro desviato verrà con la correggia alla gola a chieder

perdono a V. B. & non reducendosi, ma perdendosi in tutto, actum est de Religione Christiana. Lui è homo di 50, o 55. anni di bonissima presentia, & parla certo molto prudentemente.

La copia del Recesso di Francfordia non ho ancora havuta, quando non l'habbia in tempo da mandare con questa, la portarò io insieme con la oppinione di S. Maestà circa al passare suo in Italia, come a Monf. Lundense par necessario in questo suo discorso. Et di novo baccio e piedi a V. B.

Il medesimo al medesimo.

Padre Santo.

Da Toledo alli * Giùgno 1539.

* Manca il giorno del mese, ma si conosce scritta prima dell' antecedente.

IO arrivai a Baja alli 16. di questo, come per tre altre mie de 19. & 21. ho significato a V. Sant. & il dì seguente arrivò il corriere con le lettere di Monsig. Durante de 4. il negotiato delle quali perche io ho scritto lungamente in le altre non replicarò in questa.

Io vedendo quel che V. Sant. mi comanda di tornare quanto più presto posso peractis peragendis, sollecito di espedirmi, & penso farlo per questo mese, & al principio di Luglio mettermi in camino di ritorno, senza aspettar altra risposta di questo corriere quà, sì perche harò spedito quel si potrà, & quel che scrivo hora a V. Sant. non ricerca risposta, sì per obbedirli, & oltre a questo per vedere, se io darò nome di voler aspettare per una risposta da Roma, che io overo necessitarò V. Sant. a mandare la resoluzione de' mezzi frutti, overo se non fosse venuta, si metterà qui il fele in tutta la dolcezza, in ch' io spero lassar S. Maestà, & questi Signori Ministri, havendo certo trovato le cose mal disposte, & in termine, che la mia venuta non sarà stata inutile. Questo, & il pensare ch' io habbia col venir mio dato sospetto a molti ha fatto ch' io mi risolva a non mi fermare, vedendo che gli altri quali sono venuti qui per il medesimo effetto ch'io, come Monsig. de Brisac, il Maestro di casa della Regina di Francia, & il Duca di Bransuich, hanno poco soggiornato, & che io darei prima più sospetto, & più

più giustamente col fermarmi, che non ho dato col venire.

La sanità mia, a che forse se poria pensare all' incontro di queste altre ragioni, ancora mi detta il medesimo; perche essendo uso a fare ogni dì esercizio, & qui non potendo uscire di casa, ma abbruciando di caldo, sento che mi fa peggio che il correr la posta, maxime cavalcando il fresco, & schifando il caldo come fazo. A tutto questo si aggiunge la partita di S. Maestà, quale sarà Mercore alli 25. per Madrit, & collocato lì il Principe col Consiglio andarà cavalcando dui mesi senza fermarsi per il Regno; in modo che tutte queste cose m'hanno fatto resolvere di spacciare questo corriere con le presenti lettere, & con adviso della mia partita di quì, quale, come ho detto, sarà per tutto questo mese poco dopo la partita di S. Maestà, perche spero essere expediro prima che S. Maestà cavalchi, &c.

Di Inghilterra stiamo sul trovar modo, sel si potrà, che quelli protestanti vadino, & che il Card. Polo anch' egli vada alla Corte di Francia, ma dubito sarà cosa difficile, perche il Nuntio con Monsignor di Granvela aveva loro tocco il fondo della opinione di S. Maestà, quale è in somma, che ancora che li protestanti si mandassero, fin che le cose in Germania non sono acconcie, S. Maestà non vuol romper con Inghilterra. Faccia il Re di Francia quel che vuole, & acconcie le cose di Germania, & che il Re di Francia non volesse concorrer, S. Maestà sola vendicarà ad ogni modo l' ingiurie della Sede Apostolica, & sue.

Al Card. Polo scrivo, che io presto piacendo a Dio sarò da S. S. & li comunicarò quel che harò fatto sopra le cose d'Inghilterra &c.

Il medesimo al Card. d'Inghilterra.

Rmo & Illmo Sig. mio Colmo.

21. Giugno 1539. Toledo.

GIunsi in Toledo con sanità a Dio laude alli 16. di questo, & alli 17. ebbi lettere di Roma, quali mi significavano ordinarsi di nuovo a V. S. Rma, che circa l'andata sua al Re Christianissimo ne seguisse la mia Comissione. Io vi-

visitai la prima volta S. Maestà alli 18. & perche allora non si parlò d'altro, che di doglianze, tornai alli 20. & esposi tutta la mia istruttione. Nel capo delle cose Anglicane trovai S. Maestà molto fissa in oppinione, che V. S. Reverendissima vada a trovar il Re di Francia come ostata da lei, & perche io replicai efficacemente, che poiche la non era andata la prima volta di longo non si poteva hora rimandarla a deliberare quel, che il Re ci da risoluto, dico circa il mandare i protestanti in Inghilterra, soggiungendo S. Maestà pensassi bene, perche se gli voleva commettere piu oltre, che in tal caso V. S. Reverendissima avendo lettere di Monsignor di Jurea di poter così andar liberamente a quella Corte non guardarà ad alcun pericolo della vita sua, ma satisfarà a S. Maestà Cesarea, altrettanto la non vedeva, come ciò si potessi fare. Fui rimesso alli Ministri, co'quali ancora non ho finito la disputa. Ma fra pochi dì ch'io piacendo a Dio sarò di ritorno in Avignone li riferirò di bocca la resoluzione sarà presa. Intanto stia sana, e mi raccomandi a Monsig. Reverendissimo Sadoleto, & a se medesimo infinitamente.

INDEX MONUMENTORUM
Quæ superius afferuntur.

Literæ octo Pauli III. in forma Brevis. pag. CCLXVII.
Instruzione, overo informazione sopra le cose d'Inghilterra data dal Card. Polo a Papa Paolo III. quando vi fù destinato Legato. pag. CCLXXIV.
Instructio pro Rmo Card. Polo ad Cæsaream Majestatem proficiscentem. pag. CCLXXIX.
Lettere quattro del Card. Alessandro Farnese scritte da Toledo, tre al Pontefice Paolo III. ed una al Card. Polo. pag. CCLXXXI.
EPI-

EPISTOLÆ
REGINALDI POLI
S. R. E. CARDINALIS
SEU ALIORUM AD IPSUM

Ab inita Legatione Belgica
uſque ad deſitam Legationem Hiſpanicam

Ac proinde ſcriptæ

ANNIS MDXXXVII. MDXXXVIII. MDXXXIX.

EPISTOLÆ.



I.

Andreas Griti Dei gratia Dux Venetiarum &c.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino R. Polo S. R. E. Diacono Cardinali S.



Um proximis hiſce diebus jucundiſſimum nuncium acceperimus, te, quem plurimi ſemper fecimus, charumque inprimis habuimus, a Pontifice Maximo in Collegium Reverendiſſimorum Cardinalium cooptatum fuiſſe, non potuimus non plurimum eam ob cauſam gaudere, & Summi Pontificis conſilium ſapientiæ, bonitatiſque plenum magnopere admirari. Qui ſi nullum aliud in Republica Chriſtiana beneficium poſuiſſet (poſuit autem nullo ejus vitæ tempore non & plurima & maxima) optime tamen de ea hoc uno nomine meritus eſſet, quod tales viros, qualis ipſe es, vel doctrina, vel morum ſanctitate excellentes, & præmiis affecerit, & in excelſo iſto dignitatis gradu collocarit. Quo facto non ſolum quid de te judicaret, ſed etiam quid aliis præſcriberet, oſtendit. Nam & eum virtutibus tuis detulit, quem ſummum deferre potuit, honorem, & ceteris omnibus exemplum ſtatuit, vel ad ingenium excolendum, vel ad vitam recte inſtituendam ſalutare. Quare tibi gratulamur, non ſo-

lum quod istum in locum, atque ordinem, & dignitatis, & honoris plenissimum, multis, & magnis tuis meritis ascenderis, sed etiam quod eum præclare tueri, & e Republica Christiana gerere poteris, vel vitæ integritate, & innocentia, vel doctrina singulari. Optamusque, ut dignitatem istam Deus Optimus Maximus, unde & dignitas ipsa, & eximiæ animi dotes in te profectæ sunt, tibi fortunet, atque augeat. Quod cum litteris explicare nimis longum fortasse videri posset, Laurentio Bragadeno Legato nostro mandavimus, ut harum litterarum gratulationem suo sermone subsequatur. Datæ in nostro Ducali Palatio, die quinto Januarii Indictione undecima M. D. XXXVI. M.V.

II.

Serenissimo Principi Andreæ Griti Duci Venetiarum R. Polus Cardinalis.

CUm satis multæ amicorum gratulationes, Serenissime Princeps, superioribus diebus, quibus me Paulus Pont. Max. pro sua benignitate in Cardinalium numerum adscripsit, ad me confluerent, etsi ab iis profectæ essent, quorum & judicio, & amore facile delectari possem, atque etiam deberem: tamen, quia illa una vox Patriæ aberat, cujus certe causa, si cujus rei in Terris causa, hunc sive honorem, sive onus, ut verius appellem, suscepi, nescio quo pacto, quascunque lætitiæ voces audiebam, eas non sine sensu aliquo doloris excipiebam. Sed cum ad me Laurentius Bragadenus, Orator vester, & eo munere, quo pro vobis fungitur, & suis virtutibus clarissimus, venisset, ut mihi Tuæ Serenitatis, & amplissimi istius Senatus verbis gratularetur; tum quidem, quasi hæc prorsus desiderata illa Patriæ vox esset, quam animo requirebam, sic statim omnes alios animi motus con-

consedisse, & me totum exhilaratum sensi. Nec mirum sane vestram gratulationem mihi ita gratam, ac jucundam fuisse, ut in ea Patriam gratulantem visus sim agnoscere, cum majorem prope ac meliorem ætatis partem apud vos consumpserim, quo tempore ea vestra in me merita extiterunt, ut, si cum iis quæ a Patria ipsa accepi conferantur majora merito existimari possint, mihi certe & potiora semper, & gratiora sint futura: nam optimas artes, & disciplinas, quæ viam ad beatam vitam ostendunt, addiscendi ea mihi apud vos facultas fuit, quam haud scio an alibi unquam terrarum habere potuissem, domi certe, & in Patria ne spes quidem habendi erat. Quod si perexiguum est quod in illis profeci, id mei vel ingenii tarditati, vel etiam ignaviæ merito adscribi potest; non propterea de vestro in me merito quicquam detractum est, cum præsertim ea sit artium illarum præstantia, ut vel in iis parum profecisse cæteris rebus omnibus sit anteponendum. Ad hoc vero tam præclarum beneficium vestrum accessit tot Civium vestrorum præstantissimorum hominum amicitia, qui me ea humanitate, atque iis officiis sunt complexi, ut nec plura, nec majora, vel ab iis, qui arcta mihi affinitate conjuncti sunt, optare unquam potuissem. Quas ob causas, cum hic mihi honor ab optimo, & benignissimo Pontifice deferretur, cogitabam equidem ante omnia, sic vobiscum quasi cum parentibus agere, ut primos nuntios de hac Pontificis summa in me benignitate per litteras ad vos mitterem, & certe jam scripseram, cum ecce mihi Ser. T. humanissimæ litteræ a Clarissimo Vestro Oratore redduntur, in quibus una gratulatione non contenta Tua Ser. iterum mihi de hac dignitate gratulatur iis verbis, quæ facile indicant, si eadem vestro alicui charissimo Civi obtigisset, majus quidem gaudium declarare non potuisse: nam & Pontificis factum summis laudibus extollitis, & vestram spem & expectationem de me declaratis, ac demum ut mihi, & Reip.

 Chri-

Christianæ, hic honor salutariter eveniat, a Deo vehementer petitis. Quæ omnia cum vestram in Deum pietatem, & in ejus Ecclesiam, maxime declarant, tum vero, quantum nunc humeris meis onus sit impositum facile admonent: ad multa enim magna & gravia, quæ me ex Pontificis judicio, atque Ordine ipso, in quem sum cooptatus, valde premebant, hoc vestrum gravissimum judicium adjunctum habeo: cui ut aliqua ex parte satisfaciam, video quam sit mihi laborandum. Nec tamen quicquam aliud a Deo petendum censeo, quo vestræ expectationi satisfaciam, præter occasionem & vires; si enim voluntati, quam abunde mihi datam esse sentio, reliqua adjunxerit, qui solus potens est, spero futurum, ut vestræ humanitatis, & benigni, atque gravis de me judicii vos nunquam pœniteat. Quod reliquum est, si T. Ser. una cum amplissimo Senatu, omnia a me exspectet, sibique polliceatur, quæ de vestro Cive, vestri honoris & amplitudinis cupidissimo, expectari, atque exigi possunt, ea certe spes vos numquam fallet. Romæ MDXXXVII.

III.

Guido Ascan. Sfortia Card. S. Floræ Leg. Bon. Reginaldo Polo S. R. E. Cardinali declarato.

INgenti me lætitia is nuntius cumulavit, qui amplitudinem tuam a Sanctissimo Domino Nostro, cum summa totius sacri Collegii consensione, amplissimo munere, ac dignitate ornatum retulit. Siquidem ea est illius perspecta, & cognita probitas, doctrina, nobilitas, ea erga Sanctam Romanam Ecclesiam merita, ut nullas esse tam grandes honoris accessiones videam, quæ jure ac merito illius

illius virtuti non debeantur. Quamobrem optassem istis Comitiis interfuisse, ut mei præsentis erga te studium, atque observantiam potius, quam absentis gratulationem, & lætitiam intelligeres. Nunc vero te oro, atque obsecro. meis rebus omnibus, æque ac tuis, utare, atque ita existimes, nil mihi tua dignitate optatius, nil jucundius accidere potuisse. Vale Bononiæ iij. Cal. Jan. M. D. XXXVI.

IV.

Reg. Polus S. R. E. Cardinalis Cardinali S. Floræ Legato Bononiensi.

ETsi nihil in me dignum agnosco, quamobrem Illustrissima Dominatio Tua tanta lætitiæ, ac amoris erga me significatione, mihi gratularetur, quod in vestrum Ordinem, & Sacrum hoc Collegium essem cooptatus; tamen perfusum animum meum maximo gaudio, & delectatione, cum gratulationem litterarum tuarum legerem, non possum quidem non maxime fateri. Delectabat me vero nihil magis, quam ipsa illa, quam præseferebant litteræ tuæ, gratulationis causa, quæ cum nulli privatæ necessitudini tribui potuit, cum eo præsertim, qui externus est, quem vix semel vidisti, nunquam loquentem audivisti, sed tantum opinioni nonnulli, quam de mea qualicunque virtute ex aliorum prædicatione conceperis, ea ipsa ostendit, quam alte in te virtutis amor radices egerit, quem hæc concepta sola de alieno & ignoto probitatis opinio, ad tantas verborum in gratulando faces accenderit. Itaque majorem quidem ipse tecum gratulandi causam habere censeo, de tanto hoc tuo virtutis amore, qui omnem statum ornat, quam tu mecum de dignitate hac mea, quæ etsi amplissima sit, nullam tamen virtutem dare, & sine ea ne nomen quidem retinere possit. Quod vero scribis, te optasse his Comitiis interfuisse, ut præsentis potius, quam

quàm abſentis tuum animum, & gratulationem tuam experiri poſſem; hæc quidem omnia ab eodem virtutis fonte fluunt. Sed tibi perſuade, Illuſtriſſime Domine, ſi quid eſſet, quod ad tantam hanc tuam verborum benignitatem reipſa addi poſſet, ſic hanc partem, in omni genere officiorum oſtendendo, ab Illuſtriſſimo Domino Farneſio Conſobrino tuo abunde fuiſſe impletam, ut nulli prorſus, quantumvis mei ſtudioſo, ſive præſenti, ſive abſenti cedere, nulli mihi magis gratificandi locum relinquere voluiſſe videatur. Denique cum ſic me in omnibus Sanctiſſimus Dominus Noſter inſigni ſua liberalitate, & benignitate ſit complexus, ut qui me, tam domi in privata habitatione, quam publice locum tuum tenere viderunt, mihi dicerent, ſe quidem te abſentem tanquam præſentem in me agnoviſſe; ut non in omnibus ſanctiſſimam tui memoriam geram, non colam, non obſervem, & te præſentem mecum eſſe perpetuo judicem, fieri certe non poteſt. Hoc vero primum meæ ſummæ in te obſervantiæ & amoris ſignum dare incipiam, ut quoniam tuæ nunc fidei gubernatio tam ampla populi Dei, propter legationem tibi a Sanctiſſimo Domino Noſtro datam, ſit commiſſa, ut ad id præcipue te horter: *Tu regere* (amore) *populos*, *Legate*, (Chriſti) *memento*; *Hæ tibi erunt artes*. Iis tu toto pectore incumbas, ut diſcas penitus, has poſtquam didiceris, perpetuo exerceas; hæ enim, vel hæc potius ars, (unica enim eſt) hæc ſola eſt, quæ apud Deum, & homines immortalem laudem conjunctam immortali præmio tibi acquiret. Quæ cum tam eximiæ dignitatis ſit, ut ad eam perfecte docendam, nullum humanum ingenium aſpirare queat, nullum magiſtrum niſi Dei Filium agnoſcat, is vero maxime precibus, & oratione ad docendum conducatur; ut te primum in diſcipulum ſuum aſciſcat, deinde aſcitum in omnibus erudiat, & perpetuo in ſua diſciplina retineat, hoc mihi onus, tua cauſa ſumam, ut apud eum perpetuo ſim ſupplex. De quo tamen ſi certi eſſe volumus

lumus nos impetraturos, quod petimus, commune utrique hoc onus facias, & tuas preces meis adjungas, ac pro utroque roges oportet. Quod ſi feceris, jam audacter pronunciare & gloriari audeo, Deum præceptorem habemus. Pro mea vero virili parte me nunquam tibi, nec in hac, nec in aliis rebus omnibus, quæ ad ſalutem & dignitatem tuam pertinere videbuntur, defuturum, has tibi litteras tanquam fœderis loco ſcribo, quas ſic nunc concludo, ut quod promitto, re ipſa oſtendere incipiam, ſi omnibus votis, & precationibus Chriſtum Dominum, & præceptorem noſtrum rogem, ut in te lumen amoris ſui, & veritatis infundat, quod quidem ſic peto, ut nihil magis ex animo flagitare ab eo poſſim, qui te in Eccleſia ſua ad ejus honorem, & tuam atque aliorum ſalutem quam diutiſſime conſervet.

V.

Petrus Bembus Regin. Polo Cardinali.

DOlebam antea, te a nobis diſceſſiſſe, cum tamen eſſet ſpes aliquando reverſurum. Nunc autem cum te Paulus Pontifex Maximus in ampliſſimum Cardinalium ordinem legerit, neque poſthac his in locis te videndi mihi facultatem datum iri ullam putem, lætor tamen, tuam virtutem & dignitate auctam, & honeſtatam fuiſſe; quam te poſſe conſequi incredibili Pauli prudentia, judicioque freti ſperabamus. Qua de re tibi vere, atque magnopere gratulor, vtque perpetuæ, ſolidæque voluptati tibi ſit iſte magiſtratus, quæſo, & opto. Ac meum quidem tui abſentis deſiderium noſtræ neceſſitudinis memoria facile ſolabor. Tu vero longe ornatior, atque illuſtrior factus, non Patauium modo, ſed Britanniam etiam tuam, atque ipſum Cœli verticem tuarum laudum ſpendore fac impleas. Patavio iij. Cal. Januarias M. D. XXXVI.

Regi-

VI.

Reginaldus Card. Polus. Cosmo Gerio Fanensi Episcopo.

SI suavissimæ tuæ gratulationi, quam elegantissima Epistola de hoc Cardinalatus munere a me suscepto es complexus, tardius respondere videor, id Priolo nostro adscribito. Vix enim, mihi crede, eam summa cum voluptate a me lectam de manibus deposui, cum ille statim ablatam ad communes amicos legendam misit, e quorum manibus cum sæpe respondendi causa quærerem, tandem post multos dies reddita fuit. Qua in re tamen ne grauius tibi Priolum accusandum putes, si omnem culpam in eum transferam, meque omni ex parte liberem, sic habeto, eum, etsi non jubente quidem me, multo tamen annuente, tuas ipsas litteras emisisse, magnamque voluptatem me ex hoc ejus facto cepisse, cum viderem, quæ mihi vehementer placuissent ob singularem ipsarum elegantiam, summamque humanitatem, ac singularem erga me amorem, tum vero maxime propter pietatem, quam in Christum, & Ecclesiam eximiam præseferebant, de iisdem alios, qui multum judicio, doctrina, & probitate præstarent, idem judicium fecisse. Quas cum iterum in manus sumerem, ut illis responderem, & hæc eadem iterum legendo, quæ antea erant clarissima, melius & clarius perspicere viderer, illa mihi ratio magis placuit respondendi, si de eo, de quo mihi hoc tempore gratularis, tacendo, de tuis tantum bonis, de recto isto verorum bonorum judicio, de pietate, & religione tibi vicissim gratularer, quæ omnia uberes in te fructus edere, cum ante actiones tuæ præsentibus, cum literæ absentibus maxime declarant. Quare tibi vere, & ex animo gratulor, ipsumque verum agricolam precor, ut hos tam præclaros fructus ita foveat, ut in dies magis ad honorem suum crescant, & augeantur. Quod si hujus quidem generis fructus in eo, quod mihi delatum est munere

nere efflorescere jam videres, vel germinare, libenter quidem paterer, ut mihi gratulareris; sed in tam tenera adhuc planta hæc neque conspici, nec expectari possunt, quæ majorem solis illius justitiæ accessum, & calorem desiderat. Quare in aliud tempus gratulationem differendam censeo. Nunc vero hortatione, & monitione, tanquam fossionibus circa radicem, uti licet, ut tu prudentissime facis, quibus si preces tuas adjungas, quas ad cœlestem agricolam sæpius effundas, hæ, tanquam aquæ irriguæ, facient, ut inexpectati nonnunquam ante tempus fructus, & Deo, atque hominibus gratissimi, ferantur; quorum non minimam partem sibi vendicare potest, qui hoc modo irrigavit. Quare si hoc munus tibi cum aliis commune esse velis, me tibi confertissima mensura redditurum quod debeo, etiam atque etiam polliceor. Vale.

VII.

Georgius Selva Vaurensis Episcopus Reginaldo Cardinali Polo.

NOn falleris profecto, cum tu ita de meo animo judicas, ut me minime suspitiosum esse censeas. Nihil enim est, quod a meo ingenio magis absit, quam aliorum dicta, aut facta male interpretari, eorum præsertim, quorum mihi probitas perspecta sit, de quibus nonnisi ægerrime adduci possem, ut male unquam existimarem. In illis autem cum tu principem locum obtineas, cui ego tantum in omni genere bonitatis tribuam, ut perpaucos habeam, quos tecum conferre possim, mei certe admodum dissimilis, atque in te nimium iniquus fuissem, si hujus te criminis accusassem, de quo in literis tuis ad me scribis, cum id sit ejusmodi, quod in naturam tuam minime cadere posse videatur. Itaque statim te de otio cogitasse, cum tu ad me primum scripsisti, facile mihi persuasi, &

eodem tempore ab ea cogitatione non tuo consilio, sed Dei voluntate, ad hoc genus vitæ multo molestius esse traductum vidi. Quod quo modo acciderit, gratissimum mihi fuit cognoscere ex tuis ad Marchionissam Piscariam literis, quarum exemplum ad me misisti; cujus quidem perelegantem epistolam, & Christiana fæmina dignam, quemadmodum voluisti, ad te remitto. Plura mihi in præsentia scribere non licuit, quod de tabellarii discessu serius sum certior factus. Hoc tamen addam, de quo te minime dubitare velim, me in amore erga te, atque observantia singulari semper constantissimum fore. Vale in Christo. Venetiis iij. Nonas Jan. M. D. XXXVI. M. R.

VIII.

Lazarus Bonamicus Reg. Polo Cardinali.

UTrum Tibi magis, an Religioni Christianæ gratuler, nescio. Utrique certe mirandum in modum gratulor; sed Tibi, quod in eum locum ascenderis, unde præclarum lumen virtutum tuarum ab omnibus clarius conspici, & quamplurimis prælucere ad veræ religionis pietatem, & decus poterit, ipsi vero Religioni propterea, quia ex una dignitate homines video eligi coeptum esse, non ex copiis, ut antea videri fortasse poterat, atque diuitiis. Nam etsi in Contareno, singulari viro, idem prius factum erat: eo tamen minus Pontificis animus apparebat, quo plures varie interpretabantur Pontificis propositum. Nunc vero ipsius constantia omnia ad rem Christianam constituendam referendi, ea fundamenta jecit, ut sperent omnes istam dignitatem, in qua te virtus tua collocavit, multo apud omnes augustiorem, ac venerabiliorem fore. Quod utinam aliquot jam annis factum esset; istius enim Ordinis auctoritatem non eam, quæ esse coeperat, sed eam, quæ olim fuit,

fuit, hoc est amplissimam, haberemus; de qua multa scriberem, Teque cohortarer, ut non tam a Paulo III. quam ab ipso Deo, in Summorum Patrum Collegium cooptatum esse existimares; qui dies, ac noctes excubares, & Reip. Christianæ diligentiorem, quam tui ipsius, procurationem susciperes, nisi impetus animi tui diuinos penitus nossem. Siquidem es ausus, rei Christianæ causa, similia tuorum, quos ego ita miror, ut in Religione nostra nihil æque mirabile multis jam sæculis extitisse putem; a quorum crudelissima & nefanda cæde tu unus superfuisti, qui Religionem possis singulari doctrina, dicendi gravitate, & copia, vita denique, & factis defendere, & in priscam dignitatem vindicare. Quod ut Tibi maximæ curæ sit facere, non es rogandus: nam ἐνθουσιασμὸς *ille tuus nos non latet. Ut vero id facias, etsi Tibi prudentia non deest, sed abundas potius; summa tamen mea erga Te observantia, ac pietas, hoc mihi facile concessit, ut Te etiam, atque etiam obsecrarem, nihil Tu quidem in ratione vitæ mutares (quid enim esse potest sanctius?) sed tamen eam & fideli custodia, & majore diligentia contra iniquitatem temporum sepires, Teque nobis conservares; quo enim diuturnior vita tua fuerit, eo in dies magis, atque magis & utilem, & nomini Christiano saluti, atque ornamento speramus futuram. Priulo, & Rullo plurimam salutem adscribimus. Vtriusque lætitiam incredibilem cernere videor, ideo utrique pariter & utrique summe gratulor. Vale. Patavii iij. Cal. Januarii M. D. XXXVI.*

IX.

Reg. Polus Cardinalis Lazaro Bonamico.

UT debitores facere solent, mi Lazare, quibus non voluntas, sed facultas deest, unde ex præsentibus fructibus solvant, si in temporis intervallo aliquam spem ha-

habeant, dies a creditoribus auferendo, fidem suam tuentur; idem mihi tecum nunc faciendum judico, qui cum gratulationem litterarum tuarum accepissem, statim quidem me debitorem respondendi tibi agnovi: sed tamen, ut, si solvere debeam, dies aliquot abs te auferam, sit necesse. Nec enim præsentes fructus ejusmodi sunt, ut ex his confidam, me, quod debeo, posse persolvere. Quod si verbis me tibi satisfacere potuisse existimassem, cum Epistolam tuam gravem, & plenam amoris, atque judicii, atque pietatis accepissem, nunquam quidem mihi verba defuissent, quibus facile tibi responderem. Quid enim magis promptum fuisset, quam ita dicere? eam mihi gratissimam fuisse, & cum amorem tuum in me vehementer amplecti, tum pietatem in Deum, & Ecclesiam ejus, quam tuæ literæ mirabiliter expressere, maxime exosculari. Quæ cum ex animi sententia dixissem, quod ad verba attinet, etsi nihil aliud adderem, non video quid desiderare posses. Verum, cum non verba te, sed res expectare, tota tua Epistola declares; ideo spatium a te mihi concedi postulo, dum a domino istius vineæ, unde omnia, quæ vel ad mea debita persolvenda, vel ad tuendam vitam præstentur, depromere soleo, hoc impetrem, ut mihi de suis fructibus tantum donet, quantum ad liberandam meam apud te fidem sufficiat. Hoc quidem ab eo petere non desino; cum autem totius bonitatis, & benignitatis sit fons, & exemplar, difficile in hac mea postulatione futurum nihil timeo: sed ad celeritatem tamen, si primo quoque tempore hoc debitum exigas, nihil quidem magis adjuvabit, quam ut ipse quoque apud eundem dominum advocatum te meæ egestati præbeas. Quod si feceris, non modo de meo debito tibi statim satisfactum iri auderem polliceri; sed quia benignitatem ejus sum expertus, magnum quoque præmium tui patrocinii te reportaturum. Quare non tam mea causa, quam tua, peto, ut causam meam suscipias: hoc vero maxime, quod debitoribus molestissimum esse

solet,

ſolet, ut me ſæpius per litteras, quando coram non potes, de debito appelles, in hoc credas mihi, velim, ex tuis in me officiis nihil te mihi gratius facere poſſe. Vale. Roma iv. Cal. Februarii M. D. XXXVII.

X.

Lampridius Reg. Polo Cardinali.

Calandra, qui meo Principi a ſecretis eſt, vir & bonus, & eruditus, quod carmen ad te meum legerit, me tibi non vulgariter charum eſſe exiſtimavit. Quare cum iſtinc ei litteræ fuiſſent allatæ, ex quibus illud quoque perſpexerat, Te Cardinalem ſumma Pontificis voluntate declaratum, continuo mihi optatiſſimum nuntium deferri voluit. Repente igitur elatus ſum lætitia. Nec ſatis memini, an unquam alias majorem ulla ex re, aut parem perceperim voluptatem, non modo quia hæc animi commotio conjunctioni debebatur noſtræ, ſed etiam quod veniſſe tandem tempus intelligo, in quo mores, & vita in habendis honoribus ſpectantur. Paulo igitur primum gratulor, quod te ſuo maximo beneficio dignum propter ſingularem virtutem tuam eſſe ſtatuerit, deinde tibi, quod a Paulo acceperis, hoc eſt a Pontifice, non falso Maximo & Sanctiſſimo. Quod vero ad dignitatem pertinet, lætor quidem & opto, ut eam tibi Deus fortunet, meum tamen ſemper judicium fuit, quantacumque tibi acceſſio gradus & amplitudinis obtigiſſet, fore ut non tu ex honore ſplendorem, ſed ex te honor conſequeretur. Vale & meum Flaminium meis verbis ſaluta. Mantuæ tertio Cal. Jan. M. D. XXXVI.

Reg.

XI.

Reg. Polus Card.
Benedicto Monacho Ferrarienſi.

EX tuis literis, quas proxime accepi, in quibus de ſuſcepto Cardinalatus ſive honore, ſive onere appellare malumus, mihi gratularis, video te magno mearum quoque litterarum deſiderio affici, quæ certe tibi merito tuo debentur. Cum enim iterum nunc ad me ſcripſeris ea, quæ me magno gaudio replerunt, ut quæ eum ſpiritum maxime ſaperent, cujus ego afflatu ſolo, quandocumque ſentio, non recreor ſolum, ſed totus lætus, & alacer fio, jure quidem tu meas litteras exigere potes. Sed ſi ob eam cauſam requiris, quam litteræ tuæ ſignificant, ut argumentum habeas, me tui non prorſus eſſe oblitum: quid tu, Pater Benedicte, an hoc abs te timeri poteſt, in eo preſertim amore, qui a Deo eſt benedictus, qui non in carne, & ſanguine, non ex indigentia eſt ortus, ſed ex plenitudine ejus, qui nunquam deficit, in quo omnia, quæcumque ſunt, æterna ſunt? An non talis eſt noſter amor? An non tale principium habet? Habet quidem, cujus odore ſolo hic fruimur, tanquam odore agri pleni, cui benedixit Deus; fructus vero expectamus, ea copia, & ubertate, atque duratione, ut citius Cœlum, & Terra interitura ſint, quam hi deficiant, qui ſane ex ea arbore pendent, cujus ne folium quidem unquam defluet, ſed una cum fructibus, & foliis in æternitate permanebit. Non ergo timendum eſt, qui a tali radice ortus eſt amor, ne unquam intermori poſſit, niſi forte illud de me timendum tibi exiſtimaſti, ne a radice aliquando ipſe avellar, ſed hoc te minime tum timuiſſe, cum ſcriberes, tua gratulatio ſatis oſtendit. Sic enim gratularis, quaſi de novo aliquo vinculo, & eodem fortiſſimo, quo arctius, & firmius cum radice conjungerer. Qua in re etſi illud valde aſſentior,

tior, ob id inventum, & institutum hoc vinculum fuisse, ut arctior conjunctio æternæ arbori fieret; tamen cum eos recordor, quibus hoc idem vinculum non tam causa conjunctionis, quàm occasio sempiternæ separationis fuit, qui neque tibi ita ignoti sunt, ut eos nominare sit necesse, nec tam pauci, ut facile memoriam tuam effugere possint, timoris quidem plurimas causas, gratulationis vix unam video. Equidem ut apud te, qui mihi in Christo es conjunctissimus, nihil dissimulans dicam, sed omnem sensum animi mei, quem tum habui, aperiam, cum hoc munus Cardinalatus mihi, ut acciperem, proponeretur, & eodem tempore hortator adesset ille Reverendissimus, cui te tantopere commendari, in tuis litteris desideras, ut hanc, quasi novam Sponsam cum gaudio acciperem; nihil quidem longius ab animo meo abesse sensi, quam animi alacritatem, & gaudium, ut multo promptius responsurus fuerim, si meo animo satisfacere licuisset, quæ Thobias juvenis Azariæ Angelo hortanti, ut uxorem illam, cujus plures Viri interjerant, acciperet, in hanc sententiam respondit: Audio, quia tradita est septem viris, & mortui sunt; sed & hoc audivi, quia Dæmonium occidit illos. Timeo ergo, ne forte hæc mihi eveniant, & cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad Inferos. Nosti Historiam illam, quam sic expressam in casu meo videre videbar, ut, cum mihi in peregrina regione tam periculosum conjugium offerretur ab eo, quem, quasi ducem itineris, mihi a Deo missum jure videor posse dicere, omnia fere paria in meo casu, & illius juvenis, de quo Scriptura loquitur, agnoscerem; maxime vero tum Azariam illum Angelum a Deo missum in R̃mo Contareno agnovi, cum tergiversantem me, & timoris causam confitentem, totidem pene verbis confirmaret, quibus Thobiam Angelus; cum mihi primum narraret, in quos Dæmonium prævaleret, deinde, quo pacto continens essem, ut orationi totus vacarem,

qua

qua maxime omnes Dæmonii vires infringuntur, admoneret. Quid quæris, homo Dei? Azarias iste mihi persuasit, ac maxime quidem, cum spem etiam injecisset, Dei benignitate facile fieri posse, ut tanquam Thobias patrem cœcum, sic ego Patriam hoc tempore non satis clare videntem clariori luci aliqua ex parte restituerem. Qua in re si, ut in reliquis omnibus, eum & fidelem, & ducem certissimum sum expertus, sic in hoc vatem verum Deus facere dignetur. Tum quidem libentius gratulationes audiam, cum, quæ nunc in spe sunt, ad Dei honorem & patriæ salutem, re ipsa fuerint impleta. Sed utcunque hac in re divinæ providentiæ statuere placuerit, vides, nunc me magis, quam antea unquam, oratione tua, & omnium egere. Quare te quæso, ut non solum in id, quod perpetuo te facere scribis, ipse incumbas, ut scilicet pro me ores, sed etiam fratres tuos, qui iidem fratres mei sunt, charitate Christi ad hoc idem pro me adducas, quibus uniuersis, & singulis me ex visceribus charitatis commendo. Vale. Romæ.

XII.

Stanislaus Hosius Polonus Reg. Polo Card.

ANtea pudore deterrebar, quominus aliquid ad Te literarum darem: ita enim judicabam, nihil, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, scribi ad Te oportere, qui cum tam ampla fortuna tantam eruditionem conjunxisti, quantam tui loci, atque Ordinis alius fortasse nemo. Imbecillitatis itaque suæ, vel potius ruditatis, conscius animus, a scribendo refugiebat; nunc autem vicit pudorem lætitia, cujus quanta vis esset, nunquam ante, peræque atque nunc, intellexi. Quanquam enim natura mihi nimium quendam, planeque subrusticum pudorem attribuit, qui me plus æquo reddidit meticulosum, multosque

que perſæpe conatus meos retardat; ſimul atque tamen fuit mihi renunciatum, Te a Paulo III. Pont. vere Maximo Optimoque, in Cardinalium numerum eſſe cooptatum, tanta fuit gaudiorum vis, quibus incredibilem in modum exultabam, ut omni verecundia profligata, omnique metu prorſus abſterſo, tenere me nulla ratione potuerim, quin diuturnum ſilentium iſtud meum rumperem, teque litteris meis appellarem, quodque eum, qui virtuti tuæ debebatur, fructum ſis conſecutus, Tibi gratularer. Etſi, quid potiſſimum Tibi gratuler neſcio; An quod cum Sadoletis, & Contarenis cooptatus es, Roffenſes quoque, & Eraſmos, collegas habiturus, niſi crudelis mors hunc illis honorem invidiſſet. Eſt aliquid procul dubio ad tantum hunc dignitatis gradum perveniſſe; ſed videre tamen pleroſque licet, hæc virtutis inſignia abſque virtute conſecutos. Quare mea ſemper hæc fuit & eſt opinio, plurimum ad laudem, & gloriam intereſſe, non quem, ſed a quo ſis honorem aſſecutus. Quamobrem gratulor Tibi, Vir clariſſime, honorem iſtum non ambitioni, verum virtuti Tuæ, doctrinæque, ultro delatum; gratulor judicium de Te Pontificis, ut ſummi, ita ſumma prudentia, ſapientiaque præditi; gratulor denique Collegarum dignitatem, ex quibus tamen non plus ad Te, quam ex Te ad illos, honoris & ornamenti redundare video. Deum precor, ut honorem hunc Tibi fortunet, quo Petri navicula, variis jam fluctibus agitata, ſævis procellis, & tempeſtatibus diu, multumque jactata, Tuo, Collegarumque tuorum conſilio, ita gubernetur, ut ad optatum quietis, & tranquillilatis portum tandem aliquando pervenire poſſit. Quod ſupereſt, opto Te dignitatem hanc rite, atque e Republica Chriſtiana, complures annos feliciter gerere, atque ut qua ſemel cœpiſti, eadem ſemper deinceps voluntatis tuæ in me inclinatione propendere pergas, etiam, atque etiam vehementer peto. Cracoviæ vij. Idus Aprilis. Anno Domini M. D. XXXVII.

XII.

Reginaldus Polus S. R. E. Cardinalis Stanislao Osio Polono.

VEnio nunc longo intervallo ad tuas litteras, quas tu ante aliquot annos ad me dedisti, in quibus mecum humanissimis verbis, & cum pietatem magnam erga Deum, tum in me singularem observantiam declarantibus, de hac mea cooptatione in Collegium Cardinalium gratularis. Ad quas, quod hactenus non responderim, non tui quidem oblivio, aut quod non gratissimas tuas litteras habuerim, in causa fuerunt; sed quod quo tempore illæ mihi redditæ fuerunt, difficillimis quibusdam negotiis eram implicitus, iisdem quæ me postea in eas provincias longe ab Urbe abduxerunt, ubi nulla ad te litteras dandi esset opportunitas. Nunc vero, ut Cives aliquot tuos hìc adesse cognoveram, statim de te illos interrogari feci, qui ut ad me omnia, quæ volebam, retulerant, admonitus ab uno, qui ad me salutatum in discessu suo venerat, si quid ad te vellem, has litteras dedi, ex quibus velim tibi persuadeas, me, ut indoli tuæ ad omnem pietatem, virtutem, atque doctrinam florescenti, cum Patavii adolescens litteris operam dares, favebam; sic nunc, postquam a tuis edoctus sum, præclaros fructus easdem virtutes edere, non potuisse non maxime gaudenti animo audire. Quare si quid sit, in quo ex hoc loco, in quo positus sum, tibi gratificari possum, de eo abs te admonitus, faciam, spero, ut reipsa experiare, gratulationis tuæ fructum te minime amisisse. Romæ xxx. Novemb. M. D. XL.

Gas-

XIII.

Gaſpar Card. Contarenus Reginaldo Cardinali Polo.

Accepi a Ludovico Becatello, familiari meo, qui ad nos rediit, te prima die itineris (ut mihi fere ſemper accidit) aliquid incommodi ſenſiſſe, recte tamen valere. Sane fuiſſem aliquanto magis perturbatus, eſſemque magis ſollicitus pro ea, qua te proſequor, obſervantia, niſi mihi dudum perſuaſiſſimum eſſet, te a Deo opt. max. dirigi, ejuſque ope evaſiſſe tuæ Gentis tumultus, ac demum ſumma ejus providentia ſervatum eſſe, ut commune Reip. Chriſtianæ bonum, ac præſertim tuæ Nationis, tua opera inſtauretur. Ibis tutus per medias inſidias hoſtium, non tantum eorum, quos videmus, ſed eorum præcipue, quos non videmus, qui charitatis, & unitatis inimici, multiplices tibi laqueos tendent; ſed fortior eſt, quem in te eſſe ſentio. Hæc ſpes adeo animo meo inſedit, ut mihi perſuaſerim, nil tibi officere poſſe. Verum, nolim, ut eo hanc fiduciam pertinere putes, ut non adhibeas propterea diligentiam, & operam, ut bonam valetudinem ſerues, & pericula evites, quantum cum prudentia tua, tum maxime conſilio Epiſcopi Veronenſis, aſſequi poteris, cui in rebus quæ ſpectant ad incolumitatem tuam in omnibus pareas, velim; tibique compertiſſimum ſit, hanc omnium maximam Diaboli fraudem, ad probos, & prudentes Viros decipiendos, ut eis ſcilicet perſuadeat, ita Deo fidendum, ut nihil præterea proſpiciendum ipſis ſit, atque ut ſibi fidant in hac Dei fiducia, quam conceperunt, ut nullius conſilio parere debeant. Prior ad præſumptionem, & tentationem Dei pertinet, poſterior etiam ad ſuperbiam. Vitabis hos laqueos, quantum poteris, reſque omnes, quæ ad te pertinent, committes tuto Veronenſis Epiſcopi judicio, qui tibi a ſpiritu Dei datus eſt comes. Hæc ideo ſignificare

care tibi volui, quoniam de Ludovico familiari meo audivi, te fuisse aliquando contumaciorem in parendo ejus consilio de tuo victu, & esu piscium. Cave, nefasque putato quidpiam agere præter id, quod Episcopus in primis, & Priolus noster tibi dixerint facienda. Nos omnes valemus, expectamusque avide tuas litteras. Vale in Domino, qui dirigat gressus tuos, & in te habitet. Ex Roma die xv. Februarii M. D. XXXVII.

XIV.

Reginaldus Card. Polus Gasp. Card. Contareno.

VT neminem unquam abs te asperius litteris acceptum esse facile perspecta naturæ tuæ lenitas mihi persuadet, quam me, in his litteris, quas proxime ad me ex sermone Becadelli nostri scripsisti; sic erga neminem majorem amorem te declarasse, eadem quidem verborum asperitas, & vehemens objurgatio ostendit. Agnovi tamen patris vocem, & quidem vehementiorem, quo magis filii saluti indulget, cui cum me minus operam dare aliorum querelæ ad te detulissent, hæ te excitarunt, ut omni jure tuo, quod summum est, & non aliud quam patris in filium, in me reprehendendo utereris. Quod quidem non modo facile patior te fecisse, sed etiam gaudeo, te novo hoc modo, & tuæ naturæ inusitato, quanti me faceres, voluisse ostendere. Ego vero, etsi multa fortasse habeam, quibus jure contra tam iniquos accusatores defendere me apud te possem, tamen obediendo potius his, quibus me in omnibus, quæ ad salutem attinent, parere præcipis, quam meam causam defendendo, his, quæ mihi in literis tuis obiiciuntur, respondere cupio. Cum autem in primis Veronensem proponis, cui vis, ut in omnibus obediam, hujus quidem voluntati, ut scis, ante

ante me ſubjeci, cui ſi maxime obediam, nihil novum faciam, neque ullum novum vinculum ſentio, niſi fortaſſe quod cujus voluntati arctiſſime me adhærere ante cognoſcebam, iſtis verborum ſtimulis, quibus in literis uteris, quaſi clavis quibuſdam, me affixum ſentiam, ut nulla jam ratione diſtrahi queam. Sed quid eſt, quod non contentus iſto uno, cui in omnibus me obedire vis, Priolum etiam noſtrum, alium dominum, adjungis? Atque hic quidem, cum legeretur illa tuæ Epiſtolæ pars, in qua me etiam ejus conſilio ſubiicis, quaſi conſors factus imperii, quod ſtatim in me exercere volebat, mirabiliter ſuperbiebat. Cui cum ego magis, & propter tuas literas, & propter collegam, quam pro voluntate parerem, cum inſolentius erga me ſua authoritate uteretur, cum occaſionem ipſe vindicandi me de eo quærerem, nec reperirem, tandem equus meus, quo ille utitur, quaſi præſentiens voluntatem meam, & quod facere conveniret, nudius tertius eum e ſella excuſſit, non ſine periculo quidem, ſed ſine damno, tantum ut ſuperbiam ejus retunderet, id quod maxime volebam, & nunc multo mitiorem erga me experior. Sed, extra jocum, cum horum voluntati me parere præcipis, nec prudentioribus, nec mei amantioribus te potuiſſe me tradere, & ipſe optime judicaſti, & ipſe maxime experior. Sed nunc, quod ad valetudinem meam attinet, quæ tibi ſcribendi in hanc rationem occaſionem dedit, ſic ſe res habet. Etſi quidem negare non poſſum, me primis illis diebus, quibus iter ſum ingreſſus, valde afflictum fuiſſe, quod prope neceſſe fuit, vel propter ſubitam illam mutationem a ſummo otio, & quiete ad laborem, & negotia, vel propter repentinam etiam una cum labore mutationem victus, & ejus generis, quod laborantibus non ita ſalubre eſt, deinde ventos, & apertum cœlum, cui me ab aliquot menſibus non aſſuefeceram: quæ mihi primum diſtillationes e capite aſſiduas, quæ pectus etiam occupabant

bant, moverunt non ſine febre, quam maxime nocte ſentiebam; tamen ſic nunc his omnibus ſum liberatus, ut jam mihi robuſtus videar ad omnes labores itineris ſuſcipiendos, cui me nunc maxime præparo. Sed neque propter ſuperiores difficultates vllam diem intermiſi, poſtquam Roma diſceſſi, in quo non aliquantum viæ, & quantum per equos licebat, confecerim. Sed nunc, ſi quid addi poteſt, diligentiæ adjungam, quanquam in tempore veniemus, ut ſpero, quo cupimus. Qui enim nos vocavit ad hoc negotium, tempus in manu habet. Sed ut humano more dicam, cum nihil de Conventu illo certo eſſet conſtitutum, quo tempore Michael noſter ex Anglia diſceſſit, ex quo fere omnia pendent, quæ ad negotium illud pertinent, cum etiamſi indiceretur, aſperitas hiemis quæ in illis locis diutius durat, eos vix convenire permittat antequam ego juſta itinera faciendo in illis locis ſim futurus, ubi maxime tractare illa negotia licebit; de temporis anguſtia non ita laboro, & tamen, quaſi laborarem, quantum per valetudinem licebit, & per jumenta, ſine quibus ire non poſſumus, ita properabimus. Ego vero ea ſpe vivo, qua maxime te in tuis frui oſtendis, omnia tandem ad honorem Chriſti, cui ſervimus, & divinam voluntatem Sanctiſſimi Domini Noſtri, quam maxime in hac cauſa oſtendit, cum mihi hoc negotium dedit, eſſe ſucceſſura. De qua ſpe quid ſentiam, alterius erit ad te Epiſtolæ argumentum. Hac enim in re propter quædam, quæ tu ſcripſiſti, & alia quæ Romæ acciderunt, valde animum meum tibi explicare cupio; ſed hæc, quando primum aliquis dies ceſſandi a labore itineris dabitur. Nunc quæ volebam ut S. D. N. ex me ſciret, ad Reverendum Protonotarium Ambroſium ſcripſi. Tu me Reverendiſſimis Patribus omnibus quam humillime commendabis, præcipue vero Reverendiſſimo Decano, cujus lauto hoſpitio Senis ſumus uſi, de quo in aliis litteris ad Reverendum Protonotarium ſcripſi,

psi, ut eodem officio meis verbis apud eundem fungeretur. Salutare etiam dignaberis Reverendissimum Capuanum, cujus liberalitatem in me in imo cordis repositam habeo. Eodem vero officio dignaberis fungi adversus Reverendissimos Sanctæ Crucis, Theatinum, & Carpentoratensem; neque Magistrum Sacri Palatii, & Lactantium nostrum salutare prætermittes, quorum omnium orationes pro me impetrabis. Christus te prosperet. Datum Bononiæ ultimo Februarii.

De summa Reverendissimi Farnesii erga me humanitate, quam in primo hospitio ostendit, & nunc hic per litteras me commendando, ad Reverendum Protonotarium alias scribam.

XV.

Idem Eidem.

AN nutus tuus mihi imperare non potest? & quis unquam mortalium fuit, cui tantum observantiæ & venerationis præstiterim? Certe cum ab ipso Summo Pontifice discessi, cui divina primum lex, & summa ejus in me benignitas, me in omnibus rebus subiicit, nemo est in terris, qui tantum in me juris habeat, & cui promtius in omni re paream, quam tibi; neque hoc te ignorare puto. Quid ergo opus fuit, ut binis litteris de eadem re mecum ageres? Sed veritus es, ut video ne priores mihi redditæ fuissent; & si non fuissent, quid attinebat in hac Epistola precibus mecum agere, qui sola auctoritate, & verbo posses mihi quidvis imperare? Verum ex hoc facile intelligo, quam omnis amor sit sollicitus; nam cum tibi nunciatum esset, me ob genus victus, quod per hos dies mihi præscriptum est, minus valere, non potuisti te continere, quin modo objurgans, vt in prioribus litteris fecisti, modo omnibus precibus obtestans

ſtans, ut in his, quas nuper accepi, me ad curam valetudinis traduceres, & eo genere cibi uti perſuaderes, quod valetudini tuendæ maxime eſſet accommodatum. Qua in re quam tibi, & Epiſcopo Veronenſi, cui in me rebus omnibus parere vis, ſatisfacere cupiam, ex alteris meis litteris, quas Bononia ad te dedi, antequam has legas, cognoſces. Ad quod Epiſcopus videt, & in meo victu experitur, atque (ut nihil diſsimulem) negare non poſſum, me veſtro conſilio obtemperantem ita vires jam refeciſſe, quas ex priori victu, adjuncto aſsiduo labore equitandi, multum deficere ſentiebam, ut aliquot jam annis melius ad ferendos labores corpus meum ſe habere ne recordari quidem poſsim. Itaque dum veſtro conſilio magis quam voluntati meæ, pareo, me non modo ſanum factum eſſe, ſed robuſtum etiam vere dicere poſſum. Verum cauſam vides, cur me ita difficilem præbuerim, & minus morigerum iis, qui maxime ſaluti meæ conſulebant: timebam ſcilicet, ne quod corpori meo prodeſſet, aliorum animis noceret, & offendiculum afferret, quod eo majus etiam eſſe neceſſe erat, quo major eſt perſonæ dignitas, quam nunc gerimus, quam apud Deum, & homines quam maxime integram, & quam minime hominum maledictis obnoxiam ſervare cupio. Sed ſi hoc ſine maioris boni amiſsione fieri hoc tempore non poteſt, ſi etiam Dominus, & Magiſter noſter hic aliquando ſcandala non effugit, ut etiam homo vorax, & potator appellaretur, qui ab iis vitiis, ut ab omnibus aliis fuit alieniſsimus; nos etiam per infamiam, & bonam famam eum ſequamur, præſertim cauſa publica, quæ mihi commendata eſt ſic poſtulante, ut in omnibus rebus rationem ſalutis habeam. Sic tamen hoc moderate agemus, ut niſi res cogat, a recepto more non diſcedamus, ut quam minime fieri poſsit, aliorum animi offendantur. Sed hæc hactenus; neque enim dubitare debes, quod tu hortaris, quod Sanctiſsimus Dominus Noſter præcipit (ut

(ut litteræ Protonotarii declarant) quin id prompte, & libenter faciam, valetudine præsertim idem flagitante, cujus hoc tempore, magis quam alterius unquam, ratio nobis habenda est. Nunc quod mihi omni victu est carius, quod majores etiam vires mihi præbet ad tractanda, & conficienda, quæ in mandatis habeo, quam ullus cibus corpori, quod denique plus momenti habet ipsa etiam salute mea in his, quæ conamur ad honorem Dei, perficiendis; hoc tibi quin ex animo etiam, atque etiam commendem, facere non possum. Id vero tale est, ut nisi scirem ad quem scriberem, ne proferrem quidem, ne ineptus viderer? Sed utcumque aliis videor, tibi videri non possum. Hoc autem illud est, quod unum discedens a Pontifice postulavi. Nihil enim aliud mea causa ab eo me petiisse memini, nisi ut me suis precibus Christo una cum causis, quas mihi imposuisset, commendaret. Hoc scio aliis ineptum visum iri. Quid enim minus vulgo usitatum? Quid magis ineptum, quam a Summo Pontifice discedentem, tanquam ab infimo quodam Monacho, qui nihil majus præstare posit, nihil petere, nisi ut in suis ad Deum precibus mei recordaretur? Sed hæc erit illorum sententia, qui orationis vim, & dignitatem ignorant; ipse certe Pontifex, ut ejus Sanctitate dignum erat, plane meam postulationem accepit, idque se promptissime facturum promisit. Neque nunc aliud abs te peto, nisi ut hanc postulationem meam sæpe apud ejus Sanctitatem renoves, quod (ita me Deus juvet) sic impetrare cupio, ut in ceteris omnibus, quæ ad tuendam vitam sunt necessaria, me ab eo deseri facilius patiar, quam si in hoc uno se mihi minus facilem præbeat. Incredibile enim est, & certe ejusmodi, ut verbis exprimere non possim, quantum sæpe alias mihi alacritatis, quantum spei addi senserim in meis, & deliberationibus, & actionibus, postquam eas bonorum precibus commendavi, ut easdem Deo commendarent ipsi. Incredibile, si narrarem,

quot difficultates, quas animi molestias, quæ meam juventutem præter cæteros exercuerunt, hac una ratione superaverim. Quare nunc majoribus difficultatibus impendentibus, majoribus laboribus, & animi, & corporis, pluribus periculis instantibus, quo alio confugere promptius, & alacrius debeo, quam ad hanc quasi sacram anchoram? Quod si in inferioris ordinis hominum precibus tantum auxilii, & quietis in omnibus adversis rebus expertus sum, quid nunc sperare debeo, si ad aliorum preces adjungatur ejus oratio, quem proximum Christo ordinis conditio collocat, qui ejus vices in terris gerit, per cujus manus, & dispensationem habent quicumque pro populo orant, ut rite orent? Nihil certe tam durum, neque tam difficile esse potest, quod non, eo pro me orante, cum summa rei perficiendæ spe aggrediar. Nam si Moysis oratio tantum virium populo Hæbreorum afferre potuit contra fortissimos hostes, & numero superiores, ut, nisi eo orare intermittente, vinci nullis humanis viribus possent; si hic pro me oret, quem ordinis dignitas supra Moysen constituit, in cujus manu quæcumque salutaria humano generi esse possunt, dispensanda reliquit Filius Dei, qui ea ex Cœlo detulit, quantum spei, quantum roboris ejus oratio mihi contra omnes hostes allatura est? Sed neque hæc scribere ad te necesse fuit, satis fuisset significare; sed in his quæ vehementer cupimus, scis nihil facile posse nos una animi significatione esse contentos. Summa vero totius postulationis meæ est, ut, si quod Moysi accidit, & aliter fieri non potest, manus aliquando graves Pontifici videas, ut eas perpetuo ad Deum tollere non possit, ipse tanquam Aaron assistas, & tuis precibus sustentes. Hoc abs te sic precibus omnibus contendo, ut majore animi contentione nihil possim. Quod ad negotium attinet, quod mihi præcipue mandatum est; antequam in Galliam penetremus, nihil est, ut scis, quod possim scribere. Illic, ut

ut ſpero, cito odorabimur, quid ſperari, quid confici ad Dei honorem, & Eccleſiæ utilitatem, & ejus, qui me miſit, poſsit. Omnino ita animo non deficimus, utcumque difficilia, & periculoſa, quæ nobis mandata ſunt, videantur, ut in dies mihi ſpes creſcat, quas nunc tenebras Dei honori multa videntur offundere, eas Chriſtum in majus gloriæ ſuæ lumen converſurum eſſe; cui te nunc, & perpetuò commendo.

Tu meis verbis Reverendiſsimos Patres, ut tibi commodum erit, quamhumillime ſalutare dignaberis; nominatim vero hoc tempore Reverendiſsimum Hipporegienſem, & non ſolum ut humillimis verbis eum ſalutes, ſed ut gratias ei quammaximas agas, Nepotis eius R. Vicelegati ſumma in me humanitas, & officia hoc abs te petere me cogunt, qui me hic unum diem tanta cum humanitate retinuit, ut in nulla re humaniſsimi Viri officia deſiderare poſſem. Quod etſi ſua ſponte, & inſita humanitate eum feciſſe non dubito, tamen quin magna etiam ex parte Reverendiſsimi avunculi ejus humanitati acceptum referam facere non poſſum. Iterum in Chriſto vale. Placentiæ.

Atque hic quidem cum Epiſtolæ finem imponere cogitarem; neſcio quo pacto, cum cæteris omnibus comitibus viſendæ Urbis cauſa e domo egreſſis, ego ſolus in ædibus relinquerer, qui propter compedes has aureas, quas noſti, non ita commode poſſum exire, cum hic integrum diem maneremus, quod, poſtquam Roma diſceſſimus, prius non accidit, ut unum diem uno in loco commoraremur; quo reliquum hoc tempus quaſi tecum conſumerem, tecum autem conſumere, & quaſi verſari videbar, ſi iiſdem rebus, quæ coram ſolebam, ideſt de iis, quæ nunc meæ curæ committuntur per litteras conferrem; itaque cum prius depoſuiſſem calamum, iterum in manus ſumpſi. Quid vero nunc primum dicam, an magnam, & difficilem me provinciam ſuſcepiſſe? At hoc

quis non videt? Quis nescit? Quæ etiam quibusdam ita difficilis videtur etiam amicis nostris prudentissimis Viris, ut se maxime meam audaciam (sic enim appellant, cum, quod sentiunt, temeritatem dicere nolint) se maxime mirari aperte dicerent. Alii vero nimiam meam simplicitatem damnant, qui in negotia, omnium difficillima, nec minus periculosa induci, & trahi permiserim. Ad hæc ergo quid ego? Quid his respondeo? Illis quidem nihil, sed ipse mecum multa, &, ut mecum, sic tecum loqui jam volo, & hoc tibi primum, me, non minus quam illos, difficultatem videre, sed non propterea deterreri, imo hanc . . . *Reliqua desunt.*

Idem Eidem.

NIsi hoc tempore cum Sanctissimo Domino Nostro conficias, ut rei pecuniariæ angustiis, in quibus jam versor, cito subveniatur, nunquam certe effugere potero, quin, quod ipse modestia quadam ductus feci, imprudentissime, ne dicam stultissime, aliis omnibus factum videatur. Sed id levius fortasse esset, nisi hæc eadem prudentia, & honori ejus, cui maxime consultum a me semper oportet, detraheret, & causæ, pro qua tot laboribus, & periculis memet obiicio, conficiendæ omnem spem auferret. Hoc scribo propter summam eam quingentorum aureorum, quæ mihi ad sumptus itineris in singulos menses a Sanctissimo Domino Nostro est decreta, de qua, etsi ab iis admonebar, qui ante me Legationibus sunt functi, quibus eadem summa decreta est, nimis exiguam esse, neque illa sustineri ullo modo posse tot sumptus, quot comitatus ille, quem mecum ducere statueram, poscebat, & quo minorem, salvo honore ejus, pro quo Legatione fungor, non possem, nisi aliunde vel ex redditibus, vel alia ratione suppeditaretur, quod deesset, idque se expertos semper in suis Legationibus

nibus fuisse, cum privatis pecuniis, quod ex publice attributa pecunia deerat, supplere cogerentur; tamen ego, cum hæc audirem, & crederem, illud autem scirem, nec ex meis fortunis aliquid relictum mihi esse, quod possem addere, nec me alienam opem, præter ejus, qui me misit, expectare, tamen, nescio quomodo, nunquam in animum inducere potui, ut vel verbum hac de re cum Sanctissimo Domino Nostro facerem. Hoc etsi feci usitata quadam mea verecundia, quæ me semper mutum, cum de poscendis nummis agitur, facit; tamen, ut vere dicam, multo magis hoc tempore silvi, fretus generositate illa animi Sanctissimi Domini Nostri, quam toties prædicari a te audivi, & ego maxime sum expertus, sic, ut de summa non valde laborarem, quæ etsi minor fuit, quam tanti sumptus peterent, ab ejus tamen benignitate quovis tempore facile impetrari posse, quod deesset, nunquam dubitavi. Atque hæc quidem sola spes me nunc consolatur, præsertim cum experientia ipsa optima magistra docuerit, majores esse sumptus, quam ut illa pecunia menstrua commode sustentari possint. Id quod tardius fere sum expertus, cum ante angustia rei pecuniariæ me oppresserit, quam de pecunia cogitarem. Quæ res valde me moveret, nisi scirem ad quem scriberem, id est ad amicissimum, & studiosissimum rerum mearum, ac diligentissimum in negociis omnium amicorum suorum, & quo cum hac de re sit agendum, id est cum patrono omnium generosissimo, & benignissimo. Quare satis fuerit hæc significare vel ejus Sanctitati, vel tibi. Tamen, ut clarius omnia intelligatis de rationibus nunc meis, & quo pacto acciderit, ut tam cito de pecunia laborare coëperim, Priolo nostro negotium dedi, ut ad te de his distinctius scriberet. Ego certe, si montes aureos haberem, unde depromere possem, nunquam plane plus, quam ad sumptus necessarios opus esset, quicquam auferrem, &, si minus petere possem, ne hoc quidem peterem, ac neque hoc ipsum petere

petere auderem, nisi tanta me spes teneret hujus negotiis, quod mihi Ejus Sanctitas commisit, eum fore exitum, ut si multo majores sumptus facti fuissent, facile tali animo, qualem scio Ejus Sanctitatem habere, satisfieri posset. Hoc vero scio, quod melius etiam novit Ejus Sanctitas, in nulla rem magis pie, aut honorifice ullam pecuniam insumi posse; speroque Deum Opt. Max. reliqua sic gubernaturum, utcumque difficilia appareant, ut etiam insumptas esse, quantæcumque sint, pecunias, maxime Ejus Sanctitas gaudeat, & una cum eo uniuersa Ecclesia, Christo suam causam adjuvante, cujus te tutelæ perpetuo commendo, & Sanctissimi Domini Nostri pedes osculor. Lugduni XXIV. Martii M.D.XXXVII.

XVI.

Gaspar Cardin. Contarenus.
Regin. Card. Polo.

Cum primum mihi redditæ fuissent litteræ tuæ, datæ Lugduni die xxiv. Martii, simulque legissem, quæ mihi Priolus noster scripserat de angustia rei pecuniariæ, qua laborabatis, dedi operam, ut possem Pontificem alloqui, cui exposui (præfatione usus, quæ mihi facere ad rem videbatur) & angustiam, in qua eras constitutus, & quid deceret Legati dignitatem, præsertim in tam magnis negotiis versaturum; itemque ei legi litteras tuas. Accepit senex optimus amanter omnia, doluitque, te esse in hac angustia pecuniaria, quamvis a Reverendissimo Cardinali Leodiensi speraret nil tibi defuturum. Verum provisurum Pontifex recepit, ut etiam per alios trapezitas pecunia in eis regionibus tibi redderetur, qua indiges: verum nolle se quingentorum aureorum summam, quæ stipendii, seu impensarum nomine, Legatis ultramontanis dari consuevit, augere, ne res traheretur in exemplum ab

ab aliis; sed subventionis nomine, præter constitutam summam, veluti extra ordinem, ut tibi hæc pecunia daretur. Visusque mihi est propensissimo erga te animo, alacrique id polliceri, ac per Reverendum Protonotarium Ambrosium negotium confectum iri. Omnia exposui Bino, familiari tuo, qui quanquam diligentia usus est maxima, tamen, tum ob absentiam Pontificis, tum etiam quia res pecuniaria non facile explicatur, his præsertim temporibus, quibus Pontifici maximæ faciendæ sunt impensæ, non prius potuit negotium hoc expedire, quam hodie. Rem totam ex ejus litteris optime intelliges.

Summopere cupio certior fieri, quo loco constituta sit res Anglicana, quæ sit spes sanitatis. Scis quantopere doleam ratione communis, & publicæ utilitatis Ecclesiæ, nunc eum inspiciam, præter Lutheranorum Schisma, Regnum illud Angliæ, membrum præcipuum hujus corporis, divulsum esse, ingemisco, & doleo quantum scis, immo fortasse quantum nescis, doleo, insuper, quantum Tibi non persuaseris Regis illius, qui oriebatur, ut lucifer, vicem, & casum. Qui fieri potest, per Deum immortalem! ut animus ille tam mitis, tam mansuetus, ut ad benemerendum de hominum genere a natura factus esse videretur, sit adeo immutatus? Deum Optimum quotidie fere rogo, ut ex ejus animo aboleat omne illud, quod ipse non suasit, sed inimicus ejus acerrimus inussit, tibique, qui Regem semper, plusquam vitam tuam, amasti, & coluisti, adsit in hoc negotio, ut per te universa Ecclesia Christi, Rex tuus, ac universa Anglia patria tua, Deo gratias agat, Dei laudes decantet, cum videbimus inventam esse Margaritam, quam amiseramus, & reductam ad Ovile ovem pulcherrimam, quæ deerraverat. Expectamus ergo avide litteras tuas. Tu da operam, ut bene valeas, & eventum rerum, qualiscumque fuerit, læto animo accipias, utpote, qui optime intelligas omnia sapientissime gubernari a summo rerum omnium Opifice, quamvis nos

latuat

lateat sæpenumero gubernationis ratio, & modus. Nolo etiam id præterire, ut quantum potes, conservata dignitate, des operam, ne indigeas extraordinaria ope. Pontifex namque multis impensis onustus est. Nos omnes valemus. Pontifex aggressus est Reformationis negotium; coëpit a se ipso, elegitque quatuor Cardinales, Simonetam, Ginnucium, Theatinum, & me, quibus injunxit, ut diligenter videamus, & corrigamus ea, quæ expediri consueverunt per Datarium. Nos non deerimus officio Christianorum præsulum. Omnes fere Reverendissimi Cardinales favent Reformationi; incipit immutari facies Consistorii, ea quæ proponuntur non ita facile expediri incipiunt, Canones proferuntur, perpenditur quod fieri debet, & quid non fieri; adeo ut magnam spem, non dicam conceperim (quia nunquam desperavi) sed foveam, res nostras quotidie melius processuras. Summopere cupio te, ac Reverendissimum Carpensem nobis adesse, ut pluribus operam dantibus Resp. Christiana facilius instauretur. Concilium dilatum est ad Kalend. Novembres, ob id, quod Dux Mantuæ petierat a Pontifice mille & quingentos pedites, centumque Equites, alendos Pontificis pecunia, ob civitatis Mantuanæ præsidinm. Quæ res visa est allatura fuisse calumniam nobis, utpote, qui nollemus Concilium liberum, si armati hoc præsidio eo venissemus. Locus nondum est constitutus, Pontifex consulet Principes Christianos, ac de eorum sententia locum constituet. De Turcis timor est aliquantum imminutus, nam classis longe minor futura est, quam ferebatur, quamvis ego nunquam putaverim excessuram CL. triremes, ut fortasse meministi. Verum a nobis non video etiam magnas vires comparari. Resp. Veneta habebit classem octuaginta, &, si opus fuerit, etiam plurium triremium, bene armatam, & instructam. Hæc fere sunt, quæ de rebus nostris tibi scribenda fuerant. Vale in Domino nostri memor.

Hacte-

Hactenus jam quindecim dies, & amplius scripseram, expectans tabellarii discessum, cui possem litteras dare. Interim intellexi quæ scripsisti ex Parisiorum Lutetia, & quod profecturus eras Cameracum, difficultatemque quam habebas in hac Christiana tua provincia. Deo Optimo gratiæ sunt agendæ, eique commendanda causa Ecclesiæ, & quidquid evenerit forti animo ferendum. Cætera scribet ad te copiose Binus tuus. Nos valemus, tuique desiderio magno tenemur. Bene vale iterum atque iterum in Domino, Priolo salutem dicito, ac Veronensi me plurimum commendato. Ex Roma die xij. Maii M. D. XXXVII.

XVII.

Reg. Card. Polus
Rodulpho Pio Card. Carpensi.

AD cætera magna, & gravia incommoda, quæ me ut nosti, hoc tempore circumstant, hoc certe vel maximum judico, quod cum in tua prudentia, & pietate, & mea sponte multum, & magis etiam confirmante Pontifice, qui de tuis virtutibus, tanquam qui eas maxime est expertus, libenter loquitur, maximam spem repositam haberem, communicatis tecum rebus omnibus, quæ meæ fidei a communi Patrono sunt commissæ, si non plane eum exitum haberent, quem vellemus, at certe non usquequaque nos spe nostra frustratum iri. Nunc hanc mihi spem sic præcidi video, ut nec conveniendi tui facultas detur, cum prius e Gallia exire coactus sim, quam te videre licuerit. Num aliquid mihi molestius hoc tempore accidere potuit? Huic certe molestiæ, etsi magna ex parte mederi visus est Veronensis, qui se ultro obtulit, ut ad te adiret, & tua consilia in omnibus exquireret, quæ ad me postea referret, quem tanquam alterum me habebis; multumque etiam ante ad leniendum desiderium meum

contulit Franciſcus tuus, juvenis, ut mihi viſus eſt, in omni ſermone, quem cum illo ſatis longum habui, & prudens, & modeſtus, qui tuam mihi voluntatem, & conſilia in omni re expoſuit. Tamen ne hæc quidem ita mederi poſſunt, ut non maximo incommodo me affectum judicem, quod tuo colloquio privor. An hoc ideo fit, quod eorum quæ vetantur, majore deſiderio afficimur, quam ſi omnino vetita non eſſent? An quod tuum deſiderium, quod non minus vehemens fuiſſe, quam meum perſpexi, cum iterum Franciſcum noſtrum hac de cauſa ad me miſiſſes, ut a cœpto itinere paululum in loca Aulæ viciniora diverterem, quo te mihi occurſurum humaniſſime pollicebaris, hoc meum deſiderium magis accendit, & moleſtiam auxit, cum me viderem, non ſolum quod ita Regis nuntio promiſiſſem, ſed aliis quoque de cauſis, quas nunc omitto, ne id facerem, prohiberi.

Itaque invitus quidem tuo deſiderio, vel potius meo reſtiti, quominus eo venirem, ubi ſi non tecum conſilia conferre, (nec enim res jam conſilii ullius humani eſſe videtur, ſed ſic in Dei poteſtate poſita, ut miraculi loco videatur, ſi ulli conſilio ſit locus) ſaltem tempora ipſa tecum deflere poſſem, quod nunc his litteris facere volui. Quid enim aliud poſſum? quid aliud accuſare? cum Regem natura generoſiſſimum, & religione Chriſtianiſſimum, temporibus coactum id facere video, quod nunquam antea factum commemorari poſſit, ut Legatum Romani Pontificis aditum ad ſe poſtulantem non admittat? Hoc ſcio Regem invitum facere. Declarant hoc idem cæteri honores, ejus voluntate, & juſſu, multis in locis, mihi, dum per ejus ditionem iter facerem, habiti; declarat id quod Oratores ejus, antequam Roma diſcederem, non ſolum mihi, ſed Pontifici ipſi conſtanter affirmarunt, cum de hac mea Legatione, & de via perveniendi ad Regem cum ipſis conferretur, gratiſſimum Regi meum adventum fore; cum tamen non deeſſent, qui tunc hoc idem quod nunc

nunc ſum expertus, futurum prædicerent: clamantibus illis, me Regi injuriam facere, qui de ejus voluntate tali in re dubitarem, omni enim loco, & tempore, qualiſcumque eſſem, quamdiu Legatus Romani Pontificis forem, ſemper gratum adventum meum Regi Chriſtianiſſimo futurum. Et certe de ejus voluntate nihil ipſe unquam dubitavi. Sed cum hac ſpe fretus ad fores pene ejus Aulæ perveniſſem, nec tamen intromiſſus ſim, ſed, antequam pulſare poſſem, excluſus fuerim, hoc quid aliud eſſe dicam, quam temporum iniquitatem? Nihil plane habeo quod accuſem, niſi iniquitatem ejus amicitiæ, cui Rex neceſſe judicavit hac in re gratificari, accuſare debeo; quam tamen hac in re non accuſo, nihil enim tale illa amicitia poſtulabat, ſed hoc poſtulabatur, idque a Rege Chriſtianiſſimo poſtulabatur, ut in Oratorem, & Legatum Vicarii Chriſti, Chriſti cauſa ad eum adeuntem, manus iniiceret, & vinctum in Regis inimici poteſtatem traderet. Hic, quæſo, mecum primum conſidera, qualis ſit hæc poſtulatio; ſed hoc ipſe jampridem conſideraſti, quod omnes etiam qui audiunt, ſtatim vident, ſic impiam eſſe, ut commercia humana omnia tollat, quippe quæ jus gentium, ſimul & divinum violat. Quis enim non videt, qui Legatum ab amico Principe (ut nihil aliud dicam) ad ſe miſſum, arbitrio alterius, qui ei ſit inimicus, dedat, hunc omne jus humanum, omnia inter homines commercia tollere, eumdemque, fidem erga Deum, & homines ſimul evertere? Quare non hoc tantum ut conſideres mecum peto, ſed cum talis ſit, qualis omnes vident, hæc poſtulatio, nempe omnium turpiſſima, auſum eſſe aliquem amicitiæ ſpecie a Rege Chriſtianiſſimo id petere, hoc quæro quale tibi videatur eſſe? Meminiſti illud Ciceronis de Catone: O beatum, inquit, Catonem, a quo nemo unquam auſus eſt aliquid turpe petere. Sed ſi magnum excellentis virtutis Catonis teſtimonium hoc fuit, quod inter tot ejus amicos, & clientes, qui ejus opera indi-

indigerent, nemo unquam ausus fuisset aliquid ab eo, quod honestum non esset postulare; qui rem omnium turpissimam ab aliquo petere non erubescat, an dubium esse cuiquam potest, quid de ejus virtute iste judicet? An magis quisquam contemnere, magis despicere aliquem potest, quam, si quæ omnes boni fugiunt, & horrent, hæc ab illo petat, ut faciat? Quid hic valet amicitiæ nomen? Ubi quis, vel ipsa sola postulatione, ostendit se amicum nullius virtutis hominem judicare, ubi ipsa sola postulatio omne amicitiæ jus tollit, cujus prima lex est, ne quid ab amico nisi honestum petamus. Hæc certe cum mecum paululum considerassem, & ad Regem Christianissimum cogitationem converterem, a quo petitur, non solum ut hospitem suum (hospes enim ejus primum sum, qui bona ejus venia ad ipsum in ejus Regnum veni) sed etiam Legatum ejus, qui in terris Filii Dei, omnium Domini, vices gerit, inimico (ut ipse palam profitetur) Pontificii nominis, & Vicariæ potestatis Christi prodat; non possem, non maxime obstupescere tanta Regis Christianissimi patientia, qui vel eos, qui id petierunt, audire posset, vel tam turpi postulatione Majestatem suam contemni, non ægrius ferret. Quod enim ad me privatim attinet, me nihil sane offendit hæc postulatio, immo, ut verius dicam, maxime consolatur, qui hac occasione nunc primum intromitti in Cardinalatus plenam possessionem, nunc vestigia majorum nostrorum attingere, mihi videor, a quibus omnis honor, & dignitas in Ecclesiam defluxit, qui Dei causam agentes, vel honorem, & Ecclesiæ perpetuo procurantes a nullis duriorem persecutionem sunt passi, quam ab iis, quorum saluti præter cæteros favebant. Nam quod ad causam quidem spectat, & summam totius Legationis meæ, ut tu optime nosti, non video, qua in re hæc differat ab illius Legatione, qui dicebat: Pro Christo Legatione fungimur, quæ eadem fuit omnium Apostolorum. Cum enim illa duo capita hæc nostra Legatio

gatio contineat, ut primum de Pace cum Principibus agamus, deinde de Concilio: an aliquid his temporibus, quod magis ad Dei honorem, & ad Ecclesiæ pertineat utilitatem tractari poteſt? Tertium illud, quod de rebus Anglicis eſt adjunctum, an non eodem pertinet? Quid enim aliud mihi mandatum eſt, niſi ut Inſulam fluctuantem in dogmatibus Fidei, & propterea tumultuantem, ac in omne genus ſeditionis erumpentem, cum ſummo Eccleſiæ damno, propter nobilitatem illius membri, quod cæteris exemplum veræ, & ſtabilis Religionis ſolebat eſſe, quantum in me eſſet, qui ex illis eſſem, omni ratione curarem, ut in antiquam ſtabilitatem reduceretur; unde Regno quies, & ſalus, & Regi ipſi honor, & Eccleſiæ pax, ad Chriſti gloriam conſequi poſſet? Hic certe finis meæ Legationis in his, quæ ad res Anglicas pertinent, fuit. Quem ſi nemo reprehendere poteſt, videamus, an viam, quam ingreſſus ſum, ut ad hunc finem pervenirem, alienam a majorum inſtituto quiſquam dicere poſſit. Cum igitur a capite in univerſum Inſulæ corpus hic quaſi morbus defluxiſſet, cui medendi duæ erant rationes, altera per chirurgiam (ut medicorum more nunc loquar) altera per diætam; cumque priorem illam complures in tam inveterato morbo dicerent eſſe adhibendam, id quod ſane multi in Inſula ſe ſentire ſumptis armis oſtenderant; an quod molliorem viam ſecutus ſim, quod rationem per diætam curandi prætulerim, quod ſemper, ut mitior via iniretur, multis repugnantibus pugnaverim, ideo ne erravi? Certe cum ad Regem Chriſtianiſſimum iter pararem, a cujus colloquio nunc excludor, ejus opera, cujus ſalutem maxime expetebam; hanc ſolam viam mihi proponebam, in qua ut ad id quod volebam pervenirem, maximam opportunitatem habere videbatur amicitia duorum illorum Regum; amicitia præterea Regis Chriſtianiſſimi cum ſummo Pontifice, & Chriſti nomine ſumma ejuſdem obedientia, a qua quia alter Rex jampridem

dem defecerat, omnia hinc mala in illa Insula erant orta. Ac maxime quidem idoneus videbatur ipse Rex Christianissimus, qui parem ordine Regem, eundemque amicitia sibi conjunctum, ad eandem, quam ipse sequebatur, obedientiam, ad eandem normam in omnibus iis, quæ ad religionis dogmata pertinent, sequendam hortari, & pertrahere, omnibus modis conaretur. Quantam vero occasionem id ei persuadendi dabat motus ille populorum nuper in Anglia ob has causas excitatus? qui quamvis pro tempore sedaretur, tamen ille nunquam nisi constitutis rebus religionis securus futurus esset, ut hoc ei consilium vel salutis, & incolumitatis suæ causa maxime sequendum videretur. Hæc quidem summa erat omnium, quæ mihi cum Rege Christianissimo Angliæ causa agenda erant. Multa autem omitto de ratione, & via, quam excogitaveram, ut etiam cum summo Regis Angliæ honore, & cum universæ Ecclesiæ gaudio hæc fierent, quæ si minus ille a me initio audire vellet propter alienatum a nostro ordine ejus animum, adducebam mecum illum, cujus summa officia amoris, & pietatis plena in ipsum Regem extiterant, dum rerum Romanarum sub Pontifice Clemente gubernacula teneret, quem tota nostra Natio amicissimum semper, & officiosissimum in se est experta, cujus etiam officia sibi gratissima Regem prædicantem sæpe audiveram. Is est Veronensis Episcopus, non minus etiam ob similia officia erga se Regi Christianissimo gratiosus, in primis autem Deo carus, cui sic in munere Episcopali jam multos annos inservit, ut omnes eum tamquam exemplar quoddam singulare justi, & veri Episcopi suspiciant, quale vix multis sæculis Deus populis donare solet. Hunc igitur maxime idoneum judicaveram, qui duobus his Regibus ea persuaderet, quæ utriusque dignitatem maxime decerent, ad alterius vero salutem etiam in primis conducerent, eumque ab Episcopatu suo abstractum interposita summi Pontificis auctoritate, & jussu, hac de causa mecum

mecum adduxi. Habes nunc, qualis sim Regis Angliæ in his proditor. Et quoniam præclari illi ejus Consiliarii hoc ipsi persuaserunt, ut litteris ad Regem Christianissimum scriptis, me proditorem appellaret, & reum læsæ majestatis diceret; ego sane Regem Christianissimum judicem non recuso, immo exposco. Nec vero deerit, ut spero, occasio, qua non solum apud Regem Christianissimum, sed apud omnes Reges Christianos, denique in conspectu universæ Ecclesiæ, qualis sim proditor, declarare possim. Illi vero, qui, hoc Regi ut scriberet, persuaserunt, si non satis se proditores ejus Majestatis ostenderunt, cum ipsum, natura in religione propensissimum, institutorumque majorum suorum maxime observantem, modestum, benignum, sua sponte liberalem, & clementem, ita prorsus depravarunt, ut, qui nulli unquam Regum in mentem venissent, honores concupisceret, Ecclesiæ dogmata mutaret, Ecclesias spoliaret, Monasteria everteret, Ministros Ecclesiæ vexaret, eos denique crudelissime interficeret, quibus nunquam illa Insula meliores tulit, nec doctrina, omnique virtute præstantiores, qui iidem summa etiam in ipsum Regem fide erant, quod non solum dico propter Roffensem, & Morum, in quibus hæc omnia maxime elucebant, sed propter reliquos omnes, qui ob eandem causam sunt necati; si hæc, inquam, consilia authores illorum nondum proditores Regis satis declarant, vel hæ certe litteræ, eorum suasu scriptæ, quales vix latro ad latronem scriberet, quales sint proditores, maxime ostendunt. Nec enim, si ad latronem venissem Legatus, nedum ad Regem, eundemque Christianissimum, ullum alium latronem inveniri potuisse arbitror tam oblitum juris naturæ, quod etiam hac in parte ipsi latrones observant, ut sibi licere existimaret ab illo petere, vt Legatum sibi dederet. Quare qui hoc Regi Angliæ persuaserunt, ut ab altero Rege peteret, eodemque Christianissimo, ut sibi Legatum traderet, qui ad ipsum in ejus

ejus fidem venisset; si lædere majestatem Regis est proditorem esse, ecquæ res esse potest, qua magis Majestas Regis lædatur (si hoc tamen lædere Majestatem est, ac non potius tollere, & delere) cum quis Regi auctor est, ut ea petat, quæ omni honestati, pudori, & humanitati repugnant, ut is quidem omni naturæ sensu animum hæc petentis, aut jam spoliare, aut spoliare velle se ostendat. Sed nec tam impietate postulationis suam illi proditionem indicant in ea persona, quam nunc gero, qua tutus omnes apud gentes, etiam a Christiana Religione abhorrentes, esse deberem, præsertim si tanquam Legatus admissus fuissem; quam certe remota ea, si hoc tantum spectetur quam personam a puero semper gesserim, si, qui amor erga Regis salutem meus fuerit ex totius vitæ meæ cursu, ex actionibus omnibus, atque studiis, & moribus consideretur, si, quam multa hoc tempore concurrerint, ut illi, & domi, & foris usui esse possem; si, quanta animi contentione egerim, ut Regi ad illius incolumitatem, honorem, & ad Regni quietem inservirem, cogitetur, quod maxime ex hac Legatione suscepta omnibus perspicuum esse potest; cum ii, qui me talem, ut proditoris loco haberet, Regi persuaserunt, perniciosissimos se proditores esse, non possunt non maxime declarare. Quod vereor ne serius Rex ipse tandem intelligat, cum in lucem majorem illorum, & meis consiliis prolatis, sero salutaria requirat.

Sed hæc hactenus. Quæ ad te scripsi verbosius fortasse quam par erat, tum ut resarcirem quæ videor perdidisse tecum colloquia, etsi in hoc quidem non videbar minus verbosus esse posse; tum etiam quod volebam tibi constare, post hunc minime expectatum casum quali animo fuerim, qui certe idem est, qui ante fuit, id est tranquillissimus, id quod Dei summo beneficio tribuo. Illud autem, me maxime confirmat cogitantem, si Deus me ministro uti velit ad res Ecclesiæ in Patria mea ad ejus hono-

honorem componendas, nihil prorſus horum conatus efficere poſſe ad id impediendum, etiamſi univerſus Orbis cum illis conſpiraret, & una omnes ſpiritales nequitiæ in cœleſtibus; ſin aliter Divinæ providentiæ viſum fuerit, nedum completæ ſint iniquitates Amorrhæorum, noſtroſque homines majoribus adhuc calamitatibus afficere Deus ſtatuerit, & his, qui ſanguinem innocentem quærunt, permittere, ut deſiderium ſuorum expleant; modo id ad honorem ejus redundet, id quidem in meo ſanguine fieri, non ſolum non ægre feram, ſed ut quam citiſſime fiat, maxime ab ejus benignitate precabor, atque hoc ſummum beneficium Summo Pontifici ſemper debebo, quod mihi æternum portum jam diu ſpectanti, compendioſiſſimam viam eo perveniendi, ex hac Legatione mihi patefecerit. Datum &c.

XVIII.

Regin. Card. Polus
Erardo Cardinali Leodienſi.

HEri familiarem meum, nobilem Virum, & mihi a ſecretis, ad Illuſtriſſimam, & Reverendiſſimam D. T. hinc miſeram, qui ut minore periculo, atque impedimento iter Bruxellam uſque faceret, ubi audieram te Sereniſſimæ Reginæ in conſiliis adeſſe, ab Epiſcopo hujus civitatis impetraveram, ut unum ex ſuis ei comitem, & ducem itineris daret, qui ambo cum Valentianam veniſſent a Duce, qui ei oppido præeſt, meus familiaris prohibitus eſt, quominus coëptum iter proſequeretur, quod is diceret, ſe in mandatis a Regina habere, ut nemini tranſeundi poteſtatem faceret, de quo non prius ejus ſententiam ſciſcitatus fuiſſet. Itaque ad me coactus eſt redire. Mihi autem valde novum viſum eſt, qui

F litte-

litteras ad primarium Reginæ Consiliarium afferret, ut ad ejus Aulam recta proficisceretur, hunc transitu prohibitum fuisse, præsertim ab eo, qui Reginæ voluntatem in omni re sibi sequendam profiteretur. Et tamen non possum existimare, illum non omnino ex officio fecisse, quem audio esse humanissimum, cujus rei ex humanitate hujus Episcopi, illius fratris, quam summam experior, conjecturam facio. Sed cur non possim non dicere valde novum hoc mihi videri, exponam Illustrissimæ D. T. cujus etiam opem in hac re maxime requiro. Satis autem exponere videor, si illud dicam: urgentibus maxime duobus Cæsaris Oratoribus, altero ex Anglia per litteras, altero Romæ, Summum Pontificem hoc mihi Legationis munus detulisse; si dicam, nihil, quod ad ipsam Legationem, nihil quod ad viam, & ad totum iter pertineret, non modo sine eorum consilio, & hortatu, sed pene non illis impulsoribus factum esse. In his enim omnibus Sanctissimus Dominus Noster ab illis se regi passus est, atque illustris quidem Comes Syphontis, Cæsaris Orator, & Ortis Doctor, is qui Catherinæ, Angliæ Reginæ, dum viveret, causam Romæ agebat, & nunc res Cæsaris procurat, ut per Galliam iter facerem, me maxime reclamante, sed tandem illorum sententia vincente, pene compulerunt. Illi iidem, cum ego socium consiliorum, & laborum, hominem prudentem, & expertum, atque in rebus ad Ecclesiæ Dei honorem procurandis acrem conquirerem, ac tandem, maxime jubente Summo Pontifice, Episcopum Veronensem, qui quietem eam, qua multos jam annos in munere suo obeundo fruebatur, invitissimus relinquebat, mihi adjunxissem, de nulla re mihi magis sunt gratulati; cum & apud me, & apud Pontificem ipsum, Episcopi pietatem laudarent, qui summam pietatem in residendo in suo Episcopatu, ubi summa illorum, quibus præerat, utilitate, quietus degebat, majore pietate vinci passus est, dum quietis, & privati suorum commodi

modi studium relinqueret, & ad omnes labores, & pericula sese offerret, ut publicæ causæ Dei, & Ecclesiæ, quæ meæ fidei est commissa, adesset. De itinere vero sic conclusum fuit, ut si iter facerem per Galliam, finis itineris, si minus in Angliam transeundi daretur occasio, in Flandria esset, ubi omnem facultatem perficiendi, quæ ad negotia publica pertinerent, expectare possem. Quoniam vero non unum tantum caput mea Legatio continebat, de rebus Anglicis componendis; sed illa etiam de Pace inter Cæsarem, & Regem Galliæ, & de Concilio generali, de quibus cum omnibus Principibus mihi agendum erat, quorum ditiones attingerem, sic etiam constitutum fuit, ut per Galliam transiens, sin minus res Anglicæ ita ferrent, ut commode Regem adire possem, Episcopum Veronensem ad eum mitterem, qui de Pace, & Concilio, cum eo ageret, ipse interim aliquo in loco consederem, ubi, quantum rerum Anglicarum ratio pateretur, Episcopum ipsum expectarem, qui cognito Regis animo in duabus illis causis statim ad me rediret.

Hæc, inquam, omnia tunc ex Oratorum Cæsaris sententia, & voluntate, Sanctissimo Domino Nostro iis plane assentiente, ita constituta sunt, nec quicquam adhuc aliter factum est. In itinere autem, postquam Galliam sum ingressus, cum mihi data esset spes, aditum mihi ad colloquium cum Rege de his, quæ ad Legationem meam pertinebant, paratum fore; ubi Lutetiam perveni, Rex, ne ab illo id peterem, misso ad me uno ex suis Purpuratis, meas preces antevertens, a me prior postulavit: hoc enim ab eo, sic Regis Angliæ Oratoribus urgentibus, flagitabatur, ut temporibus id suis, & necessitati dare cogeretur. In cæteris me honorificentissime tractavit, ut, cum ego peterem, ut saltem liceret, Veronensem cum eo de his, quæ ad Pacem, & Concilium pertinent, agere, aditum non negaverit. Itaque ad eum in Castra est profectus; & cum ex primo congressu Regis animum alienum a

Pontificiis consiliis, & hortationibus de induciis comperisset, amplius sibi morandum cum Rege non statuens, ad me statim revertit. His sic actis, quæ in Gallia nobis agenda erant, istuc jam, quo ab Oratoribus Cæsaris, assentiente ipso Pontifice, destinati sumus, pergere cupimus, ut reliqua, quæ ad Legationem pertinent, tutius, & commodius peragamus. Atque hic, Illustrissime, & Reverendissime Domine, si humanitatis in Gallia, quasi gutta aliqua degustata, flumina benignitatis, omnisque humanitatis in Cæsaris ditione nobis promitteremus, merito quidem id facere videremur; nil enim nobis cum Gallis, plus quam cum hospitibus in diversoriis publicis, per eorum provinciam iter facientibus, fuit; finis vero itineris, si Anglia prohiberemur, Cæsaris provincia ab ipsis Cæsaris Oratoribus proposita fuerat. Nunc vero cum per Galliam transiens, ipse, cum universo comitatu, honorifice ubique, & summa cum humanitate acceptus fuerim, postquam Cæsaris ditionis fines attigi, ne uni quidem ex meis, & ei, qui litteras ad tantum Virum, tanta auctoritate præditum, quantam Illustrissimæ D. T. omnes tribuunt, afferret, transeundi facultas data sit; hic me justam mirandi causam habere, non negabit, opinor, Illustrissima T. D. sed ita tamen miror, ut eo usque suspenso animo futurus sim, quoad hujus rei certam causam plane intelligam. Tantum enim abest, cum post Dei honorem, cujus rem in primis ago, & procuro, hæc mihi Legatio, maxime Cæsaris causa, delata sit, ut existimem, aditum mihi, & cætera, quæ omnibus eandem personam gerentibus, quam ipse gero, ubique concedi solent, in ipsius Cæsaris ditione deesse posse, ut, habita etiam temporum ratione, abunde adfutura omnia confidam, quæ ad perficienda ea, quæ a Sanctissimo Domino Nostro mihi sanctissime sunt mandata, adjumento esse possint.

Quare, ne absurde dubitare videar de ea re, quæ tam a mea opinione, & expectatione aliena est, ea omnia, quæ ad

ad hæc negotia pertinent, tibi explicanda in illud tempus differo, cum, ut ſpero, una erimus. Quod quo citius fiet, eo mihi erit gratius. Gratiſſimum vero, ſi quamprimum ad me ex tuis aliquem miſeris, qui, & de tua voluntate in his, quæ ſcripſi, me certiorem faciat, & ſimul eo ducat, ubi magis expedire tibi videbitur, quo convenire poſſimus. Hoc autem ſi futurum ſit in Illuſtriſſimæ D. T. provincia, mihi in primis gratum erit; ſic enim Sanctiſſimus Dominus Noſter opportunum fore judicabat, qui me in illis præcipue locis cupiebat, ubi tuo conſilio uti poſſem, cui me tanquam filium commendavit, & in omni re, propter exploratam animi tui conſtantiam, & fidem in Deum, & in S. R. Eccleſiam, atque in omnibus rebus generoſitatem, obedire juſsit. Ego hic, etſi valde munitus benevolentia Illuſtr. hujus Epiſcopi ſum, tamen ſine cura, & ſollicitudine animi eſſe non poſſum, non tam propter milites, qui ad portas uſque quotidie excurrunt, ut nuſquam exire, nec quoquam mittere liceat, quam propter tranſitus licentiam, qui patet omnibus, inter quos cum Angli etiam aliquando veniant, Regis animo ſic in me infeſto, vereor ne tam ſpeculatores, quam inſidiatores quoque habeam, quorum alterum his paucis diebus, quibus hic fui, ſum expertus. Summa vero harum litterarum eſt, ut, qui ſim, a quo miſſus, quibus de cauſis, & quibus inſtigantibus, atque adeo compellentibus veniam, intelligas, atque ita me tuo conſilio, & opera in omnibus rebus juves, ut pietas tua erga Deum, & Eccleſiam, atque ipſius Dei Vicarium, tum honoris Cæſaris ſtudium, & Sacri noſtri Collegii conjunctio poſtulant, atque ut Sanctiſſimi Domini Noſtri fiduciæ de perſpecta, & cognita animi tui generoſitate, quæ omnia meam ſpem confirmant, maxime reſpondeas, meque in omni re commendatum habeas. Datum Cameraci xxvij. Aprilis M. D. XXXVII.

PAU-

XIX.

PAULO PP. III.

Reg. Polus Cardinalis.

BEATISSIME PATER.

DE reliquis omnibus, quæ in itinere ſcire potui, vel ad cauſam a Sanctitate Tua mea fidei commiſſam, vel ad me ipſum aliquo modo pertinentibus, quod quidem dignum judicavi, de quo Sanctitas Tua certior fieret, diligenter, ut locus, & Tabellariorum expedita facultas, occaſionem aliquam præbebant, ad Reverend. Ambroſium ſcripſi. Nunc vero cum ad itineris finem jam perveniſſe videar (ſic enim hanc Urbem, quanquam initio minime ad hoc deſtinatam, cum ultra progredi non liceat, appellare poſſum) R. Ambroſii litteras verbis Sanctitatis Tuæ ſcriptas accepi, in quibus tanquam difficultatem progrediendi Sanctitas Tua divinaret, rebus in Anglia nullam nec ſpem, nec occaſionem, afferentibus, cur ultra nos movere deberemus, jubet, ut quod commodo meo, & cauſæ facere poſſim, reditum maturem, ut in Sacro Concilio Mantuæ celebrando Sanctitati Tuæ præſto adſim, quo, ut ex ratione dierum colligo, multo ante Sanctitatem Tuam puto perventuram, quam ei hæ litteræ reddi poſsint. Qua in re, etſi mihi deliberatiſsimum eſt, ut etiam in reliquis omnibus, quantum quidem in me eſt, id facere, quod maxime ad officium, & pietatem meam pertinet, id eſt, juſſis Sanctitatis Tuæ primo quoque tempore parere, tamen cum via adhuc tuta nulla mihi pateat qua redire poſsim, nonnulla autem de reditu, & de tota cauſa cogitanti in mentem venerint, quæ non tam reditum celerem ſuadent, quam, ſi fieri poſsit, hic me ad aliquod tempus retinent, quoniam id ad cauſam permultum

tum intereſt, quam ſcio maxime cordi eſſe Sanctitati Tuæ ea putavi primum S. T. explicanda eſſe, ſic, ut in nulla re ipſe præſcriberem, ſed omnia integra judicio Tuo relinquerem, de quo certior factus, nullam quidem moram interponam, quin primo quoque tempore id exequar, quod Sanctitati Tuæ placere cognovero.

Primum autem ea afferam, quæ maxime cum his litteris conſentiunt, quas R. Ambroſius ad me miſit, id eſt quæ reditum celerem ſuadent, atque ante omnia illud ponam, quod fundamentum omnium actionum eſſe debet, ſine quo nec noſtra, nec aliena videmur agere poſſe, nempe incolumitatem aliquam vitæ proponi oportere, quæ nunc mihi, in his præſertim locis, ſic deeſt, ut undique pericula circumſtent. An vero hic timor inanis ſit, ſic Sanctitas Tua optime judicabit, ſi cogitet primum, quam perſonam mihi impoſuerit, nempe eam, quæ inter Chriſtianos maxime ſacra eſſe debet, vel propter Ordinem, in quem ſum cooptatus, vel propter Legationem, quæ me etiam inter hoſtes Religionis noſtræ, jure Gentium, tutum reddere deberet, ſi ad quempiam illorum miſſus eſſem. Nunc vero cum ad eos ſim miſſus, qui principem locum inter Chriſtianos tenent, quorum alter, cum mihi benigne tranſitum dediſſet Rex Chriſtianiſsimus, jamque in itinere Lutetiam Pariſiorum perveniſſem, ſperans paulo poſt me ad Aulam ejus venturum, quæ non multum aberat, ibi certior factus ſum de ejus voluntate per nobilem Virum, quem data opera Rex ipſe cum litteris, & mandatis ad me miſit, quæ ejuſmodi fuerunt, ut non modo ſpem omnem coram aliquid agendi cum eo de Legationis mandatis eriperent, ſed neque diutius conſiſtendi in ſua ditione facultatem aliquam darent. Hoc enim a me in primis contendebat, ut ex Regno ejus quamprimum excederem, cum tamen ſignificaret ſe quidem haud libenti animo hæc ad me mandata mittere, ſed precibus ejus coactum, qui mihi, & univerſo Ordini noſtro,

noſtro, atque Legationis cauſæ eſſet inimiciſsimus, cujus ut magnam rationem haberet, tempora ipſa cogebant. Hæc Rex Chriſtianiſſimus, quæ facile oſtendunt, quam mihi timenda ſit adverſarii potentia, qui tantum in tali cauſa contra Legatum Sanctitatis Tuæ potuit, & eo magis oſtendunt, quo magis perſpexi, quam invito animo ejuſmodi poſtulatis Rex Chriſtianiſſimus annuit, quod ſatis declaravit, cum eodem die, quo hunc nuncium ad me miſerat, Lutetiæ me in Urbem excipi imperavit eo honore, qui Legatis haberi ſolet, ut hoc voluntatis ejus fuiſſe omnes intelligerent; quod vero colloquium eſſet averſatus, neceſſitatis. Quæ tamen neceſsitas, quo majorem vim habuit, eo majora pericula mihi ab eo denunciat, qui talem tali Principi neceſsitatem inferre potuit.

Quare, his auditis, Regis mandatis obtemperans, ſtatim iter in Flandriam, Cæſaris provinciam, converto. Cum autem Cameracum perveniſſem, civitatem Sanctitati Tuæ maxime deditam, hic quidem ab Illuſtri hujus Civitatis Epiſcopo ſum exceptus, qui me adhuc multum ſua humanitate fovet. Sed cum ad Reginæ Aulam, cui provinciæ Flandriæ gubernatio a Cæſare fratre eſt credita, certum hominem ex meis, cum litteris ad Reverendiſsimum Leodienſem, quem ibi eſſe cognoveram, miſiſſem, ut ei de meo huc adventu ſignificarem, permiſſa illi non eſt tranſeundi poteſtas, ſed ſtatim ut Valentianam, quæ paucis millibus paſſuum hinc abeſt, pervenit, illic a Præfecto ejus oppidi eſt retentus, & poſtea ad me remiſſus. Cujus rei etſi aliam ille cauſam afferebat, tempora belli excuſans, quod audiſſet eum e Gallia veniſſe: his autem non ſolere fieri tranſeundi poteſtatem niſi explorata prius Reginæ voluntate; tamen cum Oratorem Regis Angliæ cognoviſſem paulo ante ad Reginæ Aulam perveniſſe, quæ neceſsitas Regem Galliæ impuliſſet, ut me tam cito e Regno ſuo dimitteret, eandem video Cæſaria-

sarianos coegisse ne aditum mihi in eorum provinciam permitterent, sed me cum meis omnibus tota provincia excluderent. De quo si prius dubitassem, quæ per id tempus, quo hic jam triginta fere dies versor, tentavi, nimis me docerent, cum nunquam intermiserim per Nuntios alienos experiri (nam ut aliquem ex meis mitterem ad Reginam, nunquam potui impetrare) ut si me in his locis subsistere non permitterent, saltem transeundi mihi, & meis copiam facerent, ut tuto nos in Germaniam conferre possemus. Cum autem primum ab Illustr. hoc Episcopo impetrassem, ut per aliquem ex suis litteras, & mandata ad Reverendissimum Leodiensem mittere liceret, ille quidem, qui uno die iter ad Aulam confecit, ita post decem dies ad me rediit, ut nullas litteras referret, sed tantum mandata a Reverendissimo Leodiensi, quæ potius mihi undique pericula impendere, quam ullam ex his evadendi rationem ostendebant, neque enim in hac Urbe propter insidias, quæ variis modis tenduntur, me tutum esse posse; omnia sua illum mihi offerre, quibus, ut meis, uti possem, si modo in provinciam illius pervenissem, ubi & de loco tuto, & commodo se mihi prospecturum pollicebatur. Quod quidem primo in votis mihi maxime fuit; sed quoniam, qua ratione illuc, salva dignitate, penetrare possem, non videbam, cum ille, dissimulato vestitu ut venirem, suaderet, coactus sum iterum cum Episcopo agere de altero Nuntio mittendo, atque ille tunc Archidiaconi hujus Ecclesiæ, hominis probi, & industrii, ac Sedis Apostolicæ obedientiæ in primis dediti, operam mihi obtulit: quem cum misissem probe de omnibus rebus edoctum, tandem post undecim dies rediit cum his mandatis a Regina, & Reverendissimo Leodiensi; postquam de his consultatum fuisset, quæ ipse postulassem, Reginam statim missuram, qui duces itineris mihi Leodium usque futuri essent, ibique omnia mihi Reverendissimum Leodiensem, quæ vel ad

commoditatem commorandi desiderari posſent, prolixe polliceri, atque hunc Nuntium in horas expecto.

Hæc autem nunc commemoro Sanctitati Tuæ, non solum ut sciat, quo loco ea sint, quæ meæ fidei sunt commissa, sed ut facilius ex hoc colligere posſit, quam mihi minime tutum sit, & maxime timendum in iis locis diutius manere, ubi adversarius infestissimus Ordini nostro, & Sanctitati Tuæ, ac mihi præter cæteros, tantum apud Principes possit, ut ei contra ipsorum voluntatem, quæ a nullo Principe Christiano quisquam impetravit unquam, temporibus cedentes, concesserint. Sed neque hoc tam est timendum propter factum, quam propter exemplum, ne videlicet cum homines perspexerint, quæ isti Principes, contra ipsorum, & aliorum consuetudinem, contraque suam voluntatem fecerint, ne inimico nostri Ordinis displicerent, ne, inquam, hic eorum timor aliorum audaciam augeat, ut id tentent, & faciant, quod maxime ei placeret; non ut ego ex Gallia discedere cogar, vel a Flandria excludar, sed ut prorsus tollar e medio; huc nimirum pertinebant mandata Oratoris ejus, qui ad Regem Christianissimum est missus, ut scilicet me ad se Rex Christianissimus adire sineret, tum autem in manus Oratoris ejus in Angliam deportandum traderet. Qui autem, ut me in sua potestate haberet, a Rege Christianissimo non veritus est petere, ut omne jus humanum, & divinum violaret (tale enim petit, qui Legatum sibi contra jus gentium tradi postulat) quis non videt quam infestus sit ejus in me animus, & quam idem cædis meæ appetens.? Hæc quidem postulatio ita quorundam veterum amicorum meorum animos terruit, quos Lutetiæ inveni, homines Gallos, cum hic nuntius ad eorum aures perlatus esset, ut me statim adirent, & maxime adhortarentur, ut per dispositos equos quam celerrime, & quam maxime, cum fieri posſet, me e Gallia subducerem. Sed ego, etsi de Regis Christianissimi voluntate, quam mihi illi quoque prio-

priores confirmaverunt, & de omnibus Gallorum animis exploratum haberem; quam ab omni ejusmodi scelere non modo prodendi me abhorrerent, sed ne in minima quidem re offendendi, contra autem omnia facturos scirem, quantum tempora paterentur, ut nihil tale timere possem; tamen si in eo periculum non agnoscerem, ne hic timor tantorum Principum offendendi inimicum meum, aliorum audaciam armet, ut ei gratificentur, qui nihil magis quam meum sanguinem appetere videtur, præsertim in tam vicinis locis, nimis quidem audax, & temerarius videri possem, præsertim cum nullus fere dies, ex quo hic sum, præterierit, in quo non aliquis de periculis, quæ mihi hic manenti impenderent, admonuerit.

Quæ cum ita sint, eadem prorsus, non solum ut quam longissime, sed ut quam citissime, & quam celerrime ex his locis me subripiam, non invitant modo, sed quasi impellunt, & eo quidem magis, quod causa ipsa, quæ sola me retinere posset, & quæ huc sola traxit, ne spem quidem ullam ostendere videtur, vel minimo periculo dignam, cur in his locis diutius maneam, populi tumultu, qui causam ipsam fovebat, ita sedato, ut multi supplicio sint affecti, duces autem omnes in Regis potestatem venerint. Ac de sedato quidem tumultu in itinere, cum Lugdunum pervenissem, audiveram; sed tum dicebatur, ut aliqua ex parte populorum animis satisfaceret, Regem pollicitum esse se coacturum Concilium, in quo de rebus ad Religionem pertinentibus ageretur, quæ maxime eos, ut tumultuarentur, impulerant: præstitutum vero diem fuisse festum Divi Joannis Baptistæ id est viij. Kalend Julii. Atque hujus quidem Concilii rumor, quod extremo Martio futurum, Romæ intellexeram, ut maxime, quantum per impedimenta licuit, in itinere properarem, effecerat: atque sic Lugdunum perveneram cum impedimentis, ut qui expeditus idem iter fecisset, biduo dumtaxat ante me Lugduno discederet. Sed postea cum illud prorogatum in

 Juli-

Julium mensem audissem, ea res tardiorem me in reliquo itinere fecit; & nunc cum hunc rumorem evanescere videam, ita ut nemo quidem Concilium aliquod expectet, quam id quod in conventu malignantium Londini superioribus diebus est coactum ab iisdem, qui prius omnia illa decreta contra Ecclesiæ unitatem fecerant, qui eadem nunc multo violentius confirmarunt, & cum reliqua omnia, quæ spem aliquam in causa afferebant, oppressa sint, &, ut putantur, extincta, adjunctis his terroribus, quos dixi, hæc sane omnia reditum multo magis accelerandum monent. Unum videtur quod retardet, & ad aliquod tempus hic nos retinere possit, quod ad honorem Sanctitatis Tuæ spectat, ne videamur temere venisse, qui tam cito discedimus. Verum non modo non temere id factum, sed magno consilio, ut est factum, videbit, qui rem consideret in eo statu, quo, cum Roma discederem, erat, cum populus religionis causa tumultuaretur, ac duces impigros, & nobiles Viros haberet. Nihil enim videbatur esse, quod majores animos populo dare posset, quam si unum ex suis cum authoritate adventantem audirent, qui causam eorum juvaret; nihil quod magis terrorem illorum adversariis afferret, aut facilius ad æquiores conditiones eos pertraheret. Argumentum autem terroris illorum maximum illud fuit, quod, populi tumultu jam sedato, tamen summa diligentia, & in Gallia, & in Flandria per novos Oratores, ob hanc ipsam rem missos, apud Principes egerunt, ut propius accedendi potestas mihi ne fieret. Quare illud optime factum judicari debet; & nunc, rebus mutatis, non jam temeritati attribuendum est, si, dilapsa occasione illa, propter quam sum missus, revocer, sed potius, si diutius in his locis retinerer, ubi sine magno periculo esse non possim, præsertim cum unicus hoc tempore minister relictus videar, per quem cum Anglis agere in Ecclesiæ causa Sanctitas Tua possit. Utcumque autem res adhuc processit, cum eventus non in hominis, sed in Dei solius potesta-

testate sit, quæ homo videre potest, hæc optime Sanctitas Tua prospexit, cum me talem tali tempore ad tales misit, in quo nemo non Summi Pastoris officium libenter agnoscat.

Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ mihi in mentem venerunt, quæ merito S. T. persuadere possint, ut me quamprimum ad se revocet. Nunc quæ rursus diuturniorem moram in his locis suadent, proponam, vel potius illud unum, quod unum valere debet, id est, causam ipsam, quæ, si tanti momenti est judicata, ut propter eam S. T. impensis, & cura se se oneraret, ipse omni periculo me obiicerem, dum huc venio; non minoris certe momenti eadem videri debet ad retinendum me tantisper, dum, quid proficere possimus, intelligi posit. Hoc enim plane constat, discessum meum tam celerem universæ causæ plurimum obfuturum, quod, & populis illis, quibus maxime consultum oportet, desperationem certam afferet, & adversariis, ut magis in populum, & Ecclesiæ ministros insultent, summam securitatem. Quod si quis acrius in ipsam causam intueatur, illudque consideret, quantopere intersit Ecclesiæ, illum ex ipsius sententia componi, is certe reperiet, si perpetuo ad omnes occasiones, quisquam in his regionibus excubaret, ut præsto esset, quoties aliqua occasio emergeret, ita optime consultum iri ipsi Ecclesiæ. Ac nisi illam Insulam, quæ olim pulcherrimum Ecclesiæ membrum fuit, penitus amittere velimus, sic propemodum necesse esse facere. Si enim ei non in tempore subveniatur, sed ita dimittatur, ut filiis eornm, qui nunc vivunt, ejusmodi opiniones prodantur, jam sero quidem, & frustra laborabunt, qui tum Ecclesiæ præerunt, ut cum reliquo Ecclesiæ corpore illam conjungant, & ad legitimi Capitis obedientiam retrahant. Quo magis igitur conatus istorum eo pertinent, ut posteris pestiferæ opiniones ad Ecclesiæ perniciem prodantur, eo magis, qui Ecclesiæ præsunt, huic rei obviam ire debent. Nihil vero ad impedien-

pediendum opportunius hoc tempore videtur, antequam veteris Religionis memoria obliteretur, quam si quis ex suis, cujus existimatio nunquam apud eos sit læsa, rectaque semper, & constans de Religione opinio extiterit, quasi in conspectu illorum maneat, cujus vel exemplo, vel authoritate, & suasione, ut se occasio tulerit, moveantur; qui non tam verbo, quam re, paratus sit, omnia prorsus extrema corpore subire, quam perniciosis istis opinionibus, quæ animas perdunt, assentiri. Sed hoc nunc frustra commemoro, si huic nec locus ullus hoc tempore tutus ostendatur, ubi consistere possit, & omnes occasiones talem animum declarandi sublatæ sint. Quamvis si in Leodiensis provinciam tuto penetrare possimus, cujus rei nonnulla spes ostenditur, satis quidem, ut spero, de loco prospectum erit. Nec enim illi desunt urbes, aut castella, quæ, & tuta erunt, & ad omnia, quæ cogitamus, opportuna; occasiones tantum desunt, quæ quidem in manu Dei sunt, qui sæpe præter spem novas offert, quomodo etiam oblatæ, cum illas apprehendere cogitamus, elabuntur. Eas vero in hac causa non defuturas, eo magis sperandum est, quod videmus, maxime illam occasionem, quæ ex tumultu populi extiterat, sic oppressam esse, ut primum largitione, & blanditiis, tanquam escis, duces capti sint, deinde in eos sit animadversum, quos benigna promissa traxerant. Quod si iis actibus animi hominum placari possent, non multum quidem sperandum esset, fore, ut per eosdem novæ occasiones excitarentur. Sed cum omnium animi magis hac ratione exacerbari soleant, ac doceri, ne cujusquam verbis, ac promissis fidant, quibus adducti sua præsidia relinquant, non amissæ quidem occasiones, quæ ex populo nasci possint, sed in aliud tempus reservatæ merito videri possint, ut majori vi erumpant, quæ nunc ad tempus metu comprimuntur; præsertim cum in illorum animis tumultuandi causæ resideant, nec vires sint ulla ex parte diminutæ, nisi

nisi quantum ducibus sunt privati. Quod si ducis spes aliqua ostendatur, cui de loco tuto, & propinquo provideatur, populorum animis sic exulceratis occasiones quidem diu deesse non possunt; quæ si vel in longum tempus essent expectandæ, causa quidem talis est, ut nullum tempus nimis longum videri debeat, ubi vel minima spes ostendatur aliquid profici posse.

Hic vero scio me Regis, & mihi inimicissimi, & potentissimi (utrumque enim declarant Legationes ejus ad Principes contra me missæ) iram in me, & potentiam lacessere, quemadmodum jam lacessivi, eumque, si ob hanc causam, quam dixi, in his locis me manere intelligat, multo magis tentaturum, atque omnes vias persequuturum, ut me de medio tollat, qui nunc quoque per Oratores suos id se ea ratione facturum minatur, qua Philippus omnia castella, quamvis munita, expugnari posse dicebat, quocumque onustus auro asinus mitti posset. Hic vero multos asinos se contra me oneraturum ostendit; centum enim aureorum Anglicorum millia se profusurum jactant, ut me in sua potestate vel vivum, vel mortuum habeat. Quis ergo me tutum ab hujus infesta potentia præstabit? Idem, Beatissime Pater, qui animam securam facit, & omni terrore, qui per hominem inferri possit, liberat, cui me id munus obire, quod mihi ea persona, quam gero, imponit, reliqua istius providentiæ relinquere jubet, cui nemo unquam frustra est confisus, sub quo omnes, qui ei fidunt, ab omni incommodo, quod vel ab homine, vel ab ulla re proficisci possit, semper tuti sunt. Munus vero meum est, qui Cardinalis sum, & in Sacrum illud Collegium cooptatus, nullum ut periculum pro Capitis Ecclesiæ honore, & ipsius Ecclesiæ utilitate recusem, sed ultro etiam, & libenter, si ita opus sit, omnia pericula oppetam, nulla habita salutis meæ, & vitæ, ratione. Hoc enim patrimonium est, quod nobis a magnis illis Ecclesiæ Cardinibus Apostolis, quorum successores esse gaudemus, est reli-

relictum, qui universam mundi potentiam contra se, dum Christi, & Ecclesiæ, honori, & commodo servirent, provocare non dubitarunt. Hæc quidem in animo meo Christus, antequam in sacrum hunc Ordinem cooptarer, impresserat, &, postquam sum cooptatus, eadem suggessit, &, antequam Roma egrederer, omnia hæc pericula ante oculos posuit, in quibus si nunc exercere me illi placeat, quid est quod timeam? quid est quod non potius gaudeam? qui cum causam communem cum magnis illis viris habere me sciam, quin Ordinem eundem, & eundem etiam protectorem habiturus sim, dubitare non possum; idque eo quidem minus, quod ab eodem protectore socium laborum, & curarum mihi ejusmodi datum esse video, ut, si mihi timor aliquis magna illa exempla ex animo exturbaret, vel vivum exemplum ante oculos haberem, quod me merito moveret. Quale enim est Reverendi Veronensis exemplum, quem, Christo inspirante, Sanctitas Tua socium itineris, & laborum mihi dedit, qui tam facile se ab otio, & securitate sua abstrahi passus est, præsertim cum tam justam causam manendi apud Sponsam suam haberet, pro qua multos labores exhauserat, quæ illius absentia nonnulla ex parte posset deformari! Sed hoc minus fortasse admirandum est in eo, qui tot documenta pietatis suæ in universali Ecclesia dedit, si privatam Ecclesiam ad tempus reliquit, ut publicæ causæ adesset: valde illud est admirandum, cum uterque nostrum jam tentaverimus, quid communis matris Ecclesiæ causa prodesse possimus, & ab omni fructu, quem sperabamus, ubique simus exclusi, cum pericula undique circumstent; nihil tamen hominem fortissimum hæc terrere possunt, ac ne movere quidem, ut facultatem a S. T. oblatam accelerandi reditus statim amplectatur, quæ si oblata non esset, ut nunc sunt tempora, homini prudenti omnino esset quærenda. Et tamen nihil horum video, imo contra ejus sententiam eo pertinere, ut cœptis insistamus, atque ut in his locis in mediis peri-

periculis, tanquam ſpeculatores, intenti ad omnes occaſiones rei bene gerendæ ad aliquod tempus expectemus. Unde hic animus niſi a Chriſto, in cujus tutela, ut cætera omnia, ſic præcipue eſt Eccleſia, pro cujus ſalute eſt mortuus. Quod ſi fieri non poteſt, ut ille talem animam in Eccleſiæ utilitatem non convertat, ſic enim uti ſolet ſuis donis, quæ Eccleſiæ filiis impartitur, ecquid nos magis hortari, ac confirmare poteſt, ut hic maneamus, quam ut Eccleſiæ, aut vivi, aut mortui proſimus, majus enim donum nemo a Chriſto, in cujus manu ſunt omnia, aut optare, aut petere poteſt? Quanquam ne diffidendum quidem eſt, vivos nos prodeſſe poſſe. Utcumque nunc bene gerendæ rei occaſiones latent, utcumque difficile id apparet, vel potius ejuſmodi, ut fieri nequeat, hoc enim videmus, nihil fere præclarum geri in rebus humanis, quod non multas difficultates initio habeat, & nunquam quidem periculis magnis carere, quæ magna tandem evadunt; divina vero ſæpius per ea, quæ fieri nequeunt, ad optatum finem perduci. Sed de eventu rerum, neque divinare, neque præſcribere aliquid, ſed in omnibus me judicio, & mandato S. T. ſubiicere, in his litteris meum conſilium fuit, atque ut Sanctitas Tua paratius haberet quid judicare poſſet, viſum eſt mihi, qui rebus interſum, quæ in utramque partem in mentem venirent, ex quibus judicium certius fieri poſſet, proponere. Neque aliud nunc expecto, niſi quid S. T. jubeat; quod ſimul atque cognovero, ut primo quoque tempore id exequar, ſemper, quantum in me quidem erit, ero paratus. Ut autem Sanctitas Tua jubeat, quod maxime in Eccleſiæ utilitatem atque ejus honorem cedat, qui Sanctitati Tuæ vicariam ſuam potentiam in Eccleſia dedit, ſemper optabo, & precabor. Dat. Cameraci xviij. Maii M. D. XXXVII.

XX.

Gaſpar Card. Contarenus Regin. Cardin. Polo.

QUoniam nullas habeo litterai tuas, quibus me reſpondere oporteat, nam jampridem reſpondi poſtremis litteris datis Lugduni: verum ne, ſi forte caſu quopiam tibi non fuiſſet mea Epiſtola reddita, multa ignorares, quæ cupio te intelligere, ejus exemplum his adjunctum mitto. Intellexi ex litteris Prioli, quo in ſtatu res veſtræ eſſent. Doleo plurimum, Regem tuum, cujus bonum novi quantopere cupias, quotidie longius recedere a Chriſti Eccleſiæ unitate, ſibique dum putat optime conſulere, & rebus, dignitatique ſuæ, magis in præceps ferri. Dolendum ſane nobis eſt, rogandusque Deus Optimus, in cujus manu ſunt corda hominum, ac præcipue Principum, ut illius Principis miſereatur, ac diſpellat eas tenebras, quibus adverſarii noſtri inſidiis cor ejus obumbratum eſt. Intellexi, quibus rationibus adducti decreveritis diutius in eis regionibus morari. Verum illud reor animadvertendum eſſe e contra, ſi diutius in angulo quopiam delitueritis (ut vereor) parum conſulatis Sedi Apoſtolicæ, & magis vos ipſi periculis obiiciatis; iccirco cenſeo, moderationem quandam a vobis debere adhiberi, ne vel cum ignominia properetis, vel cum indignitate diutius deliteſcatis. Epiſcopus Veronenſis admonuit litteris ſuis Reverendum Protonotarium Ambroſium, Priolum ad me ſcripſiſſe de contrahendis impenſis veſtris: percunctatus eſt a me ille, oſtenſis litteris Epiſcopi Veronenſis, quidnam Priolus mihi ſcripſiſſet ſuper ea re; ego niſi voluiſſem mendax haberi, non potui non illi explicare, quidnam mihi ſcripſiſſet Priolus. Itaque non potui ſervare ea, quæ mihi ſervanda eſſe admonuerat Priolus. Nos omnes bene valemus, teque nobiſcum eſſe maxime cupimus. A Turcis paratur ingens claſſis

classis, Principes Christiani mutuo se conficiunt, ut vides, quid nobis vel sperandum, vel timendum potius sit, intelligis per te probe. Rogandus Deus Optimus, ac mente, quantum possumus, recedendum est hinc, si volumus frui pace. Vale in Domino, & Deum orato pro Sanctissimo Pontifice, & rebus omnibus nostris; Episcopoque Veronensi, cæterisque amicis nostris, tuis comitibus salutem dicito. Romæ die xxij. Maii M. D. XXXVII.

XXI.

PAULO PP. III.

Reg. Cardinalis Polus.

BEATISSIME PATER.

MAgna jactati tempestate, in eam tandem Urbem pervenimus, quam Sanctitas Tua portum nobis tutum, & certissimum in quavis necessitate perfugium, modo illuc penetrare possemus, futurum prædixerat. Pervenimus, inquam, Leodium, atque ita pervenimus, ut cum nihil magis in votis haberemus, nihil magis contenderemus, cum nihil denique, in quo opera nostra valere posset, a nobis intentatum relinqueretur, ut eo accederemus, unde bidui iter aberamus, vix post quadraginta dies id assequi potuerimus; tantum conatus adversariorum, quasi validi venti reflantes, potuerunt, qui nos suo impetu, & terrore ex tota provincia eiicere, & Romam, unde venimus, repellere contenderunt. Atque hoc illi quidem, si nos perdere non possent, quod ante omnia spectabant, ut variis modis tentarunt, quasi secundo loco sese perfecturos existimabant. Sed nos divina bonitas per Reverendissimum Leodiensem ab eorum insidiis liberavit, tandemque eo loco, quo maxime cupiebamus,

bamus, constituit, ubi nihil mihi prius faciendum judicavi, quam, ut illius præstanti bonitati, cujus beneficio, difficillimo tempore, id assequutus sum, testimonium apud Sanctitatem Tuam darem. Etsi non ignoro, nihil novum me Sanctitati Tuæ de Reverendissimo Leodiensi dicturum, de cujus animi præstantia, antequam Roma discederem, cum casus ii commemorarentur, qui facile accidere possent, in quibus præsidio magni alicujus Viri mihi opus futurum esset, ea Sanctitatem Tuam sibi pollicita suisse memini, ut a nemine majora expectari possent, proposuisseque illum mihi, ad quem omnibus in rebus confugerem, in quibus vel magnorum Principum auctoritate, vel præsidio opus esset; illius enim obedientiam erga Sanctam istam Sedem, & authoritatem in his locis, atque animum maxime generosum, pro multorum Principum subsidio mihi futurum. Sane talem eum sum semper expertus, & tali tempore sum expertus, in quo nisi egregia eius virtus judicio Sanctitatis Tuæ respondisset, nec quomodo ex periculis maximis evaderem, nec sane, cum evasissem, quomodo his in locis, utcumque causa urgebat, consistere possem, inveniebam. Hujus vero benignitate, & studio factum est, ut mihi in omnibus, quæ desiderare potui, abunde sit prospectum. Quod eo libentius ad Sanctitatem Tuam scribo, quo magis novi hæc illum fecisse non solum communi sibi cum cæteris obedientia adductum, sed etiam privata quadam observantia erga Sanctitatem Tuam, quam antequam ad summum istum dignitatis gradum esset evecta, plurimum semper coluit, & nunc maxime talem ejus observantiam crevisse est necesse; quemadmodum in hoc meo casu, quem Sanctitas Tua illi commendavit, plane ostendit. Ita enim se gessit, ut quæ vel a filio obsequentissimo, vel ab amico fidelissimo, vel a Collega conjunctissimo expectari possent, omnia cumulate præstiterit. Reliqua, quæ ad negotium mihi a Sanctitate Tua commendatum attinent, quoniam de his Reveren-

verendus Veronensis ad Reverendum Protonotarium, Sanctitatis Tuæ Secretarium, proximis diebus diligenter perscripsit, ne molestus sim Sanctitati Tuæ, eadem omittenda duxi, Tuæque Sanctitatis pedes humillime osculor. Datum Leodii x. Junii M. D. XXXVII.

XXII.

Sacro Collegio Reginaldus Card. Polus

Reverendissimi Patres, & Domini mei Colendissimi.

PRimum quidem mihi optandum esset occasionem dari, ut de ea re, propter quam in hæc loca sum missus, læto aliquo nuntio vos impartirem, in quo, non tam meo desiderio, quam Sanctitati Domini Nostri, & omnium vestrorum, ac bonorum omnium votis me magis satisfacturum fuisse scio. Sed quoniam sola pietas fuit, quæ primum Sanctissimum Dominum Nostrum, dein DD. VV. Reverendissimas omnes persuasit, ut mihi hanc provinciam traderetis, sola etiam pietas fuit, quæ me ad subeundum onus hoc promptiorem fecit; reliqua si non respondeant votis, tamen æquo animo sunt ferenda, ne non tam Dei voluntate, quam nostra, niti videamur, si eventus rerum, quarum solus Deus est dominus, quod præter nostram voluntatem accidant, ægre nos ferre ostendamus. Mihi quidem, præter pietatis consolationem, commune semper, ut spero, vobiscum satis esse debet, si adversis, quæ multa mihi in hac causa acciderunt, animo deiici Dei benignitas non patiatur, quemadmodum hactenus, quod summum ejus bonitatis beneficium agnosco, deiici non est passus. Quæ vero res me impulit, ut has ad Reverendissimas DD. VV. litteras perscriberem, præter eam, quæ mihi præcipua esse debet, ut summam meam erga

erga vos observantiam, quam in animo gero, aliquomodo per litteras patefacerem, hæc etiam fuit, nempe egregia in me hoc tempore Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Leodiensis merita, cujus opera factum est, ut non modo ex multis periculis, quæ mihi ex hac causa impendebant, & undique circumstabant, eriperer; sed quod vix, ut nunc sunt tempora, in his locis sperare poteram, locum tutum, quo me reciperem, ad manendum haberem, quoniam mihi in sua civitate Leodiensi dari fecit, quo postquam me cum summo honore recipi fecisset, hic sic me omnium civium observantia muniri curavit, ut nihil prorsus, neque ad salutem, neque ad dignitatem tuendam abesse videatur. Quæ omnia cum ad sacrosancti Ordinis vestri honorem redundent, cujus ego, etsi indigna, aliqua tamen portio sum, visum est hac de re vos certiores facere, primum, ut de tali præsidio tanti viri in his locis, qualem Deus vobis maxime dedit, gratularer, deinde rogarem, ut in hoc onere tantæ in me benignitatis ferendo, quæ maxime ad vos attinet, me adjuvetis. Id quod facile facietis, si primum gratam hujus beneficii memoriam in animis vestris conservetis, deinde eandem per litteras Illustrissimæ, & Reverendissimæ D. Ejus significari curetis. Interim, quod ad me attinet, dum ad vos redeundi Dei benignitas viam aliquam patefaciat, hoc Reverendissimas DD. VV. rogatas velim, ut me in grata vestra memoria conservando, assidue Deum oretis, ut is tandem sit causæ exitus, per quem divinum nomen maxime ab omnibus cum ejus summo honore possit celebrari.

Dat. Leodii die x. Junii M. D. XXXVII.

S.R.E.

XXIII.

S. R. E. Cardinales &c. Regin. Polo S. R. E. Cardin.

Reverendissime, & Illustrissime Domine, & Frater Observandissime.

Accepimus litteras Reverendissimæ, & Illustrissimæ D. V. x. Junii Leodio missas, quarum lectione, & lætati simul, & commoti sumus. Lætati, quod in eas partes salva pervenerit, comitatumque universum, & asseclas omnes, difficilibus penetratis locis, sospites duxerit; commoti, quod præter spem, præterque votum, inopinata multa, & dura sese illi ingesserint, quæ nobis quoque absentibus auditu haud levia, non facilem usquequaque exitum spondeant. Et de exitu quidem satis soliciti sumus; tamen cum Reverendissimæ D. V. prudentiæ, sagacitatis, experientiæ, virtutis animi, in mentem venit, magna nos consolatio, major spes subit, quæcumque posthac evenerint, voto responsura, Deo ducente, qui causam suam tuetur. De labore vero, & summa difficultate certissimi, quia non ea res suscepta est, quæ lenitatem perferret, sed aspera admodum, & duræ tractationis; cui tamen æquanimiter se accommodare oportet, cum tristia, & inamœna quælibet tolerare sit æquum, quicumque in Vinea Domini laboramus. Deus, & laborem leniet, & exitum dabit, quem expectamus, cum reditu optato, felicem. Si quid interea erit, in quo Reverendissimæ D. V. obsequi possimus, si notum fecerit, ad libita parati sumus. Litteras, ut optat, ad Reverendissimum Leodiensem, & benignitati suæ, hospitalitatique gratas, & animi nostri affectui respondentes, una destinamus, & cætera facere non cessabimus, quæ in Reverendissimæ D. V. honorem, aut commodum vertere intelligemus, quæ feliciter valeat. Romæ die ultimo Junii M. D. XXXVII.

Re-

XXIV.

Regin. Card. Polus Gaſpari Contareno Cardinali.

UTrunque ex tuis litteris, quas Romæ xij. Maii ſcriptas, v. Junii accepi, facile cognovi, & quantopere negotium ſuſcepiſti de re pecuniaria cum Sanctiſſimo Domino Noſtro procuranda, & promptiſſimam Ejus Sanctitatis voluntatem in meæ neceſſitati ſuccurrendo. Quæ etſi mihi gratiſſima fuerunt, tamen multo quidem gratius fuiſſet, nullam cauſam habuiſſe appellandi Ejus Sanctitatem hac de re, nec tibi tale negotium imponendi. Scio enim, & mihi conſcius ſum, quam invitus hoc feci, & quantam vim naturæ meæ intuli, cum hoc peterem, ſed neceſſitati reſiſtere non potuimus, cui omnia cedunt, quæ, ut habet antiquus verſus, ipſum ſummum exſuperarent Jovem. Quanta vero, & qualis fuerit hæc neceſſitas, ex litteris, quas Lugduno dedimus, ſatis, ut ſpero, cognoviſti, quare nihil opus erit repetere. Illa potius commemoranda eſſent, quæ in Cameraci obſidione, ſic enim veriſſime appellare poſſum, noſtram illic commorationem, dum per quadraginta fere dies nec mihi, nec cuiquam meorum extra exire quoquam licuit, ſed quaſi obſeſſi, & carceribus incluſi, aliorum opera conducta, ſemper uti ad procurandam liberationem coacti ſumus; qua tandem poſt tantum temporis intervallum impetrata, cum ab Aula Reginæ cum authoritate veniſſet ad nos liberandum etiam præſidium equitum, quod ille ſecum adduxerat, conducere nos voluit una cum caduceatore, quod aliter tutum acceſſum per Galliæ provinciam in agrum Leodienſem, ſe non audere polliceri diceret, hæc quidem neceſſario extraordinarias impenſas, & eas quidem non exiguas attulerunt. Quia vero nunc amantiſſime mones, ut dem operam, quantum per dignitatem liceat,

liceat, ne pecunia extraordinaria indigeam; quid in hoc præstare possim, quanta præterea voluntas fuerit, ut minori etiam summa, si fieri possit, quam ordinaria sit, me tuerer, & quantum etiam necessitati, quoad potui, restiti, ne extraordinariam peterem, rogo te, ne pigeat ex his litteris, quas Priolus noster his de rebus meis verbis scribet, cognoscere; cui idcirco hoc negotium dedi hac de re ad te scribendi, quod cum fusius hoc scribendum esset, quo magis hujus necessitatis causam S. D. N. apertam esse cupio, quando pluribus litteris hoc tempore scribendis ipse necessario impedirer, neminem eo melius hoc onere me levare posse, cui omnia mea sunt notissima, judicavi. Quare hæc ex illius litteris melius, & fusius cognosces. Hoc tamen etiam ex meis cupio intelligas, quod ad eos attinet, qui mecum sunt, & curam rei familiaris habent, sic frugalitati omnes studere, &, ut quam minime sumptus supervacanei fiant, in omnibus operam dare, ut, si Cato ille Censorius adesset, qui Œconomicus omnium severissimus, & diligentissimus habebatur, & fuit, nihil sane meo judicio haberet, in quo jure rationem dispensandi reprehendere posset. Atque si Reverendum Veronensem cogites, ne Catonem quidem in hac parte desiderabis. Ille enim, etsi ad hoc mihi datus sit benignitate Pontificis, ut mecum omnia summa sustineret, & consilio, atque opera dirigeret, ut in omnibus egregie facit; tamen mihi crede, quæ est ejus humanitas, sic se ipsum ad hæc inferiora dimittit, ut in domo mea, si quæ ordinat, quæ disponit, tam circa victum, quam quæ ad universam rem familiarem pertinent, videres, talem quidem agnosceres, cujus vel præsentia sola, ne qui inutiles sumptus fiant, obsistere posset, cura vero, ut omnia recte, & ordine cum summa frugalitate fiant, abunde præstare. Quare hunc satis habeo nunc tibi nominare, ut ostendam, quantum in nobis est, & dedisse hactenus, & posthac daturos omnem operam, ut extraordinaria

I pe-

pecunia ad sumptus non necesse sit quærere. Sed si nec nostra voluntas, nec talis viri industria, & prudentia nos hactenus liberare poterunt, ut non interim maximi sumptus fierent, & tales, quod, quæ aliis Legatis ultramontanis pecunia est consueta dari, mihi non suffecerit, partim quidem ex superioribus meis litteris Lugduno datis causam cognovisti satis, ut spero, justam, partim nunc & multo clarius ex his, quæ postea sucessere, ex Prioli nostri litteris intelliges, ex quibus cum cognoveris, quæ mihi extraordinario more contigere, qualia haud scio, an ulli unquam Legato multis sæculis intervenere, si extraordinarii sumptus multi fuerint, mirum nemini, qui hæc audierit, videri potest. Sed de his hactenus. De rebus Anglicis, quod aves scire quo loco sunt constitutæ, utinam quidem eo loco essent, quo tuus in Christum, & illam provinciam amor flagitaret, ac studium utriusque nostrum in illius salutem, qui nunc maxime meam oppugnat. Sed quo loco sint, satis videor explicasse, si quæ contra me illi, quorum arbitrio res universæ in Anglia geruntur, sunt machinati, indicavero. Ea vero ut facilius intelligas, exemplum litterarum, quas hac de re ad Sanctissimum Dominum Nostrum scripsi, ad te nunc mitto, de quibus etiam Prioli nostri litteræ te docebunt. Quod vero ad meam Legationem attinet, quod hactenus facere potui, id solum fuit, ut in locum aliquem tutum ab istorum insidiis, & conjurationibus me subducerem, quod benignitate primum Dei, & Reverendissimi Leodiensis beneficio vix tandem videor in hac re consequutus, etsi nusquam quidem tutum ab illorum insidiis, ubi aliquo modo illi penetrare possunt, dicere me possum; sed minus certe objectum eorum insidiis Reverendissimi Leodiensis beneficio, qui de hoc loco mihi prospexit, ubi ad nutum cives erant parati omnia facere, quæcumque ad me tuendum pertinebant. Sed neque hoc impedire potuit, quominus ante biduum huc insidiandi causa Anglus quidam veniret, de quo

quo prius cognoveram per interceptas quasdam litteras ad eum ab Oratore Regis in Flandria, quæ ad me fuerant allatæ. In illis vero scribebatur: Si perficere posset, de quibus prius fuerant inter se colloquuti, maximam gratiam apud Regem illum initurum, adjuncto digno præmio. Hic vero huc venit, eam rationem adventus prætexens, quod diceret, exilio pulsum se ex Anglia, neque habere, unde vitam sustentaret, cupere ergo in numero meorum familiarium adscribi. Sed si diutius una nocte in Urbe moratus esset, eum certe in carcerem adscripsisset; id quod nescio quo modo ille præsentiens, vel propter conscientiam timens, cum vesperi venisset, ante lucem ex Urbe se subduxit. Sed plura hujus generis ex Prioli nostri litteris cognoscere poteris, ex quibus facile colligitur, qualis sit istorum voluntas, qui omni loco, & tempore calcaneum meum observant. Ego autem in Deo sperans, non timebo quid faciat mihi caro. De tota vero causa si quæris quid sperem, ego certe maxime spero, si modo vel mediocris cura habeatur in re omnium gloriosissima, tam apud Deum, quam apud homines, & Ecclesiæ utilissima contra importunissimam istorum curam in re omnium pessima, & omnium pestilentissima. Ea vero quomodo, & qua in re maxime adhiberi debeat, quoniam Reverendus Veronensis Bruxellas nunc abest, de quo nondum scio quid egerit, nunc non possum clare scribere, sed si non possum in his litteris, per proximum tabellarium apertius omnia scribam. Sed hoc nunc clarissime, me non magis desperare de hac causa, quam filii Israel, qui in optima causa bis in aciem contra fratres Beniamin ad explorandum eorum scelus egressi, semel Deo duce illis providente, deinde etiam ad pugnam adhortante, gloriose vicerunt. Non minus certe ipse hoc tempore gloriose victores fore, qui tertio hanc causam defenderent, judico, etsi bis nunc videtur victa, semel in Hibernia Deo duce providente, iterum in Anglia, Deo,

ut ipse etiam judico, populum hortante. Sed quocumque modo divinæ providentiæ placuerit, cum mali non cessent suas partes corroborare, negligentiores Dei servos esse in resistendo turpissimum est, præsertim cum de talibus, sive moriantur, sive vivant, victos esse nunquam dici possit. Quicumque certe eam aggreditur, Deum ducem habere causæ bonitas, & malitia aduersarium, clarius, quam si Anglus eadem diceret, declarant. Quare hoc opto, ne occasiones prætereantur, quæ hoc sane tempore, quo minimæ quibusdam fortasse apparent, sunt maximæ. Sed de hoc brevi (ut spero) apertius, & distinctius. Quod vero in altera parte litterarum tuarum scripsisti Pontificem ardenter perseverare in ipso suo instituto, & optimo suo animo de Reformatione, valde quidem animum meum exhilarasti: & non minus in illis Philippi Melanchthonis capitulis, quibus tuam sententiam adjunxisti, quæ libentissime docta, & pia tua censura examinata legi, & in maximam spem veni, Pontifice perseverante in censura morum, in cæteris non ita magnam futuram controversiam, ut non facile ad professionem unius fidei in charitate omnes provinciæ consentiant. Quod pro sua misericordia Christus hoc misero sæculo concedere dignetur; qui te sibi, & Ecclesiæ diutissime servet incolumem. Leodii x. Jun. M. D. XXXVII.

XXV.

Idem Eidem.

QUas ad me xxij. Maii dedisti litteras, xxij. Junii accepi una cum exemplo litterarum, quas xij. Maii dederas; id quod cum studium tuum mihi gratissimum declararet, quantum cuperes, ut desideratissimæ tuæ ad me litteræ perferrentur, tum vero ex illis intellexi, quantum oneris mea causa sustinueris, ut de re nummaria cum San-

Sanctissimo Domino Nostro prius ageres, post cum Domino Ambrosio, ea, quæ ad eam causam pertinebant, communicares. Quod quidem onus ideo appello, non solum quod tuam naturam video exploratam habere, quam non libenter hujusmodi rebus te immisceas, sed quod idem multo maxime in me ipso experior, nihil fere tam grave esse, quod non libentius sustinerem, quam ad ea flagitanda revocari, quæ semper in minimis meis curis ponenda statui, de quibus vix unquam etiam necessitate urgente a me impetrare potui, ut aut loquar, aut scribam. Sed hoc tempore necessitas vicit, non solum ut ipse hoc onus subirem, sed ut magnam partem hujus tibi imponerem, in quo ferendo eo minorem tui rationem habendam esse mihi persuadebam, quo magis recordabar, qualem te illi adjutorem præbueris, qui id mihi jugum imposuit, quale hoc, & multa alia onera ferre non permittit recusare. Quod ut faceres, si te, ut mihi est exploratissimum, solus amor mei excitavit, quid tam difficile esse potest, præsertim quod ad aliquam partem levandi hujus oneris pertinet, quod non ab eodem amore audeam postulare? Hujus quidem certa fiducia me audacem apud te fecit. Sed de his hactenus. Reliqua ex Prioli nostri litteris cognosces. De meo reditu, quod scribis judicium tuum esse, ut nec nimis accelerem, quod id fortasse causæ nocere potest, nec nimis etiam tardem, ne id non satis dignitatis habere videretur, si diutius hic quasi in angulo quodam delitescerem. Quod ad hanc partem attinet, scito, ut delitescam, hoc mihi per adversarios minime licere, qui, multo magis quam vellem, per nuncios, & speculatores suos, non solum per hanc provinciam, sed omnes vicinas regiones, meam hic commorationem celebrari faciunt, sic autem omnia vestigia mea observant, ut non modo hic latere, sed neque aliquo me movere possem, ut non facilius exercitus delitescere, quam ego hoc tempore possem. Quod si ea præcipua

pua mihi cura esset, ut meæ saluti consulerem, primo quoque tempore hinc ut aliqua ratione me subducerem, in primis conandum judicarem. Verum si quid magis conducat, potius est attendendum, prodesse maxime, nulla vero ex parte obesse dignitati posse judico hic meam commorationem ad tempus. Cujus meæ sententiæ etsi rationem nunc reddere oportere video, tamen me in illud tempus reservabo, dum certiora afferantur, ad quæ nunc exploranda misi, de quibus me per proximum tabellarium certiorem te facturum spero. Interim te, & perpetuo in Christo valere cupio. Datum Leod. xxix. Junii M. D. XXXVII.

XXVI.

Gaspar Card. Contarenus.
Regin. Card. Polo.

Accepi litteras tuas datas Leodii x. hujus mensis die, simulque Epistolam Sanctissimo Domino Nostro scriptam, itemque litteras, quas misisti Collegio Romanorum Cardinalium non obsignatas. Reddidi Pontifici litteras, quas ad eum scripseras; avide vero, & accurate legi, & tuam ad me Epistolam, & eam, quam Collegio nostro destinasti. Heri post prandium egi cum Pontifice de rebus tuis, qui summopere laudavit Epistolam tuam, quam confestim legendam misit Cardinali Farnesio, nepoti suo, ut sibi exemplum habeat, ad cujus instar possit animum, & bonis litteris colere, & eximiis etiam virtutibus, ac præsertim Christianæ pietati inhærere. Ægerrime fert, quod te videt constitutum in maximis difficultatibus, ac periculis. Officia Cardinalis Leodiensis in te conservando, & honestando pergratissima Ei fuerunt, cui acturus est gratias per litteras Apostolicas. Laudat te, quod ad Collegium nostrum scripseris, quas

cum

cum primum Consistorium erit, legi faciet: tradidi eas legendas Beatitudini Suæ, accepit libenter, atque adhuc in manibus habet. Quantum ad rem pecuniariam attinet, ne Ei molestus essem, dixi me acturum cum Reverendo Protonotario Ambrosio. Longius autem sermonem traximus de rebus Anglicanis, cæterisque omnibus, quæ ad negotium pertinent. Putat Pontifex prudenter omnia, nec videt, rebus Christianæ Reip. ac Principum, ita ut sunt, constitutis, cum Turcarum princeps omnibus viribus collectis in nos ducit, & amplissimum, simulque potentissimum Exercitum, ac ingentem classem, posse nos quidquam sperare. Præterea multum tibi timet in iis regionibus degenti, quem censet summa diligentia servandum esse, veluti pretiosum Thesaurum, ut ejus verbis utar, cum aliis rebus, ac commoditatibus Ecclesiæ, tum melioribus temporibus. Ideoque appetentibus etiam Calendis Novembribus, quibus indictum Concilium est, reor, Eum decrevisse, ut ad nos tuto redeas. Aget autem de hac re diligenter, & cum Serenissimo Romanorum, & cum Christianissimo Gallorum Regibus. Ego quidem non tantum summo desiderio, quo fateor me teneri, tui videndi, ac fruendi jucundissima consuetudine tua, verum etiam e Rep. esse censeo, ut ad nos tutus redeas; nam humana conjectura nullum aditum conjicere possum patere nobis ad sanandum, aut aliqua ratione curandum eum morbum, cujus curationem summopere cupimus. Hæc raptim tibi potui scribere. Vale in Domino nostri memor.

Ex Roma pridie Calen. Julias M.D.XXXVII.

Jac.

XXVII.

Jac. Sadoletus Cardinalis Regin. Polo Cardinali.

POst discessum tuum nihil adhuc ad te dedi litterarum, quod de publicis rebus acta omnia ad te mitti sciebam. De tuis autem nihil mihi nominatim mandaras proficiscens, quod me tua causa facere, aut sentire oporteret. Quod si fecisses, benevolentiam tibi meam, & præstitissem re ipsa, & litteris sæpe declarassem, etsi ad meum tibi amorem testificandum non opus puto litteris. Hic nos in magno metu Turcarum assidue sumus: præsidia tamen adhuc nulla, quæ quidem appareant, comparata habemus: nisi illud unum maximum nobis est præsidium, quod positum est in Principis consilio, & sapientia, qui jam sæpius nobis confirmavit, se in communi tuenda salute animo excubare. Et tamen arbitror a rerum peritis dictum, nisi extremo Sextili mense liberum ad nos cursum classem habere hostilem non posse. Tuos conatus non eum habuisse exitum, quem cuperemus, doleo equidem vehementer. Sed hoc æquiore animo fero, quod ita prævideram. Tu modo salvum te nobis exhibeas, atque restituas, occasiones aliæ non deerunt. Non enim eundem tenere statum diu possunt, quæ tantopere sunt commota. Nos hic in fortuna tenui sustinemus tamen onus dignitatis, quod possumus; rectam adhibemus voluntatem, reliqua Deo permittimus. Te amamus, te colimus, ut debemus, amarique item abs te cupimus. Tu, si quid forte per litteras mihi demandaveris, efficiam, ut te non frustra id fecisse intelligas. Episcopum Veronensem nostrum plurimum verbis meis salvere jubeas, velim. Vale. Romæ iv. Nonas Julii M. D. XXXVII.

Reg-

XXVIII.

Reg. Card. Polus
Gaspari Cardinali Contareno.

Legi tuas litteras, quas ad Priolum nostrum x. Junii dedisti, quas video te scripsisse, cum nihil dum de nostro huc adventu acceperas. Sed paulo post existimo te meas litteras de omnibus rebus habuisse. Video vero te, cum illa scriberes, valde nostro periculo fuisse commotum, quod certe timendum fuit, si illis in locis hæsissemus, in quibus cum illas litteras dares, nos adhuc esse judicabas. Sed Dei bonitas, Illustrissimi, & Reverendissimi Leodiensis opera, melius nobis de loco prospexit; quod ni factum fuisset, frustra quidem ad reditum hortabaris, nisi prius per Pontificis amicos via fuisset patefacta; id quod maxime ut fieret, in litteris ad Dominum Ambrosium scriptis contendi. Tunc enim obsessi magis, quam liberi videbamur, ut nusquam ex Urbe, in qua clausi tenebamur, exire liceret, quæ ne ipsa quidem satis nobis tuta fuit. Nunc vero etsi de Urbe ad commorandum satis, ut spero, tuta, nobis sit prospectum, id, quod Dei primum beneficium summum, & Reverendissimi Leodiensis agnoscimus, tamen si hinc discedendum esset, quo pacto itineri nos committeremus, quacumque eundum esset, ut non iisdem angustiis, quibus prius teneremur, nisi prius SSmus Dominus Noster cum Principibus, per quorum provincias esset transeundum, omni auctoritate, & gratia egisset, ut ubique transitus liber, & tutus detur, prorsus non video. Sed tu nunc times, si diutius in his regionibus commoraremur, ne indignitatem ea res haberet, præsertim cum tam tenuis sit spes nos aliquid proficere posse, in eo quod caput est totius Legationis. Ad hoc quidem, si litteras meas, quas hinc binas ad te, & ad Sanctissimum D. N. de his rebus dedi, acceperis, nihil

attinet plura ſcribere, quam quæ in illis ſum complexus; omnia enim in medium attuli, quæcumque mihi in utramque partem multa de his rebus cogitanti in mentem venire tum potuerunt, neque alia nunc occurrunt, ſed ut tum me in omnibus judicio, & voluntati, atque imperio Sanctiſſimi Domini Noſtri ſubjeci, ita nuuc facio. Paratus autem ſemper ero facere quod jubet, pertinere tamen ad officium exiſtimans nihil occultare eorum, quæ mihi in negotiis verſanti, & propius omnia intuenti ad ſucceſſum rerum facere aliqua ratione videbantur, quemadmodum illæ litteræ, ſi perlatæ ſunt, ſatis oſtendunt. Quo magis vero cogito, & ea video, quæ in Anglia ſunt conſequuta, & quotidie fiunt, etſi ſenſus eo me impellat, quo maxime ſemotus a periculis eſſe poſſem, ideſt ad vos; tamen certe negotium ipſum, quod mea ſalute antiquius eſſe debet, ad manendum potius hortatur. Nec vero de indignitate eſt timendum, cum nihil magis dignitatem tueatur, quam quod auſi ſumus, & audemus contra tot minas in his locis ſubſiſtere, in quibus cauſæ adverſarius minime omnium nos manere velit, & ejecturum minatur. Quod ſi nunc diſcederemus, etiam ejeciſſe gloriaretur. Sed hoc non tanti exiſtimandum eſt, quid ille aut dicat, aut glorietur, niſi eadem res multorum bonorum animos magis fortaſſe quam quicquam eorum, quæ hactenus contra illorum ſpem acciderit, deiiceret. Mitto ad te exemplum litterarum, quas Anglus quidam Vir bonus, qui hic Lovanii ſtudiis dat operam, ad me miſit; ex quo cum quid de commoratione noſtra ſentiat intellexeris, in qua re nihil ejus ſententiam ab illorum, qui cauſæ maxime, & dignitati noſtri Ordinis favent, diſſentire puto, tum vero rogo advertas, quod tandem conſilium det, & quem modum progrediendi in hoc negotio præſcribat. Memet certe mei ipſius ſuppudebat, cum illam legerem, quod non prius mea ſponte de hac re cum Sanctiſſimo Domino Noſtro egiſſem, quod plus
cauſæ

causæ prodesse posse nunc video, quam non modo censuræ illæ, & execrationes, de quibus toties est actum, sed vel quicquam illorum, quæ vel ante, vel hoc tempore excogitare potui. Si autem ut vere judico, contra Turcam externum maxime nobis auxilio fuisse istas preces, contra internum multo magis profuturas judicare debeo; quo magis in gloriam Dei, & Ecclesiæ utilitatem, si Christus precibus annuere dignaretur, certo cederent. Quare obsecro, cogita, quid fieri possit, & debeat. Reliqua ex Prioli nostri litteris cognosces.

Hactenus jam scripseram, cum ecce Pontificis litteræ mihi redduntur, quæ inanem omnem priorem deliberationem, quam superioribus scriptis de mea hic commoratione sum complexus, ostendunt. Illæ enim me revocant, & primo quoque tempore reditum ornare jubent. Quibus cum promptissimo animo parere, sim paratus, frustra quidem priora scripta mitto, nisi forte hoc ad rem facit, ut ex illis, & ex iis, quas nunc scribo, scias nihil tam fixum in animo meo esse posse, quod non statim ad imperium illius, cujus obedientiæ me totum dedi, sim rejecturus. Itaque ad Pontificem scripsi, nihil prorsus opponens eorum, quæ in tali causa tam celerem reditum possent verisimili ratione dissuadere, sed monstrans tantum id quod est, animum in obediendo promptissimum. Quod vero mea sponte optabam, hoc solum fuit, ut vel agricolarum patientiam tali in causa, qui agricolas animarum esse profitemur, ostenderemus, qui in præcipuis suis fructibus jactis seminibus hyemis saltem spatium, ut adolescant, expectant. Et ego quidem ultra unius hyemis intervallum, ut tantæ causæ, cujus semina tam bene jacta erant, ad maturandum daretur, nihil sane eram postulaturus. Sed hoc nunc illius providentiæ committo, cujus causa agitur, qui vel momento temporis speciosiore proferre potest, si velit, quam universa rerum natura, vel in universo tempore. Reverendus Protonotarius in suis ad

Reverendum Veronenſem litteris, ita reditum noſtrum accelerat, ut ne expectari quidem a nobis id tempus velit, dum a Rege Ferdinando afferatur Diploma, quod tutum tranſitum concedat, ſed nos confidere vult illis litteris, quas ad Nnncium Apoſtolicum apud Regem ſcriptas eſſe dicit. At certe nimis recens eſt hæc plaga, quam ex nimia credulitate accepimus, dum Cæſaris Oratoris verbis ſine litteris de noſtro in Flandriam tranſitu crederemus (quæ præcipuas difficultates, & pericula maxima peperit) quam, ut iterum ſpei tantum noſtræ nec litteris, nec verbis eorum adhuc confirmatæ ſimili in periculo credamus. Sed Domino credimus, & in Domino confidimus. Quod vero fieri nunc in humanis poteſt, hoc ſolum eſſe video, ut illius, & conſilio, & operæ tradamus, qui contra multorum, & præter omnium expectationem nos incolumes huc conduci fecit, & tuta nobis omnia, dum hic fuimus, præſtitit. Is eſt Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Leodienſis, ad quem nunc Dominus Veronenſis, hujus rei gratia, ut ejus, & conſilium exquirat, & opem petat, eſt profecturus. De tranſitu per Galliam nulla prorſus eſt ſpes, præſertim cum hoc conſtet Regem dixiſse, ſe nimia invidia apud adverſarium cauſæ premi, quod prius tranſitum dederit, quo etiam ne penetrare quidem poſſemus, niſi ſponte eaſdem nobis, quas prius, difficultates accerſeremus; cum quicquid moleſtiarum hauſimus, & periculorum, ea omnia in confinibus Galliæ, & Flandriæ nobis acciderint. Quod reliquum eſt, cum quantum erit in nobis procuraverimus ad itineris ſecuritatem (ne ſi aliter faceremus, ut nunc ſunt tempora, temere nos proceſſiſſe videri poſſemus) alacres, ut ſpero, poſtea nos itineri dabimus, præſertim cum hac primum ſpe nos conſolati fuerimus, ſi quid adverſi acciderit, id nobis Dei voluntate accidiſſe, & ob ejus cauſam nos pati, & cum Dei filio compati. Quod ſi compatiamur, & conregnabimus. Si enim hoc ejus bonitati pla-

placuerit, ut incolumes ad vos evadamus, præter divinam consolationem hanc etiam in terris de reditu habeo, quod ad patronum omnium benignissimum redeo, & ad tuum complexum, atque consuetudinem fruendam, qua in terris, ne vivam, si ad animi jucunditatem, & fructum aliquid habeo, quod præferam. Christus te incolumem servet. Datum Leodii xxj. Iul. M. D. XXXVII.

Quod Priolus noster meis verbis in Reverendi Veronensis causa scribit, obsecro, tibi curæ ut sit, ne ad labores, necessarios quidem illos, quos tanta humanitate, mea etiam causa, pertulisse dicere possum, sed graves utrique nostrum, etiam non necessarios, ubi nunc causa præcipua cessaverit, adjungere compellatur; quod quidem fieret, si postquam Veronam sedem suam perveniret, inde Romam me sequi cogeretur. Quare hac in parte, si gratias referre non possum, saltem ne labores frustra cumulare illi videar, utriusque nostrum precibus a Sanctissimo Domino Nostro indulgeri valde cupio.

XXIX.

Excerpta ex litteris ad Regin. Card. Polum ab Anglo, qui Lovanii studiorum causa degebat, conscriptis, de quibus mentio in proxime superiore Epistola.

Libenter accepi ex hoc tabellario, te isthic menses aliquot commoraturum, Pater Sanctissime, libentius auditurum, te in his regionibus hybernaturum, quia res Britannicæ Ecclesiæ, & Patriæ tuæ salus necessario id exposcere videntur &c. Quid illic sani esse credendum est, quæve de reliquis salus, ubi Leus, & Tonstallus gravissimi alioqui, & doctissimi, Antistites, serviliter homini adu-

adulantes e suggestu mendacia apud frequentem concionem provomunt, & Sanctissimorum Patrum decreta totius Ecclesiæ consensu approbata, ac confirmata impugnant, & tot jam sæculis receptam Romani Pontificis authoritatem elevant, imo abrogant &c. At quid tandem est (inquit Tua Paternitas) quod in hac re factum cupias? Nimirum illud, quod in negotio minus arduo, & serio factum jam aliquoties vidi, ut Summi Pontificis authoritate indicto prius universæ Ecclesiæ jejunio, quod Jovis die quopiam inchoetur receptaque ab omnibus quarto, nempe, Dominico die, Eucharistia supplicationes ubique fiant, sed divulgata causa, Sacerdotibus cum populo Deum orantibus, ut universæ Ecclesiæ pacem, ac concordiam restituat, ut Germanos, ac Britannos ad unitatem Ecclesiæ revocet, Regem, malos illius Consultores dissidii, ac Schismatis hujus authores, vel pro ipsius misericordia convertat, vel pro omni potentia corrigat &c. Quo quæso pacto afficientur nostri Mercatores, quorum ut nonnulli ipsam venerabilem Eucharistiam rident, ita plerique omnes Pontificis authoritatem dicteriis incessunt, & nomen conviciis petunt, si Antuerpiæ, & in aliis civitatibus, ubi negotiationem suam exercent, istiusmodi supplicandi ritum, ac jejunium pro Britannis, tanquam membris a Christi corpore avulsis, & palmitibus a vera vite abruptis institui, ac peragi viderint? Quam Cromvellum pudebit suæ vanitatis? Si hæc fieri conspexerit, qui Regi semper affirmavit haud dubie futurum, ut reliqui Principes prudentissimum ipsius consilium imitarentur, sibique tribuerent, ac usurparent titulum Capitis suæ quisque Ecclesiæ &c.! Optarim, ut aliquis libellus Paulinam charitatem, ac pectus referens, in publicum prodeat typis excusus, qui unitatem, & authoritatem Ecclesiæ tueatur, quique, quantum inter Regiam potestatem, & Pontificiam intersit, luculenter declaret ex Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum authoritate, & sententiis confutans illum librum, qui eodem argumento ante aliquot an-

nos

nos prodiit in Britannia ab iis compositus, qui data opera corrumpere, ac tenebris offuscare veritatem videntur, quo in libro consilium itineris tui, ac Legationis a te susceptæ aperiri poterit, aliaque Apostolico spiritu tractari, quæ ad sarciendam Ecclesiæ pacem, atque concordiam, aut ad emolliendos obduratorum animos facere videbuntur. Istiusmodi Opusculum non tantum Britannis conducet, sed universæ prorsus Ecclesiæ, nam quæ ad Regem, & ejusdem Consultores a Tua Paternitate in Britanniam scripta privatim mittuntur, ea crede cum maximis cachinnis excipi, & ceu nihil ponderis habentia irrideri. Sunt homines αὐθάδεις καὶ φίλαυτοι

XXX.

Gaspar Card. Contarenus Regin. Cardin. Polo.

B*Inus familiaris tuus a secretis nunc mihi significavit, post horam tabellarium hinc ad nos profecturum, ideo rogor paucis lineis concludere Epistolam. Litteras tuas, simulque Prioli nostri nudius quartus accepi, ex quibus intellexi, quo in statu res vestræ essent. Nudius tertius fui cum Pontifice, cum quo egi, ut litteræ Apostolicæ Regi Romanorum, Regi Galliæ, & Archiepiscopo Coloniensi scribantur, quibus a Principibus illis efficaciter contendatur, ut vobis procurent tutum ad nos reditum. Negotium datum fuit Blosio, qui ad vos, ut audio, missurus erat eas litteras. Hic nomine Pontificis agetur etiam cum Oratoribus Cæsaris Regis Romanorum, & Regis Galliæ, ut per suas litteras idem agant. Pontifex longe præfert reditum vestrum per Galliam, quam qer Germaniam, ubi non erit vobis agendum cum tot Principibus, quorum diversæ sint factiones, & studia. Hæc sententia mihi quoque magis probatur. Deus Optimus diriget gressus vestros. Cadent a*

latere

latere vestro mille, item decem millia, ad vos autem non appropinquabunt. Ego avidissime expecto vestrum reditum. Nos valemus, urgemur magnis æstibus, quos tamen magna in parte minus molestos reddit noster Galeatius. Classis Turcarum maxima, simulque terrestris exercitus cum Rege jam aliquot diebus pervenere Aulonem, seu Valloniam; in dies, seu potius in horam expectamus nuncium, quod in Italiam trajecerit exercitus. Hic fit delectus peditum. Omnes nostri familiares, item Reverendissimus Theatinus, ac Sadoletus plurimum se tibi commendant. Bene vale in Domino. Angustia temporis nunc resistit, ut possim respondere Priuli litteris. Ex Roma die xxj. Jul. M. D. XXXVII.

XXXI.

Regin. Card. Polus
Gasparo Cardinali Contareno.

ETsi nulla prope mea Epistola ad te fuit, postquam in hanc provinciam veni, quæ non secum testimonim aliquod attulit summæ in me humanitatis, & beneficientiæ Illustrissimi, & Reverendissimi Leodiensis, tamen cum ille augere non cesset suam benignitatem; nec ego cessare possum de eadem sæpius testimonium reddere, præsertim cum non tam in meum commodum redundet, quam in honorem Sanctissimi Domini Nostri, & istius S. Sedis, & Sacrosancti Collegii; sic autem est, ut ex pluribus meis litteris perspicere potuisti, nisi Dei bonitas in his provinciis talem virum quasi Josephum alterum in salutem fratrum præmisisset, & in summa auctoritate collocasset, jam Legatus Vicarii Christi, & communis Patris omnium Christianorum hostibus illius nominis, & sedis prædæ fuisset, neque in provinciis Principum Christianorum invenisset, ubi in tuto pedem ponere posset; hic vero deficientibus aliis, a quibus omne sub-

ſubſidium merito expectabatur, non ſolum tutum locum præſtitit, ſed ſic omni humanitate receptum in tutum eſt complexus, ut non ſolum frater a fratre, ſed ne filius quidem a patre plura expectare poſſet. Hoc vero eo nunc libentius repeto, quod video incidiſſe occaſionem, per quam Sanctiſſimus Dominus Noſter oſtendere poſſit, quam grata hæc illi officia fuerant, quod non minus maxime generoſo animo SS. D. N. jucundum fore ſcio, præſertim cum cauſa, quam ſibi concedi poſtulabit, talis ſit, ut tanto viro, & tam benemerito de Sede Apoſtolica gratificando, univerſæ huic provinciæ, quæ ſumma illius induſtria, & vigilantia Reverendiſſimi in fide, atque obedientia Sanctæ Sedis tenetur, quæ jam vacillare cœperat, ad Dei honorem, & animarum ſalutem maxime conſulere poſſit. Qualis vero hæc cauſa ſit, quoniam Rev. Veronenſis litteræ ad Dominum Carolum de Fano fuſius eandem explicant, qui in mandatis habet, ut eandem tecum conferat, ab eodem dignaberis intelligere; hoc tantum per meas litteras abs te cupio impetrare, ut perceptam, & cognitam ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum referas. Reliqua maxime generoſo ejus animo permitto. Sed de iis hactenus. De me hoc tantum ſcribere poſſum, ad reverſionem me ſic eſſe paratum, ut quando ita Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuiſſe jam pridem intellexerim, neque hoc tempus fuiſſem expectaturus, niſi Reu. Veronenſis ab Aula Reginæ, & ab Illuſtriſſimo Leodienſe recedens, & mihi ab illo mandata retuliſſet, illum ſe non poſſe pati, ut prius e provincia diſcederem, quam mutuo ſalutaremus, atque una aliquot dies conſumeremus: quare rogare, ut paucos dies expectarem, illum haud cunctaturum, quin ſtatim poſt Rev. Veronenſem ſubſequuturum; id quod eum feciſſe ex ratione dierum video, nunc enim in vicinam nobis Urbem, quæ octo milliaribus hinc diſtat, eum perveniſſe audio, & poſt biduum affuturum. Reliqua ex Prioli noſtri litteris intel-

liges, & quæ restant coram, quando, ut spero, Deus nobis prosperum ad vos iter concesserit, ubi nihil mihi jucundius esse possit, quam te salvum, & incolumem cum communi Patrono invenire. Deus hoc faxit, & in multos annos idem concedat. Leodii x. August. M. D. XXXVII.

XXXII.

Gaspar Card. Contarenus. Regin. Card. Polo.

Heri, paulo antequam pranderem, redditæ mihi fuerunt litteræ tuæ datæ xxij. die Julii Leodii, simul cum litteris, quas destinaveras ad Pontificem, nec non cum exemplo pientissimæ Epistolæ ad te conscriptæ ab eo Juvene tuæ Gentis, qui Lovanii dat operam litterarum studiis, quique ob pietatem, & eruditionem omni mihi videtur laude dignus. Perlegi omnia diligenter, & quoniam Pontifex ex hac nostra regione Urbis, quam nunc colimus, diverterat in Vaticanum, misi Becatellum nostrum; qui omnes tuas litteras, quas mihi scripseras, item exemplum Epistolæ illius pientissimæ, ac tuas ad Pontificem litteras dedit Rev. Protonotario Ambrosio legendas, ut etiam, si ei videretur, commodiori hora faceret copiam Pontifici omnium, simulque tuam Epistolam ei redderet. Recepit is se omnia facturum tempore commodo, asseruitque gratissimam fore Pontifici Epistolam Angli, Græca, & Latina lingua simul conscriptam. Hodie, cum mensæ assiderem, remisit Protonotarius omnes tuas litteras, simulque significavit per nuncium, eum, qui mihi tuas litteras attulit, hoc vesperi tabellarium hinc in Flandriam profecturum, cui daturus ipse erat ad te litteras nomine Pontificis, mihique item injunxit, ut Sanctissimi Domini Nostri nomine tibi eadem scriberem, videlicet, tribus rationibus Pontificem adductum fuisse, ut te inde Romam revocaret. Prima, quod non sine indignitate putabat te isthuc amplius moram

ram trahere absque spe ulla quiepiam efficiendi; deinde, quod, & tibi timeret, ac etiam vereretur, ne Leodiensis, magis quam par esset, incommodi caperet ob diuturnam vestri cunctationem Leodii; postremo, cum Indictionis Concilii tempus, Kalendæ, inquam, Novembres, jam prope esse incipiant, summopere concupivisse, ut ad id tempus tu quoque nobiscum adesses. Verum, quoniam ex litteris tuis multa intellexit, quæ persuadere nobis possint, non inutilem Dei Ecclesiæ, & conservandæ pietati Anglorum, tuam ibi curationem fore, rem omnem, ac deliberationem, consiliumque, tui vel reditus ad nos, vel mansionis, tuo judicio permittit. Facias tu id, quod magis in rem Christianam fore existimabis. Hæc summa. Nescio, an hæ nostræ litteræ te sint inventuræ in Flandria, an in itinere. Deus Opt. Max. dux tui itineris est. Quicquid evenerit in meliorem partem accipito. Nos hic valemus, sed urgemur gravi æstu, qui tamen incipit mitescere. Turcarum classis cepit in ora Salentinorum oppidum Castrum per deditionem, & quamvis polliciti fuissent, se permissuros omnes incolumes abire cum his rebus, quas ferre per se unusquisque posset, nihil minus capto oppido, cum jam recessuri Oppidani, & milites, portas exissent, & a præfecto classis, qui aderat extra mœnia, libera eis profectio, ut pacti fuerant, pronuntiata esset; discessit præfectus in oppidum, at Turcæ, vix dum præfectus abierat, ad unum omnes trucidarunt infantes, & fœminas, præter juniores, & quosdam adolescentes. Hactenus nihil egregium Turcæ fecerunt. Captæ fuerant a Principe Doria, præter naves onerarias quasdam, xiv. Triremes optime instructæ, non tamen potitus est victoria incruenta; se Messanam recepit, classem instaurat, ut majoribus viribus rem hostium interturbet. Nostræ Triremes etiam inciderunt in classem Turcicam, a quibus excepti, ut hostes; duas ex nostris Triremes ceperunt, tertia depressa, nostri omnes ad unum a Turcis cæsi. Turcarum Triremis una a nostris ca-

pta, omnes ii trucidati. Non video, quorsum Deus Optimus hunc magnum armorum apparatum dirigat. Summis precibus a nobis omnibus orandus, ut det gloriam non nobis, non nobis, sed nomini suo, ne dicant impii, ubi est Deus eorum, ubi Christus, cujus nomen est invocatum super nos? Quidquid tamen evenerit, magno animo tolerandum. Hæc sunt, quæ ut scires digna putavi. Multa præterea possem tibi significare, sed brevitas temporis, æstus, ac longius jam scripta Epistola, simul cum segnitie quadam, mihi persuadent, ut finem faciam. Dii te, omnesque tuos nobis incolumes servent. Vale in Domino. Ex Roma die xij. Augusti M. D. XXXVII.

XXXIII.

Reg. Card. Polus Domino de Prat.

CUm antea Dominationem Vestram eo modo tantummodo diligerem, quo ii diligi solent, qui, cum neque de facie tibi noti sint, neque ullum in te præcipuum aliquod officium contulerint, ob virtutes tamen aliquas, quæ de ipsis prædicantur, diliguntur; nunc factum est opera Reverendi fratris mei Episcopi Veronensis, ut ad communes mihi cum plerisque amoris erga ipsam causas, præcipua mea quædam etiam accesserit, quod videlicet, & cum primo ille Dom. V. de me allocutus esset, & nunc etiam postremo, adeo propensum ipsius, ac benevolum erga me animum renunciavit, ut, cum paucis diebus in Italiam reversurus sim, neutiquam existimaverim hoc a me officium debere prætermitti, quin, cujus amicitiæ mihi conciliandæ ipse author fuerit, eam ego, quantum quidem per litteras assequi possem, aut per tam breve temporis spatium liceret, confirmatam relinquerem, in maximo lucro deputaturus, si hoc mihi adipisci contigerit.

Ha-

Habebit igitur Dominatio Veſtra litteras haſce teſtes meæ erga ſe voluntatis, animique propenſiſſimi, ſibique ea velim perſuaſum habeat, me, ubicumque futurus ſum, ad omnia ejus commoda ſemper fore paratiſſimum, ab eaque vehementer peto, ut talem ſuum erga me animum conſervet, qualem ex ejuſdem Reverendi Veronenſis Epiſcopi verbis cognovi, & libenter ſum amplexus. Leodii xij. Auguſti M. D. XXXVII.

His litteris ſcriptis, & nondum complicatis ea, quæ mihi de D. V. Rever. Veronenſis retulerat, ita poſtea ſua oratione Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Leodienſis ſubſecutus eſt, ut jam de ejus erga me animo, quæ firmiſſima ante habebam multo magis affirmaverit mihi. Cujus quidem Leodienſis erga Sacroſanctam Apoſtolicam Sedem, meque adeo, ipſius nomine, mirificam liberalitatem nunquam tacitus apud D. V. poſſem præterire, quam, ut mihi videor videre, qui ejus in illum amor eſt, mirabiliter credo omni hujus Principis laude delectari. Hoc enim ſciat, velim, eam tantam fuiſſe, ut omnes fere theſauros, arcaſque ſuas mecum videatur voluiſſe eſſe communes. Adeo præter ſingularem in me pene in ſinu ſuo fovendo humanitatem, per tot menſes, quibus hic fuerim commoratus, nunc diſcedentem liberalitate pluſquam Regia me eſt proſequutus. Non deficit animus Rever. D. Epiſcopo Veronenſi ad D. V. aliquid ſcribendi, antequam ex his locis diſcederet, ſed cum is me ad eam ſciret ſcribere, iccirco ipſe hujuſcemodi officio ſuperſedit, cum quidem rogatus ab eo, ut ſe ei per haſce meas litteras plurimum commendarem, id me facturum libentiſſime receperim, quod quidem, & facio, ipſius in eam animi obſervantiſsimi teſtis certiſsimus, & iterum felix valeat D. Veſtra.

Leodii xij. Auguſti M. D. XXXVII.

Reg.

XXXIV.

Reg. Cardinalis Polus
Corn. Scerperio S. C. M. Consiliario.

VIsus mihi essem prorsus ab officio humanitatis discedere, si cum Rever. frater meus Episcopus Veronensis ea mihi narrasset de singulari humanitate D. V. benevoloque ipsius erga me animo, non saltem illi per litteras gratias egissem, atque hoc modo, qui mihi in præsentia unus tantum suppetit, in amore illi respondissem, & hoc tempore, cum jamjam reditus meus in Italiam instet, aliqua ratione testatum hunc meum erga ipsam animum reliquissem. Id his litteris facio, quas tanquam certissimum pignus meæ erga se benevolentiæ, amorisque perpetui habebit, quibus ab ea peto, ut, ubicumque futurus sum, me ad omnem ejus voluntatem paratissimum futurum sibi persuadeat; atque ita, ut longe gratius sim habiturus, me animum meum certo aliquo indicio erga ipsam declarare, quam ipsam quicquid a me in illam conferri officii possit, accipere. Interea autem non possum facere, quin testatam apud D. V. singularem Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Leodiensis erga Sacrosanctam Sedem Apostolicam, meque ipsum, ejus nomine, pietatem relinquam, qui in summis difficultatibus non modo humanitatem summam in me exhibuit, verum etiam liberalitate, & muneribus plusquam Regiis me affecit. Hoc omnino D. V. volui scire, ut haberet unde Illustrissimo Domino Leodiensi, quem ab ea plurimum amari scio, de tanta pietate vere, ex animoque posset gratulari. Quamdiu bene valentem Deus conservet.

Erat in animo Rev. D. Veronensi omnino scribere ad D. V. aliquid, sed id eo destitit, quod ei, cum nulla præsertim necessitate urgeretur, molestus frustra esse noluit, qui tamen

tamen in hiſce meis litteris ſalutem ei plurimam adſcribit. Leodii die xij. Auguſti M. D. XXXVII.

XXXV.

Regin. Card. Polus Archiepiſcopo Panormitano Secreti Conſilii S. C. M. Præſidi.

FEcit Rev. frater meus Epiſcopus Veronenſis, ut, cum brevi redeundum mihi in Italiam ſit, nullo modo potuerim prætermittere, quin ad D. V. aliquid ſcriberem, quo teſtatum apud ipſam benevolum meum erga ſe animum relinquerem. Ea enim mihi retulit, & de humanitate, & de animo ipſius erga me, ut alienum prorſus ab omni hominis officio merito me fuiſſem putaturus, niſi eo ſaltem modo, quo mihi liceret, in præſentia ei per litteras eſſem teſtificatus, id mihi audiviſſe, fuiſſe jucundiſſimum. Cum alia permulta ſint, propter quæ eidem Epiſcopo Veronenſi me multum intelligam, tum ob hoc ipſum, immortaliter me ei debiturum facile, & cognoſco, & fateor, quod videlicet, talem mihi amicum conciliavit, ut, quem antea de fama notum tantum obſervabam, nunc ex benigna ipſius in me, meaſque res voluntate cogar diligere. Hujus autem amoris erga D. V. mei haſce ad eam litteras teſtes eſſe volui, ab eaque vehementer peto, ut me, nihilo ſecius ac ſcribo, adverſus ſe animatum eſſe ſibi perſuadeat, ſemelque inſtitutum benevolentiæ erga me ſuæ curſum proſequatur, ac, ſi quando dabitur facultas, me Sereniſſimæ Reginæ velit commendare. Et quoniam admirabilem hic non modo humanitatis abundantiam, verum etiam pluſquam Regiæ liberalitatis ſplendorem in me Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Leodienſis expertus ſum, & facile intelligo, pro ſuo erga ipſum amore, D. V. magnam capere voluptatem opor-

oportere, si quod de ejus virtutibus a quodam prædicetur, nolo nunc eam hac voluptate privare. Scierit igitur D. V. eam hujus optimi Viri benignitatis magnitudinem extitisse, ut majorem nec a benevolentissimo amico, nec ab opulentissimo Rege sperare unquam possis. Rev. Dominus Episcopus Veronensis etiam ipse ad D. V. aliquid scripsisset, nisi se intempestivum ab ea judicatum iri dubitasset, idem tamen ei in hisce litteris salutem plurimam adscribit. Valeat D. V. quàm Deus perpetuo felicem conservet. Leodii xij. Augusti M. D. XXXVII.

XXXVI.

Regin. Card. Polus Gaspari Card. Contareno.

ETsi quoties ad statum Angliæ respicio, idest ad eos, qui nunc potiuntur rerum (quos video, ita odiosos esse omni generi hominum propter continuas suorum cædes, & spolia Ecclesiarum, ac fidem nulli servatam, ut nihil infirmius eorum statu esse posit, modo esset qui vel paulum impelleret, quod diutius deesse non posse, & propter vicinum novis, & justis de causis maxime inimicum, & transfugatorum numerum, qui apud eum sunt, maxime mihi persuadeo) ægro certe animo, quoties hæc cogito, hinc divellor, ubi in tempore ad omnes occasiones pro utilitate Ecclesiæ, si quid acciderit, videor adesse posse; tamen cum Vicarius ejus, qui Dominus est, & Sponsus Ecclesiæ, ac omnia ad ejus utilitatem, etiam quæ damnosissima videntur, dispensat, me jubet redire, libentius nunc quidem ejus imperio, quam meæ voluntati pareo, sciens supra omne sacrificium gratam illi esse obedientiam. Quare nunc promptissimo animo venio, quamquam adversariorum malitia securitatem itineris valde suspectam facit; de quorum conatibus sæpius sum admonitus.

tus. Sed hic vero Illustrissimus, & Reverendissimus Leodiensis, qui ultra omnem spem jam aliquot menses nos ita fovit, ut quamquam ex ipsius verbis omnia magna expectare potuerim, nunqnam tamen tantam humanitatem, tantam munificentiam expectaverim, vere enim hoc tempore, quo hic fuimus, & maxime in discessu plusquam Regia liberalitate erga nos est usus; hic, inquam, quicquid excogitari poterit, ut omnes laqueos effugiamus, maxime post Christum, ut spero, providebit, qui jam triduum de via ex itineris ducibus consultavit, dum singula circumspicit, quæ cadere posint, & omnibus periculis occurrere studet, tantæ illi curæ est, ut incolumes evadamus: quod Christo præcipue duce futurum spero. Cras autem, illo concedente, nos viæ committemus. Te nunc, & communem Patronum si videre liceat, patriam, & propinquos omnes videbor recuperasse; ad vos enim omnia, quæ hac in parte delectare posint, videntur esse translata. Christus te conservet. Leodii xxj. Augusti M. D. XXXVII.

XXXVII.

Idem Eidem.

PRius Tridentum ipse perveneram (quam Urbem nosti in conspectu pene Italiæ esse) antequam mihi redderentur illæ litteræ Rev. Protonotarii, in quibus verbis S. D. N. significabat, integrum meo judicio relinqui, sive hybernare vellem in provincia Leodiensi, sive ad Urbem redire. Sed quod non integrum fuerit aliter facere, quam quod facio, quodque necesario ad Urbem mihi properandum fuerit, locus ipse, ubi me illæ litteræ offenderunt, satis declarat. Agnosco vero utrobique summam S. D. N. in me benignitatem, & in Dei causam perpetuum zelum, quem, & priores litteræ, quæ me revocarunt, maxime

xime oſtendunt, & poſteriores, quæ hoc idem judicio meo permittunt, magis explicant; tuæ vero litteræ in eandem ſententiam ſcriptæ, maxime. Quibus hoc tantum nunc reſpondere poſſum, judicium meum tale eſſe, ut optime cecidiſſe exiſtimem, quod evenit, ideſt ut non prius illas litteras haberem, quam prioribus paruiſſem, Deique voluntatem eſſe, ut ad vos redirem, quod ſpero intra paucos dies futurum; has enim litteras Bovolonæ in Villa Rev. Veronenſis ſcripſi, quæ non longe ab Hoſtilia oppido Agri Mantuani in ripa Padi poſito diſtat, quo nos cras cogitamus, ut inde Ferrariam ſecundo Pado navigemus, & poſt eodem flumine uſque Ravennam; hoc enim, & ad facilitatem itineris maxime confert, &, cum nos Loretum cogitemus, illa via maxime compendioſa videtur. Rev. Veronenſis Ferrariæ nos relinquet, ſi tali verbo uti licet, ut relinqui nos dicamus ab illo, qui, ut præſens conſilio, amore, omni genere officiorum nos proſequi nunquam ceſſavit, ſic multo magis diſcedentes, adjunctis etiam liberalitatis ſuæ pignoribus, in quem ego potius liberalis eſſe deberem. Sed hoc cum Deus dederit, nunc abſtuliſſe videtur, ut aliorum liberalitati locum patefaciat: ſed hæc nunc ejus liberalitas ſemper eum præſentem mecum futurum, nec unquam ab eo relinqui poſſe, maxime oſtendit. Veronæ mihi jucundiſſimum accidit, quod Illuſtres Thomam fratrem tuum, & Matthæum Dandulum, ſororis tuæ virum, ſum amplexus, qui mei ſalutandi cauſa, ſtatim ut de meo adventu audierunt, eo advolarunt, haud alio, mihi crede, genere gaudii illos amplexans animum mihi profundi ſentiebam, quam quo ſolebam perfundi parentes, & propinquos ex longo intervallo videns, quos in horum ſimiles Deus tranſtuliſſe videtur. Priolus noſter alter Achates a latere nuſquam diſcedit. Reliqua coram, ut ſpero, brevi. Chriſtus te ſervet.

Pridie Kal. Octobr. M. D. XXXVII.

Iſido-

XXXVIII.

Isidorus Monachus Regin. Card. Polo.

Cum allatum mihi esset quorundam fama, te, Pater Reverendissime, Legatione tua functum, incolumem, ac salvum ex tam longo itinere revertisse, gratulatus equidem animo sum, & servatori omnium Deo gratias egi, qui benigne id praestiterit, quod votis omnibus quotidie efflagitaveram, ut te cum Reverendissimo Veronensi Episcopo, caeterisque mihi tum carissimis, tum maxime venerandis comitibus, praesertim Alovisio, nobis cum salute restitueret. Sed me tanta tot mensium spe fuisse frustratum, ut vel iter per Urbem Mutinam agentem, hospitio, quale idcumque esset, acciperemus, vel aliquo in loco tibi obvius fierem, id vero incredibilem in modum dolui. Verum, ut tam ingens damnum minus iniquo animo feram, ea cogitatio facit, quod illo me congressu, qui mihi fuisset rerum omnium suavissimus, indignum agnosco. Neque his me nunc verbis existimes delitias tibi facere voluisse, ita enim locupletes amoris, atque observantiae erga te meae testes habeo, ut late pateat, rem aequare omnino ulla verba non posse. Sed dolorem praeterea illud magis auget, quod, hac amissa occasione, nullam inire posthac rationem possum, aut viam invenire, ut eo fruar, cujus ego consuetudine, ac sermonibus ingentem mihi ad omnium virtutum progressus materiam suppeditari olim expertus sum. Certe enim in his hujus vitae erroribus, nihil invenio, quod ita mentem, expedire sese ab istis rebus infinis cupientem, attollere soleat, ut proborum virorum commercia, & collocutiones, quas ego sacrorum librorum lectionibus aequare, atque adeo interdum anteponere, nunquam dubitarem. Sed quando res ob meritum meum sic

accidit, illud, quo me fraudatum iri nullo modo quisquam unquam persuadebit, quotidie audire expecto; non exiguam scilicet accessionem ad rem publicam Christianam instaurandam, tuum ad Urbem Romam reditum attulisse, cujus, & exemplis, & exstimulationibus optima quæque consecutura speramus, ac nobismetipsis tuto pollicemur. Vale Pater Reverendissime, ac Domine Colendissime. Mutinæ ex Cœnobio nostro Divi Petri nonis Octob. M. D. XXXVII.

XXXIX.

Regin. Card. Polus Erardo Cardinali Leodiensi.

SOllicitam fuisse de mea salute in hoc itinere Illustrissimam, & Reverendiss. D. V. ex litteris tuis cognovi, & sine litteris hoc idem, postquam a vobis discessi, semper judicavi. Neque enim aliter fieri potest, ut præclarus artifex de suo opere non sit sollicitus, præsertim quod videt periculo obnoxium. Quid vero mea incolumitas eo tempore, quo apud Illustriss. D. V. versabar, nisi opus benignitatis vestræ, quæ contra potentissimi inimici insidias vestro præsidio in tuto collocabatur, quam cum novis periculis iterum necesse fuit exponere, nova quoque, & majori sollicitudine affici necesse fuit. Sed qui bonitatem vestram in me tuendo adjuvit, idem per totum iter servavit, & incolumem tandem in hanc Urbem tanquam in portum reduxit, qui est Christus benedictus in sæcula. Hic vero cum nihil certe mihi majori curæ sit, quam, ut Reverendissima, & Illustrissima D. V. omnes partes indulgentissimi patris in me tuendo implevit, sic ego filii pietatem, aliqua ex parte navando operam meam in his, quæ grata existimabo Illustriss., & Reverendiss. D. V. navare possim, qui omnes partes, & numeros, si occasiones dentur, implere cupio. Tale vero meum desiderium, ut sit valde gratum mihi fecit, Dominus Benedictus Agens hic, & Pro-

& Procurator Illuſtr. D. V. qui ſtatim ut veni, incœperat jam mea opera uti, quam ſpero non minus promptam illum eſſe expertum in ſerviendo, quam illum vidi vigilantem in committendo. Multo vero gratiſſimum fecit Reverendiſs., & Illuſtr. D. V. quæ ſuis litteris oſtendit, quantam fiduciam in mea qualicumque opera habet, & quid a me procurari velit, præſcribit. Sed ſic ſibi perſuadeat Reverendiſs., & Illuſtriſs. D. V. cum multos habeat amicos, qui libenter ſervient veſtris commodis, & veteres, & novos; ex veteribus autem nominare poſſum Reverendiſſimos Campegium, & Genutium, ex iis autem, qui Cardinales non ſunt, Dominus Aſcanium Ariminenſem Epiſcopum, qui nunquam patitur ſe defatigari, cum aliquid occurrit, in quo utilis Illuſtriſs. D. V. eſſe poſſit, cui parem animo, & opera Dominum Durantem intimum Cubicularium S. D. N. adjungo; ex novis autem habet Dominum Contarenum recenti iſta, & egregia veſtra pietate in iſtam Sanctam Sedem, quam in Legato ejus tuendo oſtendit, ſic affectum, ut de ejus animo, & opera erga Reverendiſſimam, & Illuſtriſſimam D. V. non minus audacter polliceri audeam, quam de meo. Habet præterea Agentem, & Procuratorem Dominum Benedictum Gentilem, omnium amicorum veſtrorum teſtimonio ſic induſtrem, vigilantem, perſpicacem, peritum juris, & conſuetudinis Curiæ, ut vel ipſe unus pro multis ſatiſfacere poſſit, & ſolus multorum aliorum onus ſuſtinere, ut ſæpe ſuſtinuit. Tamen, ut vere dicam, quod expertus ſum de Eo, a quo impetranda ſunt omnia, in quibus amicorum opera utilis vobis eſſe poſſit, ita prorſus Sanctiſſimus Dominus Noſter benignum, & facilem omnes invenerunt, & ego in primis in hoc meo adventu, cum mihi illa impetranda eſſent, quæ mihi commiſit Procurator veſter, ut parum ſit, in quo aliquis amicorum veſtrorum de ſua opera gloriari poſſit. Deinceps autem nos eodem modo ſemper in omnibus, quæ ad dignitatem augendam

gendam Rever., & Illuſtr. D. V. pertinent, & ad utilitatem veſtræ Eccleſiæ nos Sanctitatem Ejus reperturos, certum argumentum ducentes ex his litteris, quas jam fecit, & oſtendit, non poſſumus dubitare. Quare, quia quod attinet ad illius Breve, quod Illuſtriſſ. D. V. impetrari nunc cupit in majorem declarationem facultatum Legati de latere (quem honorem ultro Sanctitas Ejus Reverend. & Illuſtriſſ. D. V. detulit) ſi hujuſmodi declaratio per novum Breve plus conferre poſſit, vel ad honorem Illuſtriſſ. D. V. vel ad eum finem, ad quem Rev. D. V. tendit, ideſt ad Reformationem Cleri, quod ex primo non ita clarum fuit, tunc Reverend. D. V. nihil dubitet, jam impetratum eſſe, hoc enim audeo polliceri de animo Sanctitas Ejus, licet Eum nondum hac de re ſum allocutus; quod me amici veſtri diſſuaderent, qui derogari potius exiſtimant priori authoritati, ſi novum aliquod Breve impetretur, videlicet de authoritate ſuper Exemptis, hoc enim oſtenderet ex poteſtate Legationis de latere Illuſtriſſimam D. V. hanc poteſtatem non habere, ſi jam factus Legatus de latere per aliud Breve hoc exprimi cupiat. Atque hic mirantur amici veſtri, D. V. Illuſtriſſimam hac de re dubitare, cum nihil certius ſit, Legatum de latere hanc poteſtatem habere ex jure. Etſi quærimus exemplum, tale habemus hic ante oculos, Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Cardinalis de Mantua hanc jam authoritatem exercet in Diœceſi Mantuana maxime ad honorem Dei, & utilitatem ſuæ Eccleſiæ ex ſola facultate conceſſa Legato de latere. Hoc vero ſcribo non ex meo capite, ſed ut dico, ex amicorum veſtrorum conſilio, maxime autem Reverendiſſimi Genutii peritiſſimi harum rerum, quem hac ſola de cauſa conveni, ut ejus ſententiam quærerem, quæ eadem eſt, quam jam ſcripſi, cui Reverendiſsimus Contarenus maxime aſſentitur. Sic tamen concluſum fuit inter nos, ut, ſi aliquid adhuc ſcrupuli remaneret hac in re, niſi apertis verbis per Breve aliquod novum

novum exprimatur jurisdictio in Exemptos, hoc mihi promisit Reverendissimus Genutius, se cogitaturum aliquam formam Brevis, per quod sine diminutione prioris (quod tamen difficile factu putat) se cogitaturum talem formam, ut omnis prorsus scrupulus tollatur. Quod autem attinet ad S. D. N. Illustriss. D. V. memoria tenet verba mea, cum omnium generosissimum Principem Sanctitatem Ejus dicerem, qui ad cæteras virtutes egregias hoc præcipue habet, in retinenda grata memoria amicorum, & in multis suis factis, postquam hunc honorem ascendit, declaravit, non solum veterum, sed omnium, qui aliqua in re benevolentiam erga eum ostenderunt. Cum autem Sanctitas Ejus Illustriss. D. V. inter veteres amicos numeret, ad eam autem amicitiam accedant hæc nova, & maxima in me Legatum eius beneficia, quæ in suam personam data æstimat, de nulla re dubitare potest, quæ pertinet ad dignitatem augendam, vel ad sanctissimum propositum ejus de Reformatione Cleri promovendum attinet. Utriusque vero certissimum pignus Illustrissima D. V. habet, quod, antequam huc venirem ipse, antequam plene informaretur Ejus Sanctitas de animo Illustriss. D. V. circa Reformationem Cleri, ultro quod Illustr. D. V. ut scribit se non expectasse, Legatum de latere fecit; qua in re, ut omnes amici vestri judicant, melius consultum, vel dignitati vestræ, vel ei rei, quam maxime desiderat, esse nulla alia ratione potuisset. Ego, qui longum sermonem cum Sanctitate Ejus haberem, maxime de animo Illustr. D. V. circa Reformationem Cleri, cum, & necessitatem Reformationis exponerem propter corruptissimos illorum mores, & optimum zelum Illustr. D. V. patefacerem, & præterea adjungerem, quod instrumenta accommodatissima, & optima ad hoc perficiendum haberet, Deo vestrum sanctum propositum adjuvante, cum Dominum Tungrensem, & Dominum Theodoricum vobis dedit, quos ambos sic depinxi Sanctitati Suæ. Theodoricum vero Ejus Sanctitas dice-

dicebat se hic Romæ cognovisse, probitatem vero, & doctrinam valde laudavit. Cum vero, & cætera omnia, quæ ad utilitatem summam Ecclesiæ illius esse possent, quando jam Illustr. D. V. hanc authoritatem reformandi Cleri cum hoc zelo, & ejusmodi instrumentis haberet, exposuissem, maxime delectari Ejus Sanctitas hoc sermone est visa, quæ eundem animum erga Reformationem universalis Ecclesiæ ostendit, quem Illustriss. D. V. erga suam. Sed cum quasi parvum navigium tranquillo mari sit Ecclesia Illustriss. D. V. facile fructum tam pii desiderii omnes sentiant, Illustriss. D. V. brevi, ut spero, faciet, quod in tam magna navi, tot fructibus agitata, qualis est Ecclesia universalis, tametsi Sanctitas Ejus fructum semper amittere non potest tam piæ voluntatis, tamen sentiri non tam facile potest, præsertim cum tam multos præterea hostes habeat. Sed Sanctitas Ejus &c. *Deest finis. Romæ Mense Novemb. M. D. XXXVIII.*

XL.

Idem Eidem.

ETsi nihil magnopere habeam, quod scribam ad Illustrissimam D. V. præsertim cum per proximum tabellarium ad omnia rescripserim, quæ Illustrissima D. V. per litteras suas mihi agenda commisit, neque hic tabellarius quicquam ab Illustrissima D. V. attulit, quod me scribere provocaret, neque hic aliquid dignum accidit, de quo certiorem fieri Illustriss. D. V. per litteras oporteret, adeo ut per negotia, quæ pertinent ad Illustr. D. V. mihi quidem tacere liceret; tamen quia sæpius cupio audire de incolumitate Illustriss. D. V. nec minus libenter Illustriss. D. V. de mea audire, tanquam de filio suo, in quem tot officia indulgentissimi patris ostendit, certo scio; ideo sciens quidem, tabellarios prætermittere, minime

nime ſtatui. Hoc vero repetere volui, quod ſcripſi ſuperioribus litteris, ſic integrum ſibi fuiſſe delatum munus Legationis in ſua Diœceſi, ut nihil prorſus, quod facultates attinet Legati de latere, in jure præſcriptum prædatur. Quod ſi aliquid ſit, quod majorem declarationem, præſertim quod attinet ad jurisdictionem ſuper Exemptos, quam omnes putant apertiſsime in facultatibus Legati de latere contineri, Illuſtriſs. D. V. cum ſuis peritis harum rerum conſulat, & ad me perſcribi faciat formam, in qua magis explicari hic articulus poſsit, Illuſtriſs. D. V. habeat pro conceſſo; talem enim ego novi animum Sanctiſsimi Domini Noſtri erga Illuſtriſs. D. V. ut nihil eſſe poſsit, quod aliquo modo conferat ad exequendum ſanctiſsimum propoſitum tuum circa Reformationem Cleri ſui, quod non libentiſsime concedat. Qua de re cum loquerer cum Sanctitate Sua nudus tertius, cum affinem quendam Illuſtriſs. D. V. Dominum Hermanum, qui cupiebat in familiam Reverendiſsimi Farneſii Nepotis Sanctitatis Suæ aſcribi, Sanctitatis Suæ commendarem, quam libentiſsimo animo admiſit, & in familiam Reverendiſsimi Farneſii inter primores familiares admitti juſsit, ex eo occaſionem nactus ſum plura de animo Illuſtriſs. D. V. circa Reformationem Cleri dicere, & quam utilis ipſi Clero, utcumque repugnanti, hæc res eſset, qui niſi vivente Illuſtr. D. V. reformaretur, periculum eſset, ne poſt mortem ejus a populo non ferente illorum mores, quod nunc magis propter timorem Illuſtriſs. D. V. quam ob aliam cauſam abſtinent, ſed periculum, hoc timore ſublato, ne prorſus in eos invaderet, bonis autem ſpoliati, vel abiicerentur, vel trucidarentur; ita illorum mores abhorrere a vita Clericorum, & Sacerdotum, omnium animos irritat. Quare ſalutariter propter eos Illuſtriſs. D. V. poſtulabat fieri, ut reformari poſset a ſe, & multo neceſsario Pontifex conceſsit. Quare valde tuo facto eſt gaviſus, neque vero præter illos terminos præſcri-

N

ſcriptos Pontifex alios præſcribit , ſed eos limites cupit eſse ei Legationi , quos ſibi Deus in omnibus ſuis factis ſibi præſcribi patitur , ii ſunt honor ſuus , & utilitas ſubditorum. Si ergo faciat , quod ſcio Eum in animo habere , ut hos ſolos terminos ſibi præſcribi permittat honor ſuus , quem inveniet in omnibus ſpectando honorem Dei , & utilitatem ſuæ Eccleſiæ , & Subditorum . Reliqua omnia libere agat . Multa ego dixi de inſtrumentis illis , quæ Deus conceſsit Illuſtr. D. V. ad exequenda præclara mandata veſtra , Domino Tongrenſi , ac Domico Theodorico , ac optimo juvene Domino Joanne Vitten , qui multos alios poſsunt allicere , ſic vt deeſse non poſsint . Adeo ut , ſpero , ſi generale Concilium futurum ſit Vicentiæ , de quo Pontifex optime ſperat , quia de pace inter Princeps magnam ſpem habet , Illuſtr. Domin. V. hac in parte cum ſuis , Sanctitatis Suæ propoſitum cum ſuo etiam conſilio , & ſuorum maxime adjuvare poſsit ; habet enim eandem voluntatem Sanctitas Sua in reformanda univerſali Eccleſia , quam Illuſtriſs. D. V. habet in ſua. De loco autem Concilii in aliis litteris ſcripſi fuiſse civitatem Vicentinam , quam Illuſtriſsimi Domini Veneti dederunt ; nunc autem Sanctitas Sua decrevit mittere duos Prælatos ad Illuſtr. Statum Venetum , qui gratias agant , locum autem proſpiciant , ac diſponant . Alterum hinc mittet Epiſcopum Regienſem ex familia Rangonæ , alter credo erit Dominus Veronen. qui prope Vicentiam Veronæ nunc agit , & in Epiſcopatu , qui eſt deditiſsimus Illuſtriſs. D. V. quod nihil opus eſt dicere Illuſtr. D. V. quæ hoc optime novit , ſed hoc etiam maxime oſtendit in illis litteris , quas ſcripſit ad ſuos hic amicos de negotio Legationis D. V. adeo ut , quemadmodum mihi retulit Dominus Benedictus diligentiſsimus Procurator Illuſtriſſimæ D. V. cum per eam viam , quæ primo fuit propoſita ab Illuſtriſsima D. V. circa Reformationem , quod hic periti earum rerum dubitarent , quomodo poſset ſatisfieri

tisfieri petitioni illi cum honore suo, & minima querela aliorum, quod multa etiam impedimenta occurrerent, amicus quidam Domini Veronensis admonuit eos de Legatione, quæ statim ab omnibus vestris amicis fuit accepta, tanquam expeditissima ad omnia sua vota exequenda, & maxime honorifica, sed tamen, ut scripsi, si aliquid deesse putat ad suum votum exequendum nihil dubitet, scribat sententiam, & supplebuntur omnia. Pontifex enim est propensissimus, quod in omnibus ostendit, quemadmodum etiam de quodam incarcerato, inimico, ut audio, honoris vestri, & damnato ad triremes perpetuas, cum multi quærerent eum liberare mulctatum tantum pecunia, Sanctitas Ejus mihi primum soli est pollicita, deinde in præsentia Domini Thesaurarii affectionatissimi Illustriss. D. V. deinde etiam Domini Benedicti Gentilis se nullam compositionem velle admittere, quod non fieret omni voluntate Illustriss. D. V. cui hanc rem totam remissam esse voluit. Sed nunc vereor, ne nimis sim prolixus, qui initio putabam defuturum argumentum. Quare me quam humillime Illustriss. D. V. commendo, & eandem Deo, qui diutissime ad suum honorem incolumem nobis conservet. Reverendissimus Dominus Contarenus deditissimus Illustrissimæ D. V. plurimum illi se commendatum esse voluit. Romæ die festo S. Catherinæ M. D. XXXVII.

XLI.

Idem Eidem.

PRimum mihi gratissimum fuit ex litteris Illustrissimæ, & Reverendissimæ Dominationis Vestræ intelligere de ejus incolumitate, pro qua nunquam cessabo preces ad eum fundere, qui solus eam dare potest; hoc autem ut faciam, sic ejus erga me officia, & merita cogunt, ut

minore ſcelere videar poſſe parentum memoriam abiicere, quam Illuſtriſſimæ D. V. recordationem non perpetuo tenere, quam parentis loco me ſemper habere, in omni obſervationis genere oſtendere, ubicumque occaſio inciderit, nunquam ceſſabo. Plurimum vero gaudeo, quod ad Legationem Illuſtriſſimæ D. V. attinet, ut ex Domino Benedicto Gentili intellexi, eam ſatisfactam eſſe illa declaratione facultatum, quæ in corpore juris habetur, neque aliam nunc quærere. Et certe hæc fuit communis ſententia omnium veſtrorum amicorum, qui juris hic ſunt periti, obfuturam potius cauſæ, quam profuturam omnem novam adjectam declarationem; quamquam, ut ſcripſi in proximis meis litteris, ſi Illuſtriſſima D. V. in illa ſententia perſeveraſſet, quaſi omnino opus fuerit ad evellendos omnes ſcrupulos aliqua nova declaratione, nos quidem parati fuimus hoc poſtulare a Sanctiſſimo Domino Noſtro, quem non minus promtum futurum in concedendo ſciebam, quam in principali cauſa ſumus experti, in qua fuit promptiſſimus. Quod reliquum eſt, de eo quod Illuſtriſſima D. V. per Dominum Benedictum Gentilem me admonere voluit, quod ad eum in cyphra fuit ſcriptum, ea res ſic mihi curæ erit, ut non tam Illuſtriſſimæ D. V. cauſa illorum conatibus obſiſtere me obligatum eſſe mihi perſuadeam, quam ipſius juſtitiæ, & pietatis cauſa, quam maxime oppugnat, qui ſanctiſſimo veſtro propoſito in reformandis Cleri moribus, aliqua ex parte reſiſtit. Quare ut in Dei cauſa, ſic in hac vigilabo, omni, qua poſſum, gratia, & induſtria; non fruſtra autem me laboraturum, ſed ad illorum, qui contra reſiſtunt, confuſionem, quæ mih certam ſpem dant, plurima habeo, quod vero dubitare faceret, nihil video. Hoc vero gaudeo, & opto, ſæpe ejuſmodi occaſiones dari, in quibus, dum ex officio ſervire cupio Illuſtriſſimæ D. V. videam me ex pietate ſervire Deo, ad quem magis tota hæc cauſa pertinet, quam Illuſtriſſima D. V. mihi commendat, cui

cui perpetuo Illustrissimam D. V. commendare non cesso, & eidem me quam humillime commendo. Romæ xxvij. Decemb. M. D. XXXVII.

XLII.

Idem Eidem.

CUm jam pene octo horas in Consistorio consumsimus, quo dimisso certior sum factus, tabellarium statim discedere, temporis angustia non patitur, ut plura de negotio Illustriss. D. V. vel potius de Ecclesiæ, & præcipue hujus Sanctæ Sedis causa scribam. Summa tamen est, cum ante hunc diem, cum propter absentiam Pontificis ab Urbe, tum propter frequentes Capellas, & præter consuetudinem multa negotia supervenientia his festis, nulla commoditas daretur agendi cum Ejus Sanctitate de iis, quæ Illustriss. D. V. ad Ejus Sanctitatem, & ad me scripsit, hodie Reverendissimus Campegius, & Reverendissimus Simoneta, atque ego, sic causam Ejus Sanctitati explicavimus, ut minime ferendam eam inobedientiam Cleri, qui non admiserunt Visitatores, quas Illustr. D. V. pro jure Legationis ad eos misit, esse duceret, laudare tamen magnopere modestiam Illustriss. D. V. quod cum suo jure posset statim in illos, qui restiterunt authoritati Legationis, vindicare, maluit tamen potius Ejus Sanctitatem consulere, quæ hoc nos scribere jussit ad Illustriss. D. V. se maxime sancto proposito Illustr. D. V. in reformando Clero delectari, ut sua sponte facit, & ex mero motu fecit (hæc enim verba Ejus Sanctitatis fuerunt) ut munus Legationis, per quod facultatem haberet satisfaciendi sancto suo proposito, dedit, sic in nulla re defuturum, quæ pertinet ad eam authoritatem tuendam, & confirmandam; gratulari autem de illis Viris, quos pro suis Visitatoribus elegit, quos, quantum potui, depinxi, quales

quales essent. Dominum autem Theodoricum Ejus Sanctitas dixit se optime novisse, & de eo optime sentire, & hoc idem de reliquis. Summa vero orationis fuit, ut negotium conficiendi Breve in ea forma, quam maxime puto satisfacturam Illustr. D. V. daret, quod libenter Reverendissimus Campegius pro summa ejus observantia in Illustriss. D. V. suscepit. Reliqua ex litteris diligentissimi, & prudentissimi Agentis tui Domini Benedicti Gentilis cognosces, a quo etiam hoc intelliges de incarcerato illo, de quo ad me scripsit Illustriss. D. V. nihil aliud decerni, quam quod Illustriss. D. V. petit, ut sententia a judicibus data locum habeat; & nunc iterum me quam humillime Reverend. D. V. commendo, & eandem Christo, qui diutissime Illustriss. D. V. ad suum honorem servet. Dat. Romæ vij. Januar. M. D. XXXVIII.

XLIII.

Idem Eidem.

CUm re ipsa, ut spero, sit satisfactum in omnibus, quæ per me una cum reliquis Reverendissimis Dominis amicissimis Illustrissimæ D. V. hoc tempore ad confirmationem, vel declarationem suæ Legationis a Sanctissimo Domino Nostro impetrari postulavit, nihil opus erit verba nunc adjungere. Præsertim cum per proximum superiorem tabellarium de ea re scripseram, & si quid nunc opus esset addere, scio diligentissimum suum Procuratorem Dominum Benedictum Gentilem id non omittere, qui fusius omnia per litteras se scripturum Illustrissimæ D. V. dixit. Reliquum est ergo, ut a Deo suppliciter petam, ut, qui tam pium desiderium reformandi gregis sui in animum inseruit, idem proventum, & profectum faciat, ad salutem primum animæ suæ, deinde gregis subjecti. Optimum autem exemplum provinciarum vicinarum, quæ

quæ maxime opus habent bono aliquo exemplo, ad quod ſe componant; tandem autem, & quam primum etiam, ad Dei honorem omnia redundent: cujus tutelæ perpetuo Reverendiſsimam, & Illuſtriſsimam Dominationem Veſtram commendare non ceſſo, & nunc me eidem Illuſtriſsimæ Dominationi Veſtræ quam humillime commendo. Datum Romæ xxv. Januarii M. D. XXXVIII.

Cum hæc ſuperiora ſcripſiſſem, & poſtea mihi cum Sanctiſsimo Domino Noſtro de negotio cujuſdam Viri docti Alberti Pighii agendum eſſet, quem Ejus Sanctitas ob eruditionem, & virtutem carum habet, & propterea eum ſuperioribus annis Præpoſitura quadam Trajectenſi ornavit, qui nunc negotium coram ſecreto Cæſaris Conſilio iſtic habet; hoc autem cum Ejus Sanctitate, ut ratio aliqua iniretur, qua facillime poſſet ab illo moleſtiſsimo negotio liberari, hæc ſtatim facillima eſt judicata, ſi Ejus Sanctitas patrocinium illius cauſæ Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ committeret, de quo nihil eſt dubitatum, propter authoritatem, & gratiam in illo Conſilio facillime eum hac moleſtia potuiſſe liberare. Quare hoc ſtatim mihi in mandatis Ejus Sanctitas dedit, ut hanc cauſam Illuſtriſsimæ Dominationi Veſtræ commendarem; hoc autem ſignificarem, quo citius opera Illuſtriſsimæ Dominationis Veſtræ Albertus Pighius, quod cum æquitate fieret, liberaretur, hoc gratius Ejus Sanctitati futurum, quæ omnia nunc ad Illuſtriſsimam Dominationem Veſtram ex mandato Sanctiſsimi Domini noſtri ſcribo.

XLIV.

Idem Eidem.

QUæ maxime ſollicitum, & anxium tenebant animum Illuſtriſsimæ, & Reverendiſsimæ D. V. ex ejuſdem litteris cognovi. Quibus omnibus remedia jam accepiſ-

ſe

ſe ſpero, & confido; omnia enim quæcumque poſtulavit Illuſtriſsima D. V. ad convertendos rebelles Legationis, qui merito indignationem movebant, non ſolum Illuſtr. D. V. cui illorum cura eſt commiſſa, ſed omnibus bonis, qui de eorum inobedientia audiverunt, ea ex mandato S. D, N. cum ampliori declaratione omnium facultatum per proximum ſuperiorem tabellarium erant expedita, & miſſa. Quare hac in parte, quæ ad conſolationem animi Illuſtr. D. V. maximo cum deſiderio expectare ſcripſit, ſatisfactum jam ſpero eſſe. Supereſt nunc, ut Illuſtr. D. V. conſoletur noſtros animos, meum quam maxime, qui ex rumore de adverſa valetudine ſua maxime ſum perturbatus. Quanquam idem rumor recreatum a gravi morbo, in quem inaciderat, etiam attulit, ſed ipſum ex litteris tuis malui cognoſcere. Video autem, ne mihi dolorem afferret, in ſuis litteris abſtinuiſſe a mentione adverſæ valetudinis; ſed nunc liberationem a morbo, & convaleſcentia ex tuis litteris maxime audire cupio. Ad quam ſpero conferre ea remedia, quæ S. D. N. miſit ad tollendam anxietatem animi, quæ fortaſſe ad morbum addere potuit. In illis vero expediendis, quod præcipuam quamdam curam, diligentiam, & induſtriam Domini Benedicti Gentilis agnovi, & perſpexi; non poſſum certe non tali Viro, & Procuratori, qualem prorſus in Curia nullum parem ingenio, peritia, & induſtria cognovi, teſtimonium veriſsimum reddere, qui cum jam plus decennio eamdem fidelem operam Illuſtr. D. V. in omnibus ſuis hic negotiis præbuit, ſcio, eam nihil egere mea commendatione, ſed quæ in eo, hoc tempore, & his negotiis magni momenti perſpexi, non patiuntur, ut memoriam illius prætercam ſine commendatione, quem ſcio maxime mereri, ut, quæ cariſsimis ſuis pro eorum meritis præſtare ſolet, ea in primis in illum conferat. Diutiſsime valeat Illuſtriſs. Dominatio V. tam animo, quam corpore. Ex Roma xxviij. Febr. M. D. XXXVIII.

Reg.

XLV.

Reg. Card. Polus DD. Theodorico, & Tongr.

Reverendi Domini gratia, & pax Christi vobiscum.

SUmmam vestram pietatem mihi, dum apud vos versarer, non sine magna voluptate, & majori cum fructu meo cognitam, & exploratam, ex vestris ad me litteris libenter recognovi; quæ quidem non ex ea solum parte in illis elucet, quod causam maxime piam, quæ maxime ad salutem animarum vestrorum fratrum pertinet, mihi commendant, sed quod tanto studio, tanta sollicitudine animi idem faciant, quasi vobis privatim, vel salus quæreretur, vel utilitas aliqua magna inde quæreretur. Quibus scio nihil in hac causa præter summos, & molestissimos labores vobis superesse, in quibus ne odium quidem apud illos, pro quorum salute maxime laboratis, effugere potestis. Quid enim aliud expectare potestis ab his, qui cum gravissime laborant, sanari tamen recusant, medicum fugiunt, & ad domus illorum sequentem excludunt? Tales enim sunt nunc omnes, qui Reverendissimi Leodiensis authoritati a Sanctissimo Domino Nostro concessæ pro eorum salute obedire recusant; quam cum vos quam maxime integram, & late patentem in omnes, & singulos, quicumque in Leodiensi Diœcesi continentur, a Sanctissimo Domino confirmari petatis, nihil aliud petitis, nisi ut nulla pars Diœceseos sit expers vestri laboris, ut ubique molestias sufferatis. Quo enim latius authoritas Reverendissimi se extendit, eo latius labores vestros patere, eo gravius onus vobis incumbere, in quorum humeros omnia hæc Reverendissimum depositurum scio. Ego certe cum naturam, ingenium, & mores vestros ex illa consuetudine, qua, cum apud vos, mihi frui licuit, prope exploratum habere videor, quæ mihi osten-

dunt, nulla re magis delectari, quam quiete illa, in qua Deo primum, & vestræ ipsorum saluti servire possitis. Cum nunc video tam alacriter, & vestram quietem deserere, & ea postulare, ex quibus necessario vestri labores, & molestiæ augentur, ut nihil dicam de periculis, quæ facilius, quam commoda, ab his impendent, qui inviti curantur; hic certe digitum Dei agnosco, qui hunc ignem amoris in vobis accenderit, & quid aliud expectare possum, nisi ut eadem virtute ardeat, ad salutem tandem illorum, qui nunc flammam videre recusant? Qua in re interim non possum non vehementer gratulari Reverendissimo, & Illustrissimo Domino Leodiensi, cui vos tanquam Angelos Dei in ministerium tam pii operis datos esse video ab eo, qui tam piam sui gregis Reformationem, tam necessario tempore, in mentem illi inseruit, qui fecit ministros suos flammam urentem, hic est Christus Dominus benedictus in sæcula.

Quod vero ad meam operam attinet, quam hac in causa exigitis, ut in eam formam, quam proponitis, Diplomata pro Reverendissimo Domino confici a Sanctissimo Domino Nostro impetrarem, haud pluris eam faciam, quam revera fuit, quæ verbo tenus extitit, dum rem una cum aliis Reverendissimis, de quibus aliis in litteris ad Reverendissimum scripsi, Sanctitati Ejus proponerem, qui tanta benignitate nobis respondit, ut nullum nostris adhortationibus, aut precibus locum reliquerit. Statim enim, ut impiam illorum inobedientiam, qui Reverendissimo restiterunt, intellexit, quam ferre indignissime multis verbis ostendit, tum vero adjunxit, ut ipse ad Dei honorem, & Ecclesiæ utilitatem sponte, & ex mero motu (illa enim fuerunt verba Ejus) munus Legati de latere cum omnibus facultatibus ad tantam personam pertinentibus concessisset, sic in nulla re, quæ ad confirmandum, vel tuendum tale munus pertineret, se defuturum dixit; neque solum dixit, sed statim dedit negotium his, qui ejus-

ejusmodi rerum sunt periti, ut Diplomata in eam formam conficerentur, quam vos postulastis, quæ per hunc tabellarium ad Reverendissimum mittuntur. Quare nunc cum nihil, ut spero, vobis certe desit, quod ab authoritate divinitus concessa homini ad animarum salutem proficisci possit, vel ad consolandos, & confirmandos bonos, vel convertendos malos; reliquum est, ut a Domino illo petatis, a quo omnis hæc authoritas profluxit, ut dignetur ipse vineam suam respicere, atque actiones vestras adjuvare, sine cujus præsenti, & assidua influxione suæ gratiæ, florere nunquam, germinare, aut crescere vites possunt, utcunque homines in plantando, & rigando laborent. Sed hæc vos melius, quam ego. Quare hic finem faciam, si hoc tantum adscripsero, in quo a multis scio me accusatum iri, quod ad castigandum malos non ita prompte descendere soleo, in qua re videor, ut ipsi dicunt, crudelis esse in bonos; sed utcumque sit, non possum non apud meos amicos naturam meam prodere, etiamsi si nihil hoc tempore opus sit, quanquam fortasse opus sit, dum respicio ad eos, qui restiterunt authoritati Reverendissimi Domini Legati, quos nunc castigandi facultatem habet. Qua in re, etsi negare non possum ad exemplum aliorum maxime necessarium esse, ut rebelles castigentur, & in hac re non dubito ejus Reverendissimam Dominationem illa usurum moderatione, quæ ejus personam decet; tamen, ut dixi, mea natura non patitur, ut non aliqua hac de re ad meos amicissimos scribam, vel unum potius significem, etsi rebelles sunt, filii tamen sunt, & filii rebelles, quos si convertend ad obedientiam ulla mitior ratio inveniatur, ut ea primum exerceatur, etiam post confirmatam authoritatem castigandi eos, cupio, ut prius quatiatur virga in conspectu illorum fugientium, antequam exerceatur per illum castigatio. Qua in re certe non tam admoneor naturæ meæ sive lenitate, sive ignavia, quam exemplo maximi Apostoli etiam in gravissimis

delictis filiorum. Meministis illius dicti Pauli: In virga veniam ad vos &c. Qui me quasi videre facit, quam gemens, & invitus descendebat ad castigandum, qui sæpius nomine eos terrebat virgæ, & vix tandem in gravissimo crimine exercuit in unum, cui statim post pœnitentiæ signum datum condonavit. Hæc scio, nihil opus fuisse, ut ad vos scriberem; sed indulgebitis mihi hoc, qui animo aliter satisfacere non potuerim. Reliquum est, ut me orationibus vestris commendem, vobis promittens, si quæ peccatoris miseri preces valent, vobis non defuturas, nec defuisse meas. Tu vero, Domine Theodorice, quod me promissi mei admones in oppido Sancti Viti facti, scito, me ejus minime omnium oblitum. Precor vero, ut nobis illa verba Prophetæ, Christi gratia, sæpe dicere liceat: Convertisti planctum meum in gaudium, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar. Tu scis, quod dico. Valete in Christo, & orate. Romæ xxviij. Januar. M. D. XXXVIII.

XLVI.

Idem Eisdem.

STatim, ut ad Urbem redii ad viij. Kal. Novembris, unde per septem menses abueram, redditæ mihi sunt litteræ, quas conjunctim ad me scripsistis, in quibus hoc primum mihi fuit jucundissimum cognoscere vos valere. Etsi quidem non ita recentes litteræ fuerunt, ut quæ xij. Julii essent scriptæ, & ad me in exitu Octobris datæ; tamen quos in visceribus Christi amo, a quibus multis iam mensibus nihil acceperam, eos tam recta valetudine usos, de quorum salute propter longum silentium dubitare potuissem, hoc scrupulo me liberari per vestras litteras, non potuit mihi non esse jucundissimum. Quod vero mihi Domini

mini Alberti Pighii causam commendatis, sic habetote; eum, & suo nomine, & eo libro, quem de Hierarchia Ecclesiastica scripsit, cujus magnam partem perlegi, sic mihi esse commendatum, ut nihil mihi antiquius esse possit, quam cum in omnibus, quibus possim, & valeam, juvare. Quod cum sponte facio, tum meritis ejus erga Ecclesiam tali tempore, quo maxime Ecclesia adversariis abundat, quos egregie oppugnat, me tribuere scio, & ob id etiam teneri ei honoris vinculo, quod mihi indigno injecit, qui Ecclesiæ gubernationi præest, adeo ut talium hominum patrocinium negligere, quod in aliis est vituperium, in me quidem scelus esse judicem. Quanquam quidem negare non possum, ut hoc alacrius suscipiam, magnum attulisse pondus, amorem erga eum vestrum, quem video ex litteris, & judicium de ejus scriptis, quæ maxime, & amorem, & judicium meum de eodem confirmarunt. Accepi vero eodem tempore, quo vestras, ab ipso Pighio quaternas litteras, quæ huc me absente sunt perlatæ, & mihi in recenti meo adventu redditæ, in quibus, quod maxime urgere videbatur, ut commendatitias ad Serenissimam Reginam Hungariæ a Summo Pontifice haberet, quæ præsenti necessitati succurreret, in quam litis causa eum conjecit, illas impetrandas, & expediendas curavi. Reliqua vero, ut occasio tulerit, quæcumque ad eum tuendum, & ornandum pertinent, a benignissimo Pontifice poterit expectare; nec frustra, ut spero, si me admoneat, qua in re potissimum ab Ejus Sanctitate adjuvari desiderat. Quod etiamsi non admoneat, ut occasio se offeret, minime ipse sum prætermissurus, ut omnia quæcumque illi grata, & honorifica esse possint, præstem. Valete, & ut me vestris perpetus orationibus juvetis, oro, & obtestor, quo in munere me minime vestri oblivisci, audeo vobis confirmare. Tu vero, Domine Theodorice, quod mihi medicum amicum tuum Magnificum Josephum commendas per litteras, quas

quas idem mihi tradidit, ut illi coram dixi, sic re perficiam, ut intelligat, in omnibus, in quibus eum juvare possum, si tibi sit amicitia conjunctus, me quoque amicum eum habere. Dignum autem esse utriusque amicitia, non solum ex tuis litteris, sed nonnullorum aliorum probatissimorum Virorum testimonio, qui familiarius hic eum noverunt, intelligo. Valete in Christo, cui me perpetuo commendetis, velim. Romæ, in festo SS. Simeonis, & Judæ. M.D.XXXVIII.

XLVII.

Regin. Card. Polus Alberto Pigbio.

Reverende Domine, & mihi in Christo carissime.

SUperioribus diebus, cum litteras tuas accepissem una cum duobus libris, altero, te authore, edito, ac typis excuso, in quo respondes Lutheranis calumniantibus indictionem Concilii Mantuæ celebrandi, altero autem in eandem sententiam a Rege Angliæ edito, & tua manu descripto; & cum ipse occupationibus opprimerer, dedi negotium cuidam tuo, ut dicebat, affini, ut meis verbis ad te scriberet, me vehementer amore illo tuo, & studio erga communem causam Ecclesiæ fuisse delectatum, operam, & diligentiam, ac magnam eruditionem, quam partim in hoc libro ostendis, multo autem majorem significas in his, quæ paras ad Ecclesiasticorum dogmatum defensionem, me vehementer probare. Nunc autem, cum paulo liberior a negotiis essem, volui hoc idem testatum apud te esse hisce meis litteris, atque in primis te rogare, atque hortari, ut hunc amorem, quem erga res Ecclesiæ, qui, si sincerus est, qualem mihi persuadeo, ab alio, quam a Sponso Ecclesiæ derivari non posset, in omnibus manifestum facias eundem esse. Hoc autem faciens, facile persuadebis, si non modo ab homine præmium nullum

lum expectans in defendendo ejus causam perseveres, aut si fraudatus his præmiis, quæ debita videri possint, & quæ cæteri minori negotio consequi solent, tu nihilo cunctatiorem, sed promptiorem in defendendo Ecclesiæ causam te ostendas. Neque vero hoc scribo, quasi ii, qui præmia vel procurare tua causa, vel dare deberent, cunctatiores propterea esse debeant ad te ornandum, neque ut locum ad tergiversandum illis hac ratione darem. Sed quoniam te amo, & scio, quantam dignitatem tibi afferret supra omne præmium, quod ab homine dari possit, si tam nobile ingenium tot artibus instructum in uno amore Dei, & Ecclesiæ acquiescere homines perspicerent, ideo hæc scribo. Quod si facias, ut mihi persuadeo te facere, amatores quidem tibi, & amici deesse non possunt. Video vero, te unum amisisse Reverendissimum Capuanum, si amissum illum dicere possumus, quem speramus ab exilio ad Regnum vocatum. Quod si in hoc exilio operam ejus, & authoritatem fuisse utilem existimas, & ideo amissum, quia his nunc uti non possis, scito illum heredes reliquisse voluntatis suæ, & authoritatis, qui non minus studebunt virtutibus tuis favere, quam ille unquam studuit; inter quos spero te habere Reverendissimum S. Crucis. Sed quia multos jam dies propter infirmam valetudinem domi se continet, neque libenter se visitari patitur, nihil adhuc cum eo, quod cupere videris, de tuis rebus contuli; sed ut primum per adversam ejus valetudinem eum convenire possum, non prætermittam. De negotio Domini Federici Skenchii, quod tu nihil mecum, quum isthic essem, contuleris, ut causæ fundamentum cognoscere possem, sed omnia continebantur in illis litteris, quas ad Reverendissimum Capuanum misisti, sed si cures a principio rem mihi narrandam, ego negotio non deero; quanquam scio, quibus cum mihi res erit. De tuo contubernio cum carissimis meis Tongrensi, & Theodorico valde gratulor, de quo quoties cogito, non possum non sine aliqua

aliqua invidia tam ſuavis, & ſanctæ conſuetudinis dicere; quod ille de amicis Pythagoricis: Utinam tertium me vobis poſſem adjungere; ſed ſpero ſpiritu illis eſſe conjunctum, maxime cum pro illis orant, qui maxime bonorum precibus opus habent, inter quos me maxime egere exiſtimo. Quare te rogo de hac eleemoſyna, etſi ſpero illos quotidie dare, meis tamen verbis illos admoneas. Vale. Romæ xx. Novemb. M. D. XXXVII.

XLVIII.

Idem Eidem.

SCripſi ad te per proximum tabellarium, ex quibus potuiſti intelligere, quod in omnibus ſum promptus tibi gratificari in his, quæ pertinent vel ad procuranda, quæ tibi utilia eſſe poſsint defendenti cauſam publicam, vel ad ejus cauſam per patrocinium ſuſcipiendam, quem mihi commendaſti, quæ ad Dominum Federicum Skenchium pertinebat; de qua poſtea cum occaſionem habuiſſem cum Reverendiſsimo Domino Simoneta loquendi ea, quæ mihi in memoriam veniebant de tuis litteris (de quibus ad te ſcripſi, cujus culpa erant amiſſæ) multum quidem dixi de æquitate rei, ut mihi videbar, & præterea de teſtimonio litterarum bonæ mem. Card. Darthuſien. in quibus gratulabatur de liberatione penſionis Domini Federici per recompenſationem a Papa Clemente datam eidem Reverendiſsimo Domino Simonetæ. Quibus omnibus ille ſic reſpondit, ut ſi deprehendi poſſet, vel minimam recompenſationem datam a Papa, ſe ceſſurum tota cauſa, ſed primum dicebat, nullum unquam beneficium ſe ex Clementis liberalitate accepiſſe, neque omnino a quoquam ullam recompenſationem, multa autem adjungebat de ingratitudine Domin Federici, qui a quo illud beneficium receperat, tam inhumaniter tractaret, & contra fidem, quod deberet ſolvere

vere, non ſolviſſet, deinde quod jam pluſquam ſepties cum agnoſcat ſe excommunicatum eſſe ob non ſolutam penſionem, in nulla re videtur oſtendere æſtimare cenſuras Eccleſiæ. Quæ ſi vera ſunt, tu vides, quam mihi cauſam committas. De tua quiete vehementer dolui ex proximis tuis litteris, eam ſic turbari, cui quidem, quantum hic remedii afferri poſſet, non deſinam una cum Reverendiſſimo Sanctæ Crucis procurare, quod per hos perpaucos dies, poſtquam tuas litteras accepi, non licuit, cum per invaletudinem meam, quæ me in cubiculo jam quatriduo tenet, tunc non omittemus, quod idem pollicetur Reverendiſſimus Sanctæ Crucis, ad quem ea de cauſa miſi, ut intelligerem ſententiam eius, cujus adjunctas recipies. Vale, & noli pati cujuſquam injuriam animum tuum emollire, ut non ſemper ardeas, quantum in te eſt Eccleſiæ cauſam defendere. Iterum vale. Romæ xvij. Decembr. M. D. XXXVII.

XLIX.

Idem Eidem.

ACcepi tuas litteras, in quibus ſatis fuſa oratione explicas tam de negotio tuo, quod tibi coram ſecreto Cæſaris Conſilio pendet, quam de Domini Skenchii controverſia cum Reverendiſſimo Simoneta; tandem autem de illius negotio, qui fere in cauſa fuit, ut nomen tuum inter reos hic citaretur. Ad omnia brevi accipe. Primum, quod ad cauſam tuam attinet, hoc habui in mandatis a Pontifice, qui libenter litteras tuas legit, & gratas habuit, atque indigne litem tibi moveri tulit, ut pro tuo negotio, quoniam hoc veſperi expediebatur tabellarius in Flandriam, ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Leodienſem ſtatim ſcriberem, ut omnem curam ſuſciperet apud Sereniſſimam Reginam, & Conſiliarios ejus agendi, ut ex moleſtiſſimo illo negotio liberareris;

id quod feci diligenter. Neque dubito, quin, quod fieri possit hac in re ad te molestia liberandum, non prætermittet. Quare ad Eum confidenter confugere potes. Sanctitas Ejus voluit etiam, ut cum Cæsaris hic Oratore hoc idem suis verbis agerem. Sed cum tardius esset, postquam ejus voluntatem noveram, nihil cum eo agere licuit, præsertim cum tabellarius infra paucissimas horas sit discessurus, & cum de Reverendissimi Leodiensis opera nihil dubitem, quin, quantum cujusquam, sit profutura, non valde de Oratoris Cæsaris litteris laboravi. Propter absentiam Pontificis ab Urbe, & meam non usquequaque integram valetudinem, maturius cum Ejus Sanctitate de te agere non licuit, & nunc parce, sed occasio est in manibus, quæ mihi ansam fusius cum Eo de te, & pro te loquendi dabit, quam non prætermittam. De Skenchii negotio cum Reverendissimo Simoneta pluribus egi, qui longe alia, quam tu, de illo homine narrat. Sed, ego cum de re agerem relinquens personam, hoc primum dicit, sibi nunquam a quoquam recompensationem datam, per quam Dominus Skenchius a solutione pensionis solveretur. Cum autem ego proferrem litteras Reverendissimi Darthusien. & aliorum hoc testantium, vel potius gratulantium Domino Skenchio hac de re, ille respondebat, se non potuisse impedire, quominus illi scriberent de ea re, quam ignorabant; se scire, sibi nunquam a Clemente, neque a quoquam alio recompensationem datam, quod si ita esset, inquit, cur non meas litteras proferunt, hic autem multa de ingratitudine Skenchii queri. Cum hoc, quando revera litteræ Reverendissimi Darthusien. nihil probant, nihil potui concludere. Sed tamen, ut res componatur, videtur desiderare. Quare tu vide, an recte utrique parti consuleretur, si Reverendissimi Leodiensis arbitrio committeretur. Facile enim hac via posset tota lis decidi, aut si quam aliam novi scribe.

Quod

Quod attinet ad illum, qui tibi fere ignominiæ causa fuit, ego satis habeo te ab illa liberatum. Quod ejus causam in litteris tuis pluribus verbis defendis, ego certe causam illam, quæ ad me nihil attinet, præsertim cujus defensio publici judicii factum damnat, non curo scire. Neque, si me audies, cum tu ipse immunis sis in omnibus, quod ad eam attinet, immiscere te iterum illi negotio debes. Sed hoc erit tui judicii. Hæc sunt, quæ pro tempore scribi potuerunt ad te de his, quæ sciebam non sine desiderio te expectare, ut certior fieres. Vale. Romæ xxviij. Januar. M. D. XXXVIII.

L.

Idem Eidem.

CUm septem ipsos menses ab Urbe absuissem, atque ad viij. Calend. Novembres rediissem, accepi quaternas litteras tuas, quæ hic meum adventum expectabant; ex quo scire poteris, quid in causa fuerit, quo minus tanto temporis intervallo, cum tu ad me toties scripsisses, nihil prorsus responsi acceperis. Nunc vero, si postremis tuis v. Octobr. datis respondeo, videor omnibus satisfecisse, quæ fere idem argumentum habent, nisi quod hæ postremæ meam operam postulant, ut impetrem a Pontifice litteras commendatitias ad Serenissimam Reginam Hungariæ Mariam, in eam formam, quam in tuis præscribis. De qua re, statim ut Pontifex redierat, nam aberat etiam ipse ab Urbe per hos dies, cum tuæ mihi primum sunt redditæ, cum Ejus Sanctitate egi, atque, quantum etiam urgeret, non solum causa, sed temporis angustia, exposui; nam, nisi ad te ante festum Martini perferrentur, frustra te eas habiturum scripsisti. Cujus rei talem rationem Sua Sanctitas habuit, ut sine mora confici litteras juberet, ut tabellario publico post alterum diem

discedenti dari possent, quo ad te ante præscriptum abs te tempus perferrentur, benignissimeque de te loquutus est. Pietas enim tua, ingenium, & doctrina minime ei sunt ignota, quæ ipse, ut ex scriptis tuis eram persuasus, Ejus Sanctitati exposui, & de libro Ejus Sanctitati abs te dicato, ea, quæ visa sunt, dixi. Quanquam nondum obtuli, quia prius concinnari chartas volui, quod in tam brevi spatio a meo reditu fieri non potuit; sed quid continebat exposui, & qualem artificem, quam dignum omni præmio te in eo præbueras, explicavi, quæ omnia in eam partem accepit, ut nihil non dignum tantis laboribus ab ejus benignitate expectare possis, cujus fructum, ut occasio tulerit, spero te abunde percepturum. De libro vero, in quo defendis Ecclesiæ causam contra ea, quæ ex Anglia in eam impie sunt scripta, quem ad Reverendissimum Sanctæ Crucis misisti, ut is Pontifici offerret, hoc tantum intellexi, cum Reverendissimam Dominationem ejus hac de causa adirem, apud se librum habere, necdum vero Sanctitati Ejus dedisse, quod meum adventum expectaret. Quare spero, una, & hunc, & quem meæ curæ commisisti, ut traderem, Ejus Sanctitati oblaturos. Decanum istum Antuerpiensem, qui hic Serenissimæ Reginæ negotia procurat, tibi valde amicum video, & multo maxime nostros Tongrium, & Theodoricum, qui ad me communes litteras miserunt, mirifice suum erga te amorem, & judicium suum de scriptis tuis cum tua summa laude explicantes, quæ quidem non possunt non maxime meum erga te amorem, & judicium de tuis scriptis confirmare; etiamsi apud me nullo externo testimonio eges, ut plus te propter virtutem, & eruditionem diligam, aut cognoscam, præsertim cum illud unum habeam, quod ex te prodit, quod scripta tua afferunt, in quibus pietas, judicium, & eruditio sic elucent, ut nihil prorsus locupletius posset requiri, quam quod illa ostendunt. Sed hæc hactenus, quæ raptim scripsi, ne sine meis

meis litteris, quas video te diu expectasse, hic tabellarius discederet, cujus discessum gaudeo sic meum adventum opportune prævenisse, ut litteras, quas ad Serenitatem Reginæ, Pontificis verbis, mitti postulabas, in ipso tempore, ut spero, accipere possis, si quidem tibi tantum prodesse possint, ut videris sperare, ad effugiendum de domo in curiam, quibus prorsus caruisses, si vel bidui spatio serius huc advenissem. Vale. Datum Romæ xxviij. Octobr. M. D. XXXVIII.

LI.

Regin. Card. Polus Cardinali Scotiæ.

UT nemo me libentius favit honori Reverendissimæ D. V. cum de ea ageretur, ut in amplissimum Cardinalium Collegium cooptaretur, quod cum in sententia dicenda, cum principio a Sanctissimo Domino Nostro proponeretur, quod Serenissimus Rex petebat pro Regno suo aliquam columnam ex hac Ecclesia Romana, tacito nomine, sibi dari, tum deinde in dando suffragio, cum ederetur nomen Reverendissimæ Dominationis Vestræ, maxime me ostendisse spero, ita post adeptam dignitatem amplissimorum omnium Patrum consensu, libentissime per litteras de eadem Reverendissimæ Dominationi Vestræ gratulor. Neque vero ei magis, quam uniuerso isti nobilissimo Regno, ad quod non dubito maximos, & præclarissimos fructus tempore maxime necessario inde perventuros, quod cum contagione vicinitatis illorum, qui divina, & humana permiscentes, ordinem ex Ecclesia, quasi pulchritudinem ejusdem, & robur tollere conantur, facile in periculo versari posset, suum nunc cardinem, suam columnam haberet, quæ, & decus ordinis servaret, & a corruptissimorum hominum contagione præstaret tutum.

tum. Hoc enim ſperamus, & expectamus omnes quicumque dignitati Reverendiſs. D. V. hac in parte ſtuduimus, freti cum pietate, & vigilantia Reverendiſs. D. V. tum vero maxime ſumma illa Sereniſsimi Regis veſtri pietate, quam illuſtrandi maximam occaſionem hoc tempore Ejus Majeſtas habuit, dum ſe, & Regnum ſuum in tanta, & tam vicina contagione, quæ univerſum vicinum populum infecit, & in fide corrupit, integrum, & incontaminatum ſervavit, &, ut idem in ea puritate fidei maneret, de columna Eccleſiæ Romanæ, cujus fides nunquam defecit, & tot Eccleſiarum parens eſt, & appellatur, ſibi proſpexit, ſequens in hoc majorum ſuorum nobiliſsimorum Regum exemplum, qui cum conſtantia fidei nulli unquam Regum, quicumque hac in parte illuſtres fuerunt, cedant, cum vero antiquitate ſic ſuperant, ut inter primogenitos Eccleſia Romana eos numeret. Quæ cum ita ſint, nunc tali filio ſuo, ſequenti majorum ſuorum tam præclara veſtigia, in eo, quod tam pie poſtulat, gratificatur Romana Eccleſia, de quo univerſa Eccleſia gratulandi, & Deo gratias agendi materiam habet uberrimam. Si vero quiſquam privatus, ego maxime, qui non poſſum non ſperare tali vel exemplo, vel auxilio meam ipſius Patriam vicinam, in religione olim pulchram, & ut ſponſam ornatam viro ſuo, nunc deformatam, & tanquam adulteram rejecto viro in gratiam alterius fucatam, ad priſtinum decus reſtitui poſſe, & viro ſuo reconciliari. Quod faxit Chriſtus Dominus, & Sponſus Eccleſiæ, qui, ut ejuſdem maculas abſtergeret, ſanguine eam ſuo precioſiſsimo lavit, cujus exemplo, qui Dominus eſt omnium, nos pro eadem ſanguinem fundere ſemper parati eſſe debemus. Cujus rei nos inter alia maxima vel veſtimentum ipſum noſtrum nos admonet, unde nos ſi aliquis, ut Propheta, ille interroget: Quare rubrum eſt veſtimentnm tuum? hoc ſolum habemus quod reſpondeamus: quod Chriſtus fecit, quod nos factis potius, quam verbis reſpondere decet; id

id quod ſperare de Reverendiſsima Dominatione Veſtra, & mihi firmiter polliceri non dubitabo. Interim vero, ut eadem Majeſtati Regiæ quam humillimis verbis me commendet, rogo; qui licet illi de facie ſum ignotus, ab ejus tamen ſanguine non ſum alienus, devotione autem animi in omnibus, quæ ad Majeſtatis Ejus honorem, vel ſalutem attinent, nemini cedens; cujus rei ſi periculum Ejus Majeſtas faciat, res ipſa, ut ſpero, luculentiſsime oſtendet. Romæ autem Dominationi Veſtræ me in omnibus offero, & eandem, ut mihi imperet, ſi quid ſit, in quo mea opera ſervire honori ſuo, vel commodo poſſim, rogo; paratiſsimum quidem in omnibus me, omni loco, & tempore, ut ejus deſiderio ſatisfaciam, futurum polliceor. Deus vero eandem D. V. ad Eccleſiæ ſuæ honorem, & utilitatem quam diutiſsime ſervet incolumem. Romæ Kal. Januar. M. D. XXXVIII.

LII.

Georgius Selva Vauren. Epiſc. Regin. Card. Polo.

Cum partim ex fama, partim ex Aloyſii Priuli litteris, quas mihi Daneſius ad ſe ſcriptas oſtendit, cognoviſſem, te per Galliam noſtram iter facturum, officii mei eſſe duxi, omnia, quæ illic haberem, aut poſſem, id eſt domum ipſam meam, & meas, meorumque fortunas ad te deferre. Quibus quidem ſi tu non aliter uſus eris, quam tuis, & te amantiſſime feciſſe, & mihi magnum abs te habitum honorem exiſtimabo. Simul autem ad magnum Franciæ Magiſtrum ea de te ſcripſi, quæ huic tempori convenire judicavi; non ego quidem, ut me arbitrarer aliquid litteris meis efficere poſſe amplius, quam aut ipſum ampliſſimæ Legationis nomen, aut multam, ac clariſſimam, quam illic merebitur, de tuis virtutibus famam, ſed tantum ut animo meo ſatisfacerem, qui nun-

quam

quam conquiescere certe potest, nisi ea etiam, quæ vel supervacanea, vel minus necessaria officia sunt, prosequatur. Has igitur ad illum litteras scripsi, quas tu, si ita tibi videbitur, illi reddendas curabis. Quod reliquum est, a te peto, ut omnia a me semper expectes, quæ ab eo debent, qui in te colendo, & observando nemini concedere velit, utque nostri memoriam, atque amorem perpetuo conserves. Vale.

Venetiis iv. Kal. Martias M. D. XXXVII.

LIII.

Idem Eidem.

D*E rebus meis tum demum ex me audies, cum aliquid dignum consiliis, & monitis tuis gessero. Interea tamen eos, qui mihi ad eam rem adjutores esse volunt, commendare non verebor, in quibus numerare possum Petrum de Nuptiis Franciscanum, Virum non solum doctrina, verum etiam moribus Christianum, de cujus negotio ad Reverendissimum Cardinalem Sanctæ Crucis scripsi copiosissime. Id cujusmodi sit intelliges de Danesio, &, si causam esse justissimam tibi persuaseris, eam apud Reverendissimum Cardinalem mea causa, nisi molestum erit, adjuvabis. Bene vale. Vauri Kal. Jan. M. D. XXXVIII.*

LIV.

Regin. Card. Polus Domino de Granvelle.

Illustris. Domine.

QUo magis horrenda sunt auditu cuivis animo Christiano, quæ ex Anglia de rebus Religionis nuntiantur, eo magis me, & pietas erga Deum, & amor erga Patriam stimulant, ut hanc causam fidei, & re-

religionis Cæsareæ Majestatis, etsi antea a Sanctissimo Domino Nostro commendatam, iterum meis litteris religiosissimo Cæsaris animo renovarem. Qua in re, ut in omnibus, cum sciam, quantum authoritate, & consiliis valeat Illustriss. Dominatio Vestra apud Ejus Majestatem, non possum non in causa Religionis eidem supplicare, ut, quantum pietate, & authoritate valeat, tam piæ causæ velit favere. Nec vero plus peto, ut meis precibus, utcumque justis, indulgeatur, quam pro ejus pietate in Ecclesiam, & ipsum Cæsarem, videat salutem Ecclesiæ, & honorem Cæsaris hoc idem postulare, atque eum summi honoris gradum, in quo Deus Cæsaream Majestatem posuit ad defensionem Ecclesiæ, eandem obligare. Et sic diu felicissime in Christo valeat Illustriss. Dom. V. cui me ex animo commendo, & ut eadem me optimo filio suo, quem, Niciæ cum essem, cognoscere, & propter summam pietatem, & doctrinam amare plusquam germanum fratrem cœpi, me commendare velit, valde rogo. Datum Romæ, ultimo Novembr. M. D. XXXVIII.

LV.

Regin. Card. Polus Confessario Sacr. Cæs. M.

Reverende Pater.

QUem in Christo amare cœpi, hujus memoriam non possum pati e memoria elabi, nec vero eandem non per litteras colere, quoties occasio tulerit, ut id commode facere possim. Hoc ergo tempore cum maximam opportunitatem scribendi attulerit hic tabellarius, qui quasi sequester nostræ amicitiæ primus fuit, quam Christus postea indissolubili vinculo conglutinavit, non potui prætermittere, quin eandem per litteras renovarem, & causam Angliæ eidem ita accurate commendarem, quatenus videat eam ad Christi honorem, Ecclesiæ salutem,

& Cæsareæ Majestatis erga Deum, & Ecclesiam debitum maximum pertinere, ut curam illius suscipiat. Me vero ipsum devotis ejus precibus devotissime commendo. Datum Romæ, ultimo Novembr. M. D. XXXVIII.

LVI.

Regin. Card. Polus Camillo Ursino.

Illustrissime in Christo Domine, & mihi in eodem carissime.

CUm multas, & præclaras partes tuæ litteræ contineant, quæ non minus sancte, quam prudenter, & copiosissime sunt scriptæ, quas vix æquum esse judico in respondendo silentio præterire; ad ea primum rescribendum duxi, de quibus primo loco certiorem te fieri maxime avere, mihi persuadeo. In his autem præcipuum esse judico, ut sententiam Sanctissimi Domini Nostri in his, quæ ab Ejus Sanctitate expectabas, tibi significem, ut hoc scribam, qua animi benignitate consilia tua, & exhortationes acceperit, tam circa pacem Ecclesiæ, quam circa bellum contra infideles, maxime autem quid animi habeat de succurrendis rebus Dalmatis, quod maxime flagitare tuæ litteræ videntur. Ad omnia ergo hæc accipe. Sed primum de his, quos una mecum in hoc negotio tractando versari voluisti, Reverendissimo Contareno, & Reverendissimo Theatino, quibus omnia communicata esse, quæ scripsisti, te valde cupere ostendebas. Quod quidem statim feci, primum traditis tuis litteris, simul ac ipse perlegissem, deinde etiam procurando, quo attentius singula consideraremus, quæ non pauca fuerunt in tanto volumine potius, quam litteris, ut descriptis exemplis, singuli secum haberent, quod majori otio legerent. Quod cum diligenter fecissent, atque in omnibus plane capere tuam voluntatem sunt visi, hoc quidem statim de litteris judicarunt: Scribam illarum te, authorem vero illum, qui mutos

mutos loqui facit, & ora disertorum obstruit. Cujus etiam, totam illam, quam in litteris tractas, causam esse judicarunt. Atque hoc animo cum essemus omnes, Pontificem adivimus, ut exponendis mandatis tuis, vel Christi potius, ex cujus mandato omnia illa scripsisse judicavimus, tempus, quod sibi videretur commodum, statueret. Quod cum ille benignissime constituisset, sic inter nos partiti sumus, ut non unus solus referret, sed, cum Reverendissimus Contarenus primas partes sumpsisset, Reverendissimus Theatinus secundas, tertias ipse sum prosequutus. Quod in hoc prodesse potuit, ut cum copiosissimæ tuæ litteræ essent, & rationibus abundarent, quæ ab uno memoria teneri haud quaquam facile possent, hoc modo partiendo factum est, ut nulla fere pars illarum esset, quæ modo ponderis aliquid haberet ad explicandam voluntatam tuam, quæ silentio præteriretur. Summa autem attentione Sanctissimi Domini Nostri auditi sumus. De cujus animo si nunc quæris, quo pacto acceperit omnia, tibi quidem, qui filium habes, facilius multo erit, hoc æstimare, quam mihi scribere; maxime si hoc tecum cogites, quo animo esses, si quempiam filii tui sanctos in pietate progressus, mentem in veræ, & sinceræ religionis cognitione illustratam, animum denique in omni virtutis genere, ac in omnibus, quæ hominem carum Deo, & hominibus reddere possent, confirmatum, narrantem, & certis testimoniis tam præclarum profectum probantem audires; si nihil gratius auribus tuis accidere posset, certe, & gratissima primum attentio Pontificis, & postea responsio multo benignissima declarant, non alio animo hæc omnia de te, quem carissimi filii loco habet, narrantes nos certis testimoniis audivisse, & eo quidem gratius hæc accepisse, quo magis Respublica Christiana tali Viro his temporibus maxime opus habet, quod in sua responsione maxime declaravit. Cujus summa hæc fuit: Cum plura in dies divina bonitas suæ voluntatis indicia, in restauranda

afflictæ Ecclesiæ salute præbeat, quæ quotidie magis magisque omnium bonorum animos ad majores gratiarum actiones accendere debent, tum vero in iis non minimum signum, vel potius maximum se agnoscere, quod de abundantia divinæ gratiæ, & effusione ejus in te spiritus accepit. De quo etsi magnam causam habet præter cæteros gratulandi, vel antiquæ amicitiæ, vel propinquitatis, quod in te sanguine sibi conjuncto hanc tantam suam misericordiam ostendere est dignatus, tamen multo majorem esse lætitiam, quam, ut Pastor Ecclesiæ universalis, hac de re accipit, in cujus bonum publicum, & commune, hæc in te dona Christum Ecclesiæ Sponsum effudisse sibi persuadet, & eo magis, quod videt, quantum Respublica Christiana opus habet his temporibus tali, & Viro, & belli duce, cum contra infideles sit pugnandum. Adeo ut, si de quoquam, adjuvante Dei gratia, magna sperare debet, de te quidem maxima, cui Deus ea spiritus dona dederit, quæ in tuæ professionis hominibus jam multis sæculis non sunt visa, & in te cum summa omnium admiratione divinæ misericordiæ, & potentiæ tanquam rarissimum miraculum spectabantur. Quare se primum infinitas gratias infinitæ, & inexhaustæ Dei benignitati agere, qui tali tempore de tali duce Ecclesiæ suæ prospexit, quali maxime populus Dei eget, cum contra infideles arma sunt sumenda, qui non tam armis carnalibus, quam spiritualibus contra eos uti possit, qualem prorsus te esse judicat, a Deo ipso Ecclesiæ datum, qui docuit manus tuas ad prælium, & digitos tuos ad bellum, ut non tam peritia armorum hostes vincere, & delere, quam spiritus potentia, victos salvare, & ad Ecclesiæ corpus adjungere, quod Christiano duci maxime est sperandum, omnes merito de te sperent; hac autem spe præter cæteros se maxime frui cum ingenti gratiarum actione horum tantorum in te donorum authori, qui hanc spem de te excitavit. Deinde quod ad consilia, & exhor-

exhortationes tuas attinet, primum de adhibenda maxima cura, ut ſana doctrina ante omnia in Eccleſia retineatur, & ut interioribus malis primum ſuccurratur, deinde exterioribus; ſic quidem Ejus Sanctitas reſpondebat: Etſi nulli rei magis ſtudere ſe, quam ut hæc ipſa, & hoc modo fiant, quod ſummum Dei beneficium agnoſcit, qui ante omnia Concilii univerſalis indicendi voluntatem, & pacis inter Principes procurandæ ſtudium, ſemper poſt commiſſam curam univerſalis Eccleſiæ maxime infudit; tamen hanc ipſam exhortationem ſic gratam eſſe, ut, quaſi Deo per te exhortante, quo enixius laboret, in eo, in quo nunquam nimis magnum ſtudium poni poteſt, eandem libentiſſime, & cum ſumma gratiarum actione audiat, quam videt, quanto ardore ſpiritus, & caritate in Deum, & Eccleſiam, atque quanta animi ſollicitudine ſcripſerit. Qua in re, ut habeas interim, quo te ſpe etiam magna conſoleris, hunc optimum nuntium de induciijs iſtorum Principum, præter omnium ſpem, cum maxime inter eos bellum ardere, & repentino Regis Chriſtianiſſimi in Italiam cum maximis copiis tranſitu, videretur, ut ad te ſcriberem, juſſit, atque hoc etiam adſcriberem de ſua ſententia, etſi induciæ appellantur, tamen ea ſane ſe de his induciis ſcire, ut verius pacis, quam induciarum nomen habere poſſent. Quare jubere te nunc, ut bono animo eſſe pergas, de reliquis conforteris in Chriſto, & ſis robuſtus; habere te nunc, quod maxime in tuis litteris optabas, pacem Principum, & quietem armis, quam ſequuturam ſperat eam quietem in Religione, quam omnes præcipue deſiderare debemus, cujus procurationi, quam nunquam intermiſit, ſe nunc eo enixius operam daturum, quo magis hac porta a Deo aperta per pacem inter Principes, ſe ad hoc magis invitari agnoſcit. Quod vero ad Illuſtriſſimos Dominos Venetos attinet, quos præcipue adjuvari ab Ejus Sanctitate in hoc ſancto bello optas, & deberi adjuvari, multis rationibus oſtendis, ſic quidem ſe para-

paratum esse in omnibus, quæ opus habent, omni auxilii genere illis adesse, ut, quod tu maxime cupis, de bonis Ecclesiæ fieri, hoc constanter Ejus Sanctitas affirmet, non solum se ut amicum, & confœderatum, sed ut patrem filiis cum illis esse conjunctum, &, si pater in filii carissimi salute procuranda negligens, aut parcens impensis esse potest, se tamen in iis filiis talem esse non posse, neque ullum patrimonium in Ecclesia, quod ad suum usum, vel aliorum Ecclesiasticorum malit converti, quam Illustrissimorum Dominorum Venetorum usus in tali causa, & tempore. Qua in re illis, quorum maxime interest, abunde satisfacturum promittit. Quæ omnia ut ad te scriberem, in mandatis Sua Sanctitas mihi dedit. cui suam, quam a Christo accepit, benedictionem cum osculo charitatis mittit. Reliqua, quæ pro tempore hic expedire posset, ut de re frumentaria quod postulasti, statim Ejus Sanctitas negotium suis dedit, ut tibi satisfieret. Hæc autem omnia tibi jucunda esse non dubito, quæ non solum te invitant, ut forti animo in Christi causa milites, sed fortiori etiam, si fieri potest, orationes pro ejus Vicario fundas, ut quam diutissime ad Christi honorem, & Ecclesiæ utilitatem sua consilia dirigentem nobis incolumem servet.

Hactenus ad te scripsi, magne Serve Christi, de iis, quæ me cum ejus Vicario agere voluisti, & tunc scripsi, cum impetratis ab eo, quæ pro tempore concedi potuerunt, putabam statim Nuntium, & Procuratorem tuum ad te reversurum. Sed cum ille post in gravem valetudinem incidisset, ex qua adhuc vix convaluit, eo factum est, ut plures dies has litteras in manibus haberem, adeo ut nunc vetera sint, quæ in illis scripsi, sit necesse. Sed ut seriem rei cognosceres, propterea nihil in illis novare volui; sed hæc nova, quæ nunquam veterascent, mea manu adscribere. Hoc autem primum, me, cum tuas litteras legissem, non ut litteras, quas vulgo amici ad amicos

eos de ſuis negotiis ſcribunt, eas accepiſſe, ſed ut primitias ſpiritus tui, quas Deo Patri ſpirituum dedicaſſes, ita eas accepiſſe. Qua in re ad meum officium pertinere judicavi, qui ſum puer in domo Dei, & ſummi Sacerdotis Diaconus, ut, ſimul ac ad me eſſent perlatæ, ad ſummum eas Sacerdotem perducerem, a quo poſtea Deo afferri poſſent. Cum vero quales eſſent primitiæ conſideraſſem, id eſt non horum fructuum, qui humana cultura maturitatem, & bonitatem accipiunt, ſed quorum Deus ſolus incrementum dederat, ad illum primum deferendos exiſtimavi, qui cum Filius Dei, & Deus eſſet, noſtra causa, ut grata noſtra ſacrificia Deo faceret, voluit Sacerdos fieri, ut in ſempiternum appareret vultui Dei pro nobis, qui eſt Chriſtus Dominus Sacerdos in æternum, benedictus in ſæcula. Ad hujus ergo pedes in ejus conſpectu eos projeci, addito orationum mearum incenſo, quod ab eodem accepi, ex quo nihil jam dubito in odorem ſuavitatis Deo Patri ſuo eum obtuliſſe, omnia enim ſua Patri ſemper offert; in his autem omnibus nihil eſt, quod non ſuum agnoſcet. De quibus hoc tantum nunc per ejus gloriam, qui hos dedit, rogatum velim, ut ſi videas hos ad ſalutem colligentis carpi, quod te ſentire in te ipſo luce clarius perſpicio, ſi videas eoſdem ad conſolationem ſimul, & ſalutem illorum, quibuſcum communicas, mitti, omnia autem ad Dei Patris, & ejus Filii, ex cujus plenitudine omnia accipimus bona, honorem redundare, cum aperta ſit hæc tibi Paradiſi porta, quo in loco, & non in alio ejuſmodi fructus colliguntur, ſi, quæ alios ab introitu arcet, romphæa illa verſatilis te nihil impedit propter reverentiam illius, cujus lateri adhæres, a quo ipſa Paradiſus eſt plantata, ſi, inquam, hæc omnia benignitate Domini, & agricolæ adſunt, ut ingredi, & egredi poſſis, ſemper autem paſcua invenias; hoc nunc te obſecro, ut non tam pro te, quam pro fratribus hanc tibi facultatem conceſſam eſſe recorderis, quibuſcum ſæpe,

pe, quos colligis, fructus communicare debes. Quod eo magis ego nunc te rogo, quo magis ipse non tam consolationem, quam salutem ex his, quos nunc misisti, me recepisse vere possim affirmare. Si enim tibi servo Christi ego conservus tuus animum libere aperire debeo, hoc, teste ipso totius consolationis fonte, dicere possum, ex quo tempore per eius benignitatem sensum aliquem ejus gratiæ haurire, & discernere datum est, nunquam quidem sic vacuum omni consolatione, egentem pabuli spiritualis, quam eo temppre, quo ad me illæ tuæ litteræ sunt perlatæ, possum recordari. Atque hanc quidem quasi famem maximam tunc sentire cœpi, cum ex periculosa illa Legatione, quæ ultra montes mihi data fuit, rediens in Italiam descenderem. Quam tamen magna ex parte sedari posse mihi persuadebam, si tecum panem illum tuum quotidiaaum, quem tibi minime deesse posse judicabam, frangere liceret, quod Veronæ facturum me sperabam. Quo ut perveni, nec te reperi, quam præsentia tua sedari posse sperabam, insperata absentia augeri maxime fuit necesse. Sed cum hoc, ut cæteras tribulationes, quibus me exercere placuit illi, qui solus novit, quid expediat nobis, & solus procurat bonum iis, qui per ejus gratiam, quæ videntur mala, patienter ferunt, ut ego hoc tempore hanc absentiam tuam, quam inter maximas spiritus mei tribulationes memoravi, vide ejus bonitatem, ut multiplicatam lætitiam pro hac patientia in finum reddidit, & eo tempore reddidit, cum sic quidem egerem pabulo spirituali, ut vix jam famem ultra sustinere possem. Ut enim nihil te de spiritus mei statu celem, quem fateor deficientem abs te refocillatum, & ad pristinas vires restitutum, simul autem Christi in me benignitatem majorem manifestem, sic quidem se res habet. Eo tempore, quo me maxime homines animi dolore angi, & prorsus derelictum esse putabant, cum, in quem laberynthum mea me Legatio Christi causa suscepta con-

conjecisset, viderent, cum primum ille Princeps, cujus salutis causa me adduxerat, ut meam salutem in omne discrimen afferrem, sic hanc meam pietatem non admisit, aut æquo animo tulit, ut quæcumque in hostem salutis suæ machinari vellet, omnia in meam perniciem moliretur. Tantum autem gratiæ apud potentissimos Principum Christianorum, per quorum provincias mihi eundum erat, perfecit, ut ab uno eorum, in cujus Regnum jam ingressus fueram, eodem fere momento, quo omni honore propter eam, quam gerebam, personam, essem susceptus, etiam excedere Regno ad inimici preces sum jussus; ab altero autem Principum, qui solus huic necessitati succurrere potuit, ne admitti quidem in ejus ditionem potui. Cum non modo mihi domum non relinqui, ubi caput reclinarem (quod nescio, an ulli unquam Legato Vicarii Christi in provincias Christianorum Principum contigit) sed omnibus insidiis exponi videbar, quas non cessavit in me tendere, qui refugium horum Principum interclusit; cum sic ab omni humana ope destitutus videbar, jam testor totius consolationis fontem, ea in re, in qua omnes, qui mecum aderant, consensuros scio, sic animo non diiciebar, sic nec dolorem, nec tristitiam mea de causa sensi, ut mihi quidem viderer, cum terris me Principes excluderent, in curru illo igneo tolli, & cum illo Propheta supra colles, & montes vehi, ubi nemo me lædere, nemo molestiam afferre potuit. Securissime certe me illud tempus totum traduxisse, qui comites mecum fuerunt, facile videre potuerunt. Quæ quidem securitas duravit usque dum pericula illa evasissem, & ad eos pervenissem, ubi nihil non securum suspicari potui, idest usque dum in Italiam rediissem. Quo ut descendi, tantum quidem animi mei descensum videbar sentire, ut, si me filii Prophetarum quæsivissent, quemadmodum Eliam, postquam sublatus in igneum currum fuerat, scriptum est aliquos quæsiisse, existimantes eum in aliquo montium fuisse relictum,

ctum, aut vallium, non ut de illo opinione frustrati, sic de me fuissent, sed me statim in altissima valle invenissent, mœrore jam, & fame prope confectum. Ac tali quidem in statu cum essem, me litteræ tuæ invenerunt, quarum tabellarii vocem sic audivi, ut Daniel in lacu leonum positus Habacuc Prophetæ, qui jubente Domino cum esset in Judæa, & intriverat, ut inquit Scriptura, panes in alveolo, & coxerat pulmenta, ut portaret messoribus, jussus est a Domino, ut ad Danielem in Babylonem, tunc in lacu leonum positum, afferret, ad quem, Angelo eum capillo capitis sui portante, in impetu spiritus est delatus, atque statim ad eum clamavit: Daniel, tolle prandium, quod misit tibi Deus. Talem quidem vocem tabellarii tuarum litterarum audire videbar, cum illas traderet, quas vix, mihi crede, in manu accepi, qui statim quasi odore aliquo bono meum animum recreari maxime sentiebam. Ut vero aperui, & legens animadverti, quo tu lumine, qua prudentia spiritus, orbis Christiani mala, totius ægritudinis Ecclesiæ causas colligis, deinde quo ardore animi, quanta fide remedia proponis, medicum ostendis, viam ad eum facile aperis; hæc quidem legens, cum inter omnes causas ægritudinum, meam interim agnoscerem, cum pabulum, quo maxime egebam, appositum videbam, quod statim apprehendi, in eodem quidem momento vires mihi restitui, iterum me abs te in currum igneum illum tolli, & tandem in ipso sinu Abrahæ requiescere cum Lazaro mihi videbar. Hunc certe fructum mihi tuas litteras attulisse vere dicere possum, quæ omnium malorum causas in defectum luminis fidei, & charitatis fervoris transferunt, in horum autem possessione portum omnis salutis, & quietis ponunt. Quæ eo majorem vim in me sanando habuerunt, quo magis non tam verba illa salutaria oleo illo sanctæ unctionis splendida auribus, & animo concipiebam, quam exemplum clarissimum in te ipso charitatis, & fidei, quod hoc tempore, tali

tali in statu positus, quo maxime ipse omni consolatione humana destitutus videris, clarissime videbam; cui tam uberes consolationes dari jam experior, ut non modo nihil pro te desit, sed etiam alios longissime abs te remotos maxime egentes vel verbo solo consolari possis, ut una omnem ægritudinem auferas. Quod quidem cum in me ipso, qui maxime laborabam, & in tuis litteris salutaribus, sic cum meo maximo gaudio sum expertus, continere non potui, quin, ut supra scripsi, ex fructibus his, quos illæ tuæ litteræ attulerunt, quasi fasciculum colligens, eum, addito incenso mearum orationum, Christo summo Sacerdoti porrigerem, hoc in precibus ponens, ut, quos in eo fers fructus, dignetur sic purgare, ut majores in dies nascantur. Quod idem ut pro me facias per ejus amorem, qui tam insigne exemplum suæ erga te misericordiæ dedit, quale multis sæculis non est visum, in visceribus ejus charitatis obsecro; cui te totum commendo. Datum Romæ, xiv. Januarii M. D. XXXVIII.

LVII.

Idem Eidem.

QUam gratæ mihi fuerunt litteræ tuæ ille solum novit, qui te sibi gratum fecit, ut dilectum suum in te revelaret, ut portares nomen ejus non inter gentes, quæ nomen ejus non cognoverunt, sed inter electos filios ejus, inter quos luces tanquam sol inter astra propter excellentem gloriam ejus, qui illuxit in animum tuum. Splendet autem non in vultu tantum tuo, & factis, his qui tecum præsentes sunt, & facta vident, sed etiam absentibus in verbis, ut quod ad me attinet vere dicere possim, nullam meminisse me unquam ex homine, vel hominis potius ministerio, consolationem accepisse majorem, aut lumen clarius accepisse, quam quod ali-

quando ſentio legendo tuas litteras , de quibus hoc vere dicere poſsum , ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, ſtatim exultaſse in gaudio infantem in utero animi mei, adeo ut non dubitarem, etſi enim unam tantum matrem Domini ſecundum carnem agnoſcamus, tamen cum fructum animi tui, ita in fructum uteri animi mei operantem ſentirem, ſtatim ad me dicere: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Niſi enim in utero Deum conſolationis geſtares, ad verba tua animum geſtientem gaudio, qui prius mœrore fuit repletus, nunquam prorſos ſenſiſsem. Quare matrem Domini hoc tempore animam tuam cum magno gaudio agnovi, & eodem gaudio ſtimulatus exclamo: Benedictus fructus uteri animæ tuæ; &: Beata illa, quæ credidit, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt ei a Domino. Hæc vero ad te ſcribo non ſolum de illis litteris, quas ad me dediſti, ſed de illis, quas ad Chriſtianiſſimum ſcripſiſti. De quibus hoc tantum optarem, ut vocem ſalutationis audire poſset; de reliquo enim nunquam dubitarem, quin ſtatim mecum etiam exclamaret: Benedictus fructus ventris tui. Sed nec mirari debes de Rege ſi dubito, an vocem tuam audire poſsit, quum Propheta ille de filio Prophetæ, magno ipſo Propheta, dubitaſset eo tempore, cum a terra tolleretur a Domino cum curru igneo, an cum videre poſset. Recordare paululum verba Heliæ Prophetæ ad Heliſeum, cum optaret Heliſeus duplicem ſibi ſpiritum Heliæ dari, cui Helias reſpondit: Si me videre poſſis, cum tollor, fiet quod petis; ſin minus, non fiet. Ecce quam magnum hoc judicavit Propheta, ut ſi quis in terra manens ſublatum e terra alterum Prophetam videret. Si vero tanti momenti hoc judicavit ille Propheta, & tale, ut duplex ſpiritus Domini ſuper illum, qui extollitur exigit, quid ego de eo, qui non ſolum in terra ſtat, ſed totam terram interpoſitam habet inter ipſum, & lucidum illum currum, in quo tu habitas, ut in eclipſe

pſe lunæ ſolet fieri, ut terræ interpoſitio lunæ aſpectum tollat? An non merito dubitare poſſim, ſi te non audiat, qui, cum propterea quod tam alte tolleris, tum propter tam tenebroſi corporis interpoſitionem, te ne videre quidem poſſit? An non tales ſunt omnes Reges, quibus terræ principatus eſt datus? An non vides, quod ad hoc lumen videndum ſunt vocati, qui circumſtant currum illum, in quo veheris, qui eſt currus Iſrael, & habet aurigam ſuum, omnes juſſos eſſe, ut ab his, quæ circumſtant Reges, quibus ſe eximere non poſſint, quam longiſſime refugerent, & ad montem Domini, qui eſt in vertice montium aſcenderent? Qui vero in tenebroſa valle habitant, ubi ſunt domicilia hominum, & Principum hujus mundi, quanto turbine ſpiritus ſuper omnes Prophetas, ut elevantur, vel elevatum videant, te fugere non poteſt. Sed te movebat nomen Chriſtianiſſimi, quod tibi ſtatim perſuaſit, etiamſi ſuper pennas ventorum ambulares, ſuper ipſum Cherubim, tamen conſpectum tui tolli non poſſe ab eo, qui hoc nomen portat. Hujus enim nominis ſpe fretus, video te ex alto vocem dediſſe, & merito quidem in hoc nomine omnia ſperas. Sed vide, ne ut vas illud electionis, qui, ut hoc nomen portaret coram gentibus, fuit vocatus, cum ad ſuos Corinthios ſcriberet, quos ad obedientiam hujus nominis lucrifaceret, etiamſi illis gratuletur, & Deo per Chriſtum gratias agat, quod in omnibus divites facti eſſent in omni verbo, & in omni ſcientia, ita ut nihil illis deeſſet in illa gratia expectantibus revelationem Domini Noſtri Jeſu Chriſti; tamen in eadem Epiſtola dicit, ſe non poſſe illis tanquam ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus loqui: Cum enim, inquit, inter vos ſint contentiones, & æmulationes, nonne homines certis, & ſecundum hominem ambulatis? Ex quo conqueritur, ſe coactum eſſe lac illis, tanquam pueris, non ſolidum cibum dare. Quid ergo volo ego ex his verbis concludere? An cum videres contentiones eſſe inter eos,

ad

ad quos ſcribis, qualecumque nomen portent, & lacte primum animos illorum tentares, priuſquam ſolidum cibum dares? Hoc ſecundum concludere cupio, & abs te impetrare, ſi poſſes deſcendere, nec enim fortaſſe potes, nec libet propius terram currum admovere. Sed neque tuæ facultatis eſt, ſed aurigæ Iſrael, qui currum gubernat; ſed ſi illi placeret, hoc valde cuperem, ut, non tanquam ſol, ſed potius, qua cum illis agendum eſt, qui affectos oculos habent, & ſolis ſplendorem ferre non poſſunt, ut tanquam ſtella lumine magis proportionato ægris oculis in locum illum eos conduceres, ubi ad ſtellæ oſtenſionem Chriſtum cum matre inter animalia pannis involutum viderent, qui non poſſunt eum exaltatum contemplari. Tale ergo lumen in litteris tuis, quale ſtellæ diffundere ſolent, ſi oſtendere poſſes, ad eos ſcribes, qui veſtimenta ejus, ut ſol ſplendentia, adhuc videre non valent. Ego quidem harum tabellarius eſſe maxime cuperem, qua in re eam mihi occaſionem Chriſtus præſtat, quod Vicarium Chriſti tempore comitor, qui ut iſtis Principibus panem evangelizet, proficiſcitur. Tu ergo interim cogita quid tibi Chriſtus permittat. Hoc vero permitteret, ut ex curru illo tuo igneo ignitam ad Deum orationem pro iſtis Principibus profundas, ut ad gloriam nominis ſui Filii, & ejus Vicarii filios pacis, ad quos eſt miſſus, inveniat, & ſuper eos pax Chriſti, quæ exſuperat omnem ſenſum, requieſcat, qui te perpetuo in ſua pace conſervet.

Dat. Romæ xxj. Mart. M. D. XXXVIII.

Reg.

LVIII.

Reg. Cardinalis Polus Marco Mon. S. Justinæ.

Reverende in Christo Pater, & in eodem mihi carissime.

QUam sæpe deliberaverim apud me, ad te scribere, qui me sitientem tuis litteris ad aquas conduxisti, ex quibus qui potant, non sitient in æternum, fame autem laboranti panem proposuisti, quo Angeli ipsi vesci gaudent, ipse novit, qui, ubi hæc abscondita ab oculis sapientum, & prudentum hujus sæculi latent, tibi indicavit. Equidem nunquam abs te litteras accepi, quæ pro abundantia tui in me amoris, postquam abs te discessi, satis crebræ fuerunt, ut non protinus constituerim ad eas rescribere. Ad hoc enim officium, vel communis humanitas me impellere videbatur, ut ad litteras tam humaniter scriptas, ut nihil aliud hic dicam, humaniter, & benigne responderem. Nunc vero cum omnes tuæ, quas accepi, ejusmodi sunt, quales suaviores, & in Christum eloquentia copiosiores nullus amor exprimere possit; quam hic excusationem afferam? Nullam quidem; nec enim me hic excusare statui, sed dicere, ut se res habuit. Quia Dominus hoc tempore apud te tanquam jumentum suum me esse voluit; jumentum enim me statim agnovi, simul ut facultatem ablatam tam benignæ provocationi respondendi sensi. Si enim vel vestigium hominis habuissem, nunquam quidem tale officium prætermisissem. Domini vero me jumentum in eo statim perspexi, quod vocem ejus in tuis litteris audivi, quod in omnibus sum obsecutus. Qui autem testificabatur de suis, quod ejus vocem audirent, significabat, qui alterius essent, eum non audire. Quod ergo ejus vocem audio, ad eum me pertinere

re ſcio, & eo quidem magis, quod reconditas illas paſcuas ejus, ubi ſuos ſuper aquas refectionis educat, oſtendentibus tuis litteris ſtatim agnovi. Quæ omnia ad te ſcribo, tanquam ſi mugitus, vel hinnitus ederem, ut hoc maxime intelligas, ſi filii vocem audire deſideras, hoc abs te maximis precibus a Domino eſſe impetrandum, ut filii formam, & vocem reddat. Quod ſi ejus Majeſtati aliter viſum fuerit, qui hoc modo me humiliare decrevit, & præſepe nonnunquam ſine pabulo ligatum tenere, hoc tamen tuum erit impetrare, ut me ex illo genere faciat, in quo manſuetus ille Rex ſedebat, cum civitatem ſanctam ingrederetur. Hoc enim, ſi ad quem alium, ad te maxime pertinet poſtulare, qui me ligatum olim ſolviſti, quod diceres: Dominus opus habet. Oſtende ſaltem quomodo Dominus opus habet, aut qua in re, & quo pacto Domini voluntati ſerviam, & pabulo refeceris, curæque ſatisfeceris. Vale in Domino, & alumnum tui amoris Lombardum noſtrum plurimum in Chriſto ſalutabis, qui me ſuis litteris, cibo e menſa Domini, tanquam ſi filius, non jumentum eſſem, ſæpe paſcitur; reddat ei Dominus in menſa Patris. Romæ xxvj. Febr. M. D. XXXVIII.

LIX.

Idem Eidem.

Accepi litteras tuas, quas quidem dum avide legerem neque altius in illorum ſenſum penetrarem, quam mihi primo aſpectu impreſſere, negare non poſſum dolorem mihi non maximum attuliſſe. Quis enim filius non graviſſime doleret, cum audit de patre, quem ſic incolumem reliquit, ut vel cum eo converſari ſanitas filiorum ægrotorum eſſet, cujus filii tanquam novellæ olivarum erant in circuitu menſæ, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud; ipſum non modo non egenum, ſed

ſed egenos ditantem, nunc conqueri per litteras cum filiis, ſe male ſanum, egenum, & pauperem factum, ac liberis orbatum eſſe? Hæc enim ejuſmodi ſunt, ut, ſive de ſanitate animi, & de ejus paupertate queraris, ſive corporis, non poſſunt non dolorem filiis afferre, cum hæc de cariſſimo patre audiunt, ſed tantiſper, dum ad verba reſpicimus. At cum ad fontem harum querelarum oculos convertimus, qui idem fons erat illarum lacrymarum, quas vidi, & quas in diſceſſu noſtro ſcribis te effudiſſe, hic dolor in ſuaves etiam lacrymas cordis noſtri ſe convertit, qui tandem nec amplius dolor appellari poſſit, ſed potius gratiarum actio Omnipotenti Deo, qui per ejus filium nobis ægris, & infirmis, atque omnibus rebus, quæ ad ſanitatem animi pertinent, indigentibus, talem diſpenſatorem gratiarum ſuarum dedit, ſic ejus in nos amore ardentem, ut noſtram abſentiam, cum eis careat, in quos effundere dona gratiarum ſolebat, ſuam orbitatem appellet, ſuam indigentiam, & ſuam infirmitatem, cum ſuos dilectos filios valetudinarios, & ægros, quibus tam ſuaviter mederi ſolebat, præſentes non videt. Hæ enim omnes querelæ amantis verba ſunt, & ex amoris fonte derivatæ, qui, ut abundantiſſime fluebat, aridum tamen ſe queritur, cum, quos amat, ſui participes facere non poteſt. Sed potes, amantiſſime Pater, & nunc multo magis debes id facere, quam cum præſentes tecum fuimus; facies vero abundantius, ſi recorderis, quo in loco ſumus, ideſt in eo, unde tu infirmitatem animi, & egeſtatem bonorum ejuſdem timens, jam olim fugiſti, cum mundi omnia invitamenta, & blanditias, atque honores ſuſpectos habens, & propterea quaſi extra mundum te ſubducens, in cella, tanquam ſepulcro, ubi oſſa tua requieſcerent, in ſpe te condebas, ubi tanquam mortuus mundo, neque quicquam cum eo commercii habens, expectabas ſolum quod, qui toto animo diſceſſerunt e mundo, ſolum expectant, beatam ſcilicet ſpem, & adventum

magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ spes tua jampridem fuit, & est vita tua, cui comparata vita mundi plusquam mors est. Hinc vero, idest ex hac spe, quæ de Cœlo data cum sit, ubi est fixa, sterilis esse non potest, defluunt gratiæ illæ tuæ, quasi aquæ cœlestes, quæ animum tuum tam abunde irrigare solent, ut per has aliorum siccitati animorum succurras, de quibus certe nemo me locupletius testimonium dare potest, qui, si agnoscerem in horto animi mei aliquid dignum tam piis laboribus, abs te dicerem primum consitum eum, & irrigatum esse; sed quicquid est, quod de fructu tam pii laboris agnoscere possum, plantationem tuam, irrigationem tuam non possum non agnoscere, cujus doctrina ut pluvia concrescens, eloquia autem, tanquam ros in animum fluens, meam ariditatem liquore reficere semper solebant. Quanquam tu quidem, si quid boni sit quod operatus fueris, nihil tuum unquam agnoscere soles, & quo est, in quo maxime per te postea de vero hortulano, & colono mentium edoctus, divinam in te gratiam admirabar, qui humanas operationes a divinis separans, omnia bona ad suum fontem reducere soles, ad quem tu, quasi ex itineris fatigatione quiescens, etsi per varios aquæductus derivari videbas, & diversis vasis hauriri, fontis tamen laudes, qui tibi ob oculos semper versabatur, non rivulorum, nec vasorum semper prædicabas, & ab aliis perpetuo prædicari volebas, a quo te nunquam video discedere, neque oculos alio convertere, qui ejus laudes perpetuo prædicas, quo magis debes, & potes pro nobis filiis tuis abundantius haurire, qui eo in loco sumus, ut sæpe avocari, sæpe inde distrahi sit necesse, ut clarum aspectum sæpe amittamus. De quibus nihil necesse est per singula tibi enarrare, qui nunquam negotia, mundi honores, & blanditias, quæ omnia nobis ante oculos assidue versantur, fugisses, nisi scivisses, quantum illa tenebras ob oculos animi offundere, quot impedimenta ad verum bonum properan-

perantibus afferre ſolent. Quo magis, ut dixi, nunc debes filiis tuis ſiti laborantibus, cum ſæpe nec in rivulis, nec in vaſis noſtris, quod ſedet ſitim reperiamus; ab aditu autem, & conſpectu fontis ſæpe intercludamur, ne ſiti laboremus, tu qui ad fontem ſedes, & haurire potes, & providere. Quod ut facias, per omnem amorem tuum, & per lacrymas, amoris tui in me certiſſima pignora, rogo, hoc idem te rogant cæteri tui filii omnes, qui mecum ſunt, Aloyſius, Federicus, Lombardus, & Bernardinus, quibuſcum quando ego quotidie verſor, tecum quidem aſſidue verſari videor, in quibus pretioſa illa Chriſti dona, quæ per te in illis eſt operatus, cum ſumma animi lætitia in aſſiduas gratiarum actiones erumpere video, quæque, ut magis magiſque in omnibus creſcant, precum tuarum majori effuſione eſt opus. Qua in re tibi nunquam nimis multos ſocios adjungere potes, & ob id, ut omnes reliquos tuos filios, fratres noſtros in idem opus accerſas, rogamus, in quibus noſtros cariſſimos in viſceribus Chriſti Bernardinum Presbyterum, & Benedictum Ferrarienſem, tanquam Aaronem, & Hur tibi votis meis adjungo, ut ſi, quod Moyſes, graves manus ſentias, habeas paratos, qui ſublevent; hoc vero onus ut ſumant, rogo Paternitatem Veſtram meis verbis illos roget, quos ego quotidie una cum Paternitas Veſtra Chriſto communi Domino commendo, ut ſuam in vos miſericordiam multiplicatis beneficiis magis in dies uſque in finem augeat. Datum Romæ, ix. Novembris M. D. XXXVIII.

LX.

Reginaldo Cardinal Polo
Al Card. Gaſpero Contarini.

CON grande ſodisfazione dell'animo ho inteſo per lettere di V.S. Riverendiſſima, che per la grazia di Dio ſtate bene; il che tantopiù era grato a me intende-

re, che aveva inteso prima, che per il camino vi trovasti fiacco, che non poteste fare il viaggio, secondo il disegno fatto quì, ma credo, che il camino non così comodo in onmi parte, come pensasti, che avanti esperimentasti, fusse in causa. Quanto al cortese invito, che V.S. Riverendissima me fa di venire in quelle bandi, credo che non mi poteva tenere etiam senza invito di venire a stare qualche giorno con V.S. Riverendissima a vedere voi con vostro diletto grege, e così aveva deliberato, non aspettando altro, se non che Monsignor Aloisio si espedisse di Venezia, ove non era ancora andato da poi il partire di V.S. Riverendissima. Ma dimano si partirà, e come lui dice, tornerà presto. In questo mezzo se il nostro partire di quà va più in longo, non mancherò di mandare quella felice compagnìa di San Basilio, e di Sant'Agostino. Di quelle nove della Pace, non posso dire altro per adesso, che quel che mi replicava un Pittore a Verona a ogni parola parlando delle cose spirituali: Oh bontà di Dio! &, quod non frustra cadit in terram verbum Domini, sed prosperabitur ad omnia, ad quæ misi illum, ut inquit ille Propheta in persona Dei: tam cum magna spe expectavimus Pacis fructus. Ego interim fructus otii hic capio con questo buon Padre con tanta avidità con quanta mai Agnello da latte, sugens ubera matris. Per non tediar più la Signoria Vostra Riverendissima, con la mia eloquenza, molto manco che vulgare, ho pregato Monsignor Aloisio a supplire il resto in suo vulgare. Alla dolcissima compagnìa di viaggio Monsignor Tomaso, e Monsignor Mattheo, V.S. Riverendissima si degna raccomandare, ed io non mancherò a racomandare in questi miei indegni orazioni nostre, come V.S. Riverendissima, tota la vostra famiglia, la quale Dio abbia sempre in sua gratia.

Data a Treville iv. August. M. D. XXXVIII.

Ga-

LXI.

Gaspar Card. Contarenus Regin. Cardin. Polo.

QUuamvis perendie, ut ferunt, Romam redituri simus, ne tamen ignores vitæ nostræ rationem, ac ne hic familiaris Oratoris Veneti hinc ad vos veniat sine meis litteris, paucas has tibi lineas scribere volui. Nudius quartus ante solis occasum hora commoda pervenimus Raspatum. Cælum ibi comperimus, borea præsertim tunc spirante, haud satis lene, sed quod tamen famem citarat, laute cænavimus. Postridie leniori cælo usi sumus. Post peracta divina mysteria ex oppido eo ambulavimus composito gressu ad villam, quam ferunt fuisse diversorium quoddam Luculli, nam Raspatum procul dubio ejus fuit Villa. Extant adhuc vestigia sepulchri cujusdam, quod incolæ Licollum appellant, paulum nomine immutatis. Heri huc venimus, placidissimo cœlo usi sumus, iterque per mediam planitiem fecimus jucundissimum. In via compellavit me seorsim Optimus *hic* Senex *Noster, solusque cum solo sermonem instituit de Reformatione Compositionum, & dixit se detulisse secum, atque legisse antelucanis horis tractatulum quendam, quem conscripsi (de ea re nihil tibi hactenus dixi, quia fere desperaveram, putabamque fore celandum potius, quam prodendum quidquid actum fuerat) plurimaque Christiane mecum disseruit, quo effectum est, ut iterum conceperim magnam spem aliquid Deum boni acturum, neque portas inferi prævalituras esse contra Domini spiritum. Hæc ut quam celerrime scires, cupio, ac Deum ores, ut cœpta a se dirigat, ac perficiat. Si tibi videbitur, opto, ut Reverendissimus Theatinus, ac Magister Sacri Palatii per te certiores fiant, remque omnem apud se teneant, ac nulli prodant. Bene-*

vale

vale cum Priolo, ac reliqua familia in Domino. Ex Ostiis Tiberinis, die xj. Novemb. post prandium M. D. XXXVIII.

LXII.

Reg. Card. Polus Gasparo Cardinali Contareno.

QUantum per asperitatem viarum licuit, & tempus omnium asperrimum propter maxima frigora, & altissimas nives, quibuscum perpetuo a mansione primæ noctis in hunc usque diem per totam viam lustrari oportuit, nihil prorsus de celeritate conficiendi itineris est omissum, neque ullo unquam die penitus ab equitatione est cessatum. Quod ut facere possemus, perpetua serenitas temporis, quæ nos in hanc usque Urbem est comitata, adjuvit, quæ, si vel in pluviam, vel in nivem se commutasset, non solum difficilem Apennini transitum, sed prorsus ad aliquot dies propter altitudinem nivium insuperabilem reddidisset. Nos vero beneficio temporis usi sumus, atque hoc vesperi Bononiam pervenimus, ubi apud Becadellum, ante quidem nostrum, sed quem nunc beneficio Reverendissimæ D. V. magis quam unquam ante nostrum appellare possum, libenter, & jucunde sumus hospitati. Paucis ad Reverendiss. D. V. scribere volui, quasi admonitus a loco, & domo ejus, qui mihi memoriam Reverendissimæ D. V. quam in visceribus teneo, recentem semper repræsentat. Plura scripturus cum Placentiam pervenero, ubi unum diem quiescere statuo, cum ad reficiendum equos, tum etiam nos ipsos, quanquam quod ad me attinet; etsi nullo unquam tempore passus sum tantam vim frigoris, quod tantopere corpus afficeret, quantum hoc tempore in Apennino, tamen nihil inde me magis invalidum factum ad labores ferendos sentio, adeo ut si iter, & propter anni tempus, difficultatem via-

viarum, & longitudinem multo difficillimum restet, tamen, ut spero, iter durum vincet pietas, quam spem meam augent cum orationes multorum bonorum Virorum (quos scio in hoc officio mihi non defuturos) ut ab eo qui solus debiles fortes facit, idem pro me precibus impetrent, tum maxime Reverendissimæ D. V. cui me perpetuo commendo, & eandem Christo. Datum Bononiæ in festo Epiphaniæ, M. D. XXXIX.

LXIII.

Idem Eidem.

STatim ut huc accessi, redditæ sunt mihi a Reverendissimo Legato litteræ Reverendiss. D. V. quæ erant conjunctæ cum illis, quas S. D. N. sua manu scripsit ad utrumque Principem, quas valde expectatas accepi, quod semper judicabam vehementer opportunas fore ad id, quod agimus, negotium, cum publicum, tum privatum. Quæ spes mea eo magis crevit, quod Reverendiss. D. V. scribit, accurate, & de meliori nota esse scriptas. De amore vero Ejus Sanctitatis erga me, & rectissima voluntate in omnibus, quæ pertinent ad utilitatem publicam, utcumque mihi ante notum, & certum fuit, tamen idem repeti litteris Reverendiss. D. V. mihi fuit gratissimum. Deus me faciat dignum, & honore, quo me est prosequuta Ejus Sanctitas, & benignitate, qua me prosequitur, atque impedimenta omnia amoveat, quæ tam piæ voluntatis fructum aliquo modo possint tardare; id quod semper precari non desinam, & ut magis, magisque in oculis cum Dei, tum hominum ad Dei honorem appareat. Ex Bononia scripsi ad Reverendiss. D. V. & de itinere, quo pacto nos asperitas frigoris in montibus, ut inquit ille, prope adussit, significavi, quæ etsi adhuc valde durant, & non minora in Alpibus expectamus, tamen post descen-
sum

ſum Apennini in hac planitie Italiæ multo ſunt mitiora. Ego hic unum diem integrum permanſi, ut me reficerem, eo quidem libentius, quod Reverendum Veronenſem hic reppererim, qui me ad aliquot dies jam expectaverat, ut mecum condoleret, ſimul ac de itineris noſtri ratione intellexiſſet, de gravi caſu meorum. Et ego quidem nunc ſenſum illius multo melius, quam unquam ante, ex ejus conſpectu viſus intellexiſſe, qui dicebat, animo afflicto nihil majorem conſolationem afferre, quam τὸ φίλον ὄμμα, quaſi diceret, cari amici oculus. Quod prorſus nunc maxime ſenſi cum mea afflictio maxime renovaretur ex quibuſdam litteris, quæ mihi damnationem fratris majoris natu ad mortem ſignificabant; quare nunquam opportunius tam carus amicus mihi ſe offerre potuit, qui in multis, quæ ad commoditatem itineris etiam pertinebant, ſua liberalitate proſpexit. Deus illi referat gratiam. Nec vero minus promptum Reverendiſs. Legatum hic inveni in omnibus, in quibus mihi commodare poſſet, qui patris curam in filium erga me prorſus oſtendit, cum diligenter perquireret, qua re maxime ad commoditatem itineris pertinente egerem, & invitum ſua liberalitate uti cogeret, cui libenter debeo, & eo magis, quo magis exprimebat ſuam erga Reverendiſs. D. V. obſervantiam, & amorem, cui ut ex animo eum commendarem, quem ex animo obſervat, rogavit. Et ego nunc rogo Reverendiſs. D. V. ut intelligat me minime negligentem in hoc offitio fuiſſe, de cujus offitioſa erga me liberalitate ad Illuſtriſs. & Rever. Farneſium ſcripſi, ut, quia non dubito Reverendiſs. Legatum eo libentius mihi gratificatum fuiſſe, quod perſuaſum habet rem gratam, acceptamque S. D. N. facere, Sua Sanctitas de eo non celetur; quod etiam ſi per Reverendiſs. D. V. cognoſcat, mihi erit gratiſſimum. Reliqua, quæ ad itineris noſtri rationem pertinent, Prioli noſtri litteræ, ut ſpero, explicabunt. Hoc tamen reſtat, ut, me perpetuis orationibus ſuis, ut adjuvet, ro-

rogem, & hoc idem committat, ut faciat, quod ſpero eum facere, cariſſimo in Chriſto Magiſtro Sacri Palatii; hoc enim polliceor coram Deo, quoties ad aliud ſubſidium in terris, quam ad bonorum orationes, reſpicio, non capitis, ſed animi vertiginem videor pati. Chriſtus Reverendiſ. D. V. ſervet. Dat. Placentiæ, x. Januarii M. D. XXXIX.

LXIV.

Gaſpar Card. Contarenus Regin. Cardinali Polo.

Accepi litteras tuas datas Placentiæ x. die menſis, quem agimus, ſimulque Epiſtolam Beccatelli noſtri; nimirum, quas poſſum, maximas gratias ago Deo Optimo, qui te incolumem ſervat, adeoque ſingulari ope fovet, ut nec ſentias incommodum iter, neque moleſtam hyemem, animumque habeas imperturbatum in his procellis, quibus fortuna te exercet. Mihi equidem illud Raphaelis ad Tobiam in mentem venit: Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te, verum Deus dives in miſerationibus, ut video, cum tentatione proventum facit. Ne dubites, tempus veniet, cum illud pſalmi cantabimus: Lætati ſumus pro diebus, quibus vidimus mala, annis, quibus nos humiliaſti: tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.

Laudo ſummopere pietatem Epiſcopi Veronenſis, a quo, ut ſcribis, reor te mirifice recreatum fuiſſe. Hodie illi per litteras gratias egi. Scripſi Reverendiſſimo Legato Card. de Monte, ac egi locupletiſſimas gratias, & pro officiis erga te tam humane præſtitis, ac pro memoria mei, quam ſervat. Ut reor, facile poterit intelligere ex meis litteris, ſe benemeritum fuiſſe de Viro gratiſſimo, & beneficiorum memori.

Hodie circa meridiem allatus est Pontifici nuncius de restitutione Camerini. Jam erat in arce Thesaurarius, qui magna totius Urbis gratulatione, & plausu exceptus fuerat. Negotium Ferrariense nondum plane confectum est; expectant responsum a Duce ejus Nuncii, qui hic sunt. Princeps Auria pervenit in Urbem nudius tertius, perendie est discessurus. Ego libenter vellem, ut constitutis rebus cum Turca, vineam nostram repurgaremus. Deus Optimus dirigat actiones tuas. Mihi rem gratissimam feceris, si Cæsareæ Majestati me commendaveris, ac Cardinalibus tuis, qui istic sunt: nec non Dominis de Granvella Consiliario Cæsaris, & Commendatori Covos, ac fortasse occurrent tibi, & alii multi noti, quibus meo nomine si salutem dixeris, & illi veteris amicitiæ recordabuntur, meque non immemorem putabunt.

Multa mihi scripsit Beccatellus de Priolo, de se ipso non pauca, qui mihi videtur factus valetudine corporis ita firma, ut sperem illum ad nos rediturum per equos dispositos. Nos omnes bene valemus, Deum sedulo precamur, ut tibi, rebusque tuis, omnibusque actionibus prospiciat. Tu vicissim pro nobis orato. Bene vale in Domino. Ex Roma, die xviij. Januarii M. D. XXXIX.

LXV.

Regin. Card. Polus Gasp. Card. Contareno.

Ex meo animo judicium facio, qui jam diu desiderio teneor de te aliquid audiendi, non minus te habere, ut de me etiam aliquid litterarum accipias, qui non minus amare soleas tuos, quam ipse sis dignissimus, qui ab omnibus colaris. Meo vero desiderio magna ex parte satisfactum est ex his litteris tuis, quas Reverendissimus Collega noster Sadoletus ad se scriptas mihi legendas dedit, ex quibus hoc primum summa cum voluptate intel-
lexi,

lexi, te commoda valetudine frui, id quod maxime significabant, quæ tua manu in extrema Epistola sunt adscripta, cum te animi causa in Villam Reverendissimi Sadoleti concessurum ad aliquot dies dicas. Reliquæ vero tuæ Epistolæ partes, in quibus sententiam tuam profers de eo libro, quem idem Reverendissimus Collega de Substructione Ecclesiæ scriptum, tuo, & aliorum amplissimorum Virorum judicio examinandum Romam misit, cum per se gratæ fuere, quæ mirificum illum animi tui candorem, omnibus amabilem, in judicandis aliorum scriptis expressere, tum vero, quod eædem mihi occasionem dedere, non minorem animi æquitatem experiundi in eo, ad quem scripsisti, mirabiliter fuerunt jucundæ. Nec vero judicare possum, utrum majore animi æquitate, quædam in illo libro notaveris, de quibus admonendum hunc doctissimum Virum judicaris, an ille, quæ abs te amanter, & prudenter sunt admonita, amantius, & majore cum judicio, & animi æquitate acceperit; adeo ut sæpe apud me de tanto Viro, cujus judicium maxime æstimat, quocum tanquam secum de rebus maximis loqui, & conferre posset, plurimum sit gratulatus; de eo vero maxime, quod cum in aliquibus locis, ex verbis ejus perperam interpretatis, aliqui occasionem accepere, secus quam rei veritas se habet, & ejus sententia, cum scriberet, judicandi, oculo tuo columbino in ipsam rei veritatem, & authoris ipsius sententiam penetrasti. Quales vero illi loci sint, ex ejus litteris intelliges, cum fusius in omnibus suam sententiam, ut decrevit, est explicaturus. Interim vero hoc cum merito dolet, quod certe nobis omnibus non minus molestum esse debet, pro tanti Viri fama, & Collegii conjunctione, quosdam esse inventos, qui ex eodem libro, de quo ipse nondum firmum judicium fecerat, quem paucis communicandum, & his solis, quorum judicium exquirebat, esse voluit, nescio quæ excerpsere, & in vulgus protulere, quæ nec cum

illius sententia, cum scriberet, conveniunt, & hanc infamiam apud ignaros rei veritatis inurere posset, tanquam novi, & alieni a consueta Ecclesiæ doctrina dogmatis author esse vellet. Quod quo magis sit alienum ab ejus pietate, & doctrina, atque judicio, quæ omnes in eo eximia esse novimus, eo certe gravius ferendum est, impune hæc spargi, vel in infimum nostri Ordinis, nedum in eum, quem inter præcipuas columnas habemus. Me certe tanta rei indignitas ita movet, ut licet minime omnium tu sis in tali causa pro tanto Viro, & Collega rogandus, ut omni ratione, qua fieri possit, quantum in te est procures, ne talia spargantur, quæ in communem etiam Collegii amplissimi infamiam redundent, si aliquid ejusmodi de eo credatur, quem non tam a Collegio honorem accipere, quam eidem reddere maximum novimus, ubique, & apud omnes, atque apud ipsum Pontificem, si opus sit, defendas; si, inquam, injuriam quasi facere videor pietati tuæ, cum hoc rogo, tamen, ut non rogem, pietas mea, & in hunc tantum Virum observantia non patitur. Quare ignosces, & id facias, quod abs te tua divina natura impetrabit. Atque hæc hactenus de his, quæ meum de tuis rebus audiendi desiderium aliqua ex parte lenierunt. Nunc quæ vicissim tuum de me desiderium utcumque sedare possint, quod scio non leve esse, vel propter causæ, quam tracto, conditionem, cui scio te maxime favere, accipe: hoc vero primum, me incolumem in has ædes, tanquam in portum ex magna tempestate jactatum, esse delatum, ubi nihil opus est, ut quæras, quo pacto sim acceptus, cum dominum domus hujus noris, eum, qui cum in omnes sit hospitalissimus, qualis in Collegam, illius observantissimum fuit, facile potes suspicari. Si vero quæras, quæ tempestas me in has depulerit oras, cum cursum alio haberem, hæc longior est historia; quam si juvat audire, & nostros labores cognoscere ex Ludovici tui, & ejusdem, nostri litteris melius

lius intelliges, & ex eodem de causæ successu usque in hunc diem. De qua tamen hoc tantum scribere volui, quod experientia aliquot annorum jam prope perdidici, inter omnes, quæ tractantur inter homines, causas, nullas difficilius ab hominibus impetrari, quam illæ, quæ proprie ad Deum, & religionem pertinent; & tamen hoc illud esse omnes novimus, quod quotidie in precationibus a Deo postulamus, ut fiat voluntas ejus, cui nostræ postulationi, ex qua felicitas nostra pendet, si nos maxime repugnamus, ut assequamur, quid mirum est in tantis malis jacere Rempublicam, quibus qui mederi cupiat, ut omnia remedia tentet, si mavis hoc inveniat, quam ut oratione pro se, & pro aliis hoc procuret, ego mirabor. Quod si quis hoc pro se primum impetravit, ut auferatur cor lapideum, quod perpetuo resistit voluntati divinæ, si idem aliis, quod est voluntatis divinæ, persuadere cupiat, frustra quidem hoc verbis contenderit, utcunque ratione niti, muniri, & acui videantur, nisi prius a Deo precibus assequutus fuerit, ut dura corda emolliat, ut verba possint penetrare. Quare ad preces potissimum incumbamus, Reverendissime Domine, quicumque nos ipsos salvos, & Ecclesiam sanari ex his malis, quibus laborat, cupimus. Reliqua omnia remedia ante libri, & fides nostra, docuerunt esse vana, nunc experientia mihi præsertim ostendit esse vanissima. Quare prius pro nobis, deinde pro aliis oremus, & quia ipse præcipue hoc tempore tot malis quasi circumventus esse videor, ex quibus ut me explicem vix, viam invenio, ut non præcipue tuis orationibus me perpetuo commendem, quanquam scio eas mihi non deesse, facere non possum. Et ut hoc nomine carissimo nostro in Christo Magistro Sacri Palatii perpetuo me commendare dignetur, Reverendissimam D. V. valde rogo, quam Deus nobis, & Ecclesiæ suæ quamdiutissime servet incolumem. Dat. Carpentoracti, xxv. Martii M. D. XXXIX.

Re-

LXVI.

Reginaldo Cardinal Polo Al Card. Gaſpero Contarini.

ANcora che V.S. Riverendiſſima per le lettere, che io li ſcriſſi alli xxv. del paſſato quì da Carpentras poſſa facilmente havere inteſo quanto ſi abbia potuto ritrar dal Imperatore, e la cauſa perche ſiaſi ritenuto quì a Carpentras, e come haveva mandato l'Abbate di San Saluto al Re Chriſtianiſſimo, pur perche ſappia ogni coſa da capo, e piedi, e le riſpoſte, e propoſte particolari ſopra il tutto quello è occorſo, e più quanto poteria fuſſe biſogno trattare per l'avenire, ho voluto mandare in poſta a Roma il prefato Abbate, il quale è ſtato meco in Spagna, e di poi andato alla Corte di Francia, ed è molto bene inſtrutto di tutto l'andamento di queſta cauſa, Uomo prattico di queſte due Corti, e di buono intelletto, e buona volontà. V.S. Riverendiſſima potrà diſcorrere il tutto con lui, al quale ho detto, che faccia ricapito a lei, ed eſaminare con quello ogni coſa per poter poi riſolutamente negoziare con Sua Santià, la quale da principio quando mi ſpaziò da Roma, penſava che io doveſſi trovar la materia diſpoſtiſſima per quello aveva ſcritto il Nunzio, e pareva veriſimile doveſſe eſſere, cioè, che l'Imperatore foſſe prontiſſimo a fare queſta impreſa, per molti riſpetti publici, e privati, e niente di meno non ſi è moſtro così, nè ſi ha voluto laſſare intendere, che poſſa attendere a queſto, allegando, che pur troppo aveva da fare per le ſue coſe proprie, havendo in molta conſiderazione la guerra del Turco, e de' Luterani, e dicendo, che prima voleva intendere la mente del Re di Francia ſopra queſto, il qual Re, come V.S. Riverendiſſima intenderà dal prefato Abbate

bate ha parlato, e discorso largamente sopra ciò, e mostra buona volontà di proseguire questa impresa. Hora qui fa di bisogno di volere operare con l'Imperatore, che discenda a voler essere col Re Christianissimo, e far tregua col Turco, ed attendere alle cose Luterane, il che sia una santissima opera, nella quale il Re si offerisce far buona operazione, siccome V.S. Riverendissima intenderà dal detto Abbate, e per tanto bisogna essere con Sua Santità, e trovar modo di maneggiar questi negozj, che sono tanto necessarj, ed honorevoli. E forse, che il Signore Iddio vuol ora trovar la strada della salute della Christianità, concordandosi queste due Maestà, come pare siano per fare. Io ho detto al detto Abbate, che in caso che Sua Santità voglia trattare con l'Imperatore di disponere la mente sua con quella del Re, che a me pare, che non saria bisogno, che io per questo andassi all'Imperatore, ma questo si potria trattar per altri, ed in specie per questo Abbate, il quale già molto introdotto in questa materia, ed è stato meco in Spagna. Quando poi Loro Maestà fossero risolti di fare insieme questa impresa, allora io potria conferirmi alle Loro Maestà, per far la Capitolazione per nome di Sua Santità, riguardo di quei popoli d'Inghilterra. Questo lo scrivo a V.S. Riverendissima, acciò possa trattarlo bisognando con Sua Santità. Io starò quì in Carpentras aspettando commissione di quanto piaccia a Sua Santità, che io faccia, e frattanto haurò riguardo alla mia salute, la quale è più che mai oppugnata da quel Tiranno, siccome V.S. Riverendissima intenderà. Il prefato Abbate ancho raguaglierà V. S. Riverendissima delle spese nostre, le quali superano le nostre forze, ancora che si usano tutti li sparagni. Questo correre di poste a Toledo, in Francia, ed a Roma sono quelle che ci rovinano; ma in una causa così importante, ed ove va la prestezza del tempo, non mi pare si possa fare

di

di manco. Sua Santità si degnerà di provvedere a questa, ed all'altre occorrenze, e sò, che V.S. Riverendissima non mancherà del suo consiglio, e favore a tutto questo negozio, tanto onesto, e pio, e si degnarà di ajutare l'Abbate di quanto li sarà bisogno con Sua Santità. Appresso voglio pregare V. S. Riverendissima, che voglia avere in protezzione uno da bene, e venerando Vescovo, lo quale ho trovato in Spagna a Girona Città di Catalogna. Mi ha informato, come V.S. Riverendissima vedrà quì per un suo Memoriale di una iniquità di alcuni suoi Preti, che per non stare sotto l'obbedienza del Vescovo, si sono fatti esenti dall'Ordinario, al tempo che il Riverendissimo Jacobacci fu in Spagna, e per malignar bene contro il Vescovo, il quale aveva voluto correggere la loro licenza, sono venuti a Roma ad accusarlo, e calunniarlo, e metterlo in disgrazia di Monsignor Riverendissimo Jacobacci, e così l'hanno messo in lite avanti l'Auditore della Camera. Io ho molto per male, quando veggio fare ingiuria a simili Prelati, che doveriano essere favoriti, e non sbattuti dalla Sede Apostolica, ed ajutati a fare il debito suo, siccome fa questi, il quale fa residenza, e fa l'offizio di buon Pastore, & bene audit appresso li Uomini da bene. Scrissi una lettera al Riverendissimo Jacobacci in favore, ed in giustificazione di questo Vescovo, così prego V.S. Riverendissima, voglia difenderlo, ed ajutarlo nelle sue oneste dimande appresso l'Auditore della Camera, e dove bisognerà, perche questa è causa degna del suo patrocinio. Monsignor Carlo da Fano potrà informarsi, ed avvisare V.S. Riverendissima di quello sia di bisogno. Ed a lei umilmente mi raccomando, che nostro Signore Iddio la mantenga in grazia sua.

Carpentras alli viij. di Aprile M. D. XXXIX:

Il

LXVII.

Il medesimo al medesimo.

L'Apportator di questa ch'è un Padre dell'Ordine di S. Domenico, dimorante quì in Carpentras dotta e bona persona, per quanto io intendo è uno delli Provinciali di questa Provincia, il quale viene a Roma per conto del suo Capitolo generale, e per esser forestiero e non practico in quella Corte, potrebbe esser facilmente che havessi bisogno d'alcun ajuto e favore per diffender alcune sue cose. Io l'ho voluto ricomandare con questa mia a V. S. Reverendissima & Illustrissima, la quale son certo che per amor mio non li mancherà in suo favor, essendo per se sempre pronta, e disposta al beneficio di simili persone, e a quella humilmente mi raccomando che Nostro Signor Dio per sua grazia la conservi. Da Carpentras alli xxiiij. d'Aprile MDXXXIX.

LXVIII.

Il medesimo al medesimo.

HIeri che fu al xi. io ricevetti due lettere di V. S. Riverendissima del xxi. e xxviij. del passato, delle quali ho havuto quella consolazion, che la diligenza in scriver nata dall'amor che lei porta verso me, e principalmente verso la causa di Dio, mi sforza havere a tale tempo, quando havea più bisogno di simili officii di quelli che sono veri servi di Dio, e non finti amici, e di questo thesauro che Dio m'hà dato nell'animo di V. S. Riverendissima non cesso mai ringraziar Dio e pregar sua infinita bontà di conservarlo al beneficio della Chiesa e dei afflitti della Chiesa, e per la causa della Chiesa, come saria troppo io adesso se non fosse da qualche banda

qualche consolazion simile, come ricevo adesso da V. S. Riverendissima, massime in quel che la scrive, che essendo deliberata di partirsi di Roma questo Està, ricordandosi bene di me, e della causa che prattico, questo è stato tra li altri rispetti quel di più importanza, che l'ha fatto restar. Io non so dir altro, che penso che Dio ha messo in mente di V. S. Riverendissima a fare così, di non lasciar mancare la causa sua di un tal patrone a un tempo così necessario come pare adesso, e di non darmi tristitiam supra tristitiam, che appresso altri impedimenti della causa, averia riputato questo di non havere il suo solito patrone, non essendo poi altra consolazione piena dell'animo mio a chi ho potuto ricorrer, e per questo Dio havendomi consolato in questa parte spero del resto, che il suo restare sarà ogni dì più dolce, e giocondo a lei medesima, come pregherò continuamente la Sua Maestà. Quanto alli nuovi impedimenti e vecchi della causa, piacerà a V. S. Riverendissima intender dalle lettere di Messer Lodovico suo, quel pegno d'amore che ha lasciato appresso di me, nel quale insieme col nostro Priolo ogni dì piglio tanto più consolazione vera e solida, quanto più io ho occasione per la prattica con li altri, di conoscer la grazia di Dio in loro, e natura e costumi di altri. Noi per la nostra consolazione mutua havemo cominciato a conferire insieme li Salmi di quel grande Propheta e Re, il quale Dio aveva eletto secundum cor suum, ed hoggi eramo arrivati a quel Salmo che comincia: *Salvum me fac Domine quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana via* &c. Reliqua nosti. E certo chi prattica coi huomini, sa quanto è bisogno a pregar Dio di guardarci, e di ringraziar quando trova in qualchuno illam prudentem simplicitatem, che conviene così bene ai servi di Dio, e di questo posso dar testimonio, e di uno, e dell'altro più che mai, per

la

la prattica che Dio mi ha fatto havere in questo negozio di tutte due vie. Io non posso dir altro, che sia laudata S. M. del tutto, e per tante difficoltadi che sono mostrate in questa causa di Dio, non restarò però manco fidente di veder buona resoluzione all'onor di S. M. supponendo questo, che tutte quasi le grandi imprese in natura vanno per grandi difficultadi, e le cose pervengono all'honore vero di Dio per la maggior parte per impossibilità, secondo quel che pare a noi. E così fu risposto una volta di questa causa in Hispagna, che fusse impossibile di fare qualche buona opera al nostro desiderio secondo che S. S. dimandò, pure vidimo in grande parte questi rispetti che mostrava questa impossibilità quasi tolti. Io non so far altro se non fiat voluntas ejus, e pregar che doni grazia conformar nostra volontà a quella infinita bontà e sapienza. La lettera che V. S. Riverendissima scrisse a Monsig. Riverendissimo Sadoleto del suo giudizio dell'Epistola ad Gebennen. mi fu mandata questa mattina, lui essendo in Villa, per leggere e considerare, del qual non so dire altro adesso, che mi pare che V. S. Riverendissima ha fatto officio di un dotto e caro amico, e zelante dell'onore del suo amico. Da poi che haverò parlato con Monsig. Riverendissimo di questa, troverò occasione d'introdurre menzione dell'Epistola ad Sturmium, del quale V. S. Riverendissima scrive. Nelle mie lettere, e di uno e dell'altro farò argomento di un'altra lettera per un'altra volta. V. S. Riverendissima perdona questa mia negligente barbarie adesso, essendo molto distratto nell'animo in varj pensieri scrivendo a diversi. Dat. Carpenctor. xij. Mai. MDXXXIX.

LXIX.

Gaſpar Cardin. Contarenus Regin. Cardin. Polo.

ACcepi literas tuas datas Carpentoracti ſimul cum literis Reverendiſſimi Sadoleti, quibus reſpondere voluiſſem, ſi improviſus diſceſſus hujus, cui has literas dabimus, nobis otium quodpiam præſtitiſſet; verum anguſtia temporis adeo nos urget, ut nihil aliud reſcribere queam, quam quod vos valere, & incolumes rediiſſe ad hominem veſtri amantiſſimum, cum quo etiam hos proximos Paſchales dies jucundiſſime egeritis, gratiſſimum mihi accidit. Prioli veſtri diligentiam, per quam res omnes veſtras intellexi, ſummopere laudo, ac pro ea fateor me illi plurimum debere. Pontifex mirifice non tantum probat, verum etiam fere admiratur, prudentiam tuam ac animi præſentiam in toto hoc negotio. Miror quod vobis nulla noſtra epiſtola reddita fuerit, cum novies, ni fallor, vobis ſcripſerimus, neſcio qua de cauſa id acciderit. Nos item hanc tantum epiſtolam tuam datam Carpentoracti accepimus, nullam præterea. Ampliſſimo Sadoleto me plurimum commendato, eique dicito meis verbis, meum illi non defuiſſe officium in tuenda ſua dignitate, cum Pontifice, & nonnullis aliis Cardinalibus, nec poſthac defuturum; quanquam, etiam antequam ejus literæ mihi fuiſſent redditæ, dixiſſem ſentire me proculdubio rectum fuiſſe ejus ſenſum in illa authoritate doctorum, & proborum, qui tum non eſſent Epiſcopi. Temporis anguſtia arctor. Priolum & Beccadellum ſalvere jubeo, ſimulque omnes familiares tuos. Deus optimus te nobis incolumem ſervet & dirigat greſſus tuos in ſemitis ſuis ad commodum, & ornamentum Eccleſiæ ſuæ. Orate pro nobis. Romæ 12. April. MDXXXIX.

LXX.

LXX.

Reginaldo Card. Polo Al Card. Gaspero Contarini.

ALli 2. di questo scrissi da Avignone a V. S. Riverendissima, e l'avvisai come io era andato per ritrovarmi con Monsig. Riverendissimo, ed Illustrissimo Farnese, col quale io parlai a lungo sopra le cose d'Inghilterra, le quali fino qui sono scorse in lungo senza risoluzione alcuna. E se all'andata hora di Sua Signoria Riverendissima alla Ces. M. non se ne cava qualche conclusione, non sò più quello se ne possa sperar dagli uomini. Il Riverendissimo Farnese molto bene instrutto, mi ha promesso farà buonissimo officio. Quanto a quello, che V. S. Riverendissima ultimamente per le sue de' xix. del passato mi scrisse del ragionamento fatto con S. S. delle cose di Germania, e del ricordo li dette di me, io ringrazio quanto posso l'infinita amorevolezza di V. S. Riverendissima verso me, la quale non è punto nuova, e la fà di me pensar per honorarmi, quello a che io non penso. Io sono di questo pensiero, che a questa, o qualunque altra impresa, nec ultro me offeram, nec oblatam recusabo, e molto più volentieri farò figliuolo d'obedienza, che altro, il che penso anco sia parer di V. S. Riverendissima. Cogitata enim nostra jactabimus in Dominum, & ipse te enutriet. Scrissi per le mie penultime, che furon di xxiv. del passato, come saria piacciuto, che S. S. havesse mandato a posta un'uomo in Spagna per questo negozio nostro, e li ricordai che mi pareva al proposito il nostro Abate di S. Salute, ma ora non bisogna più dir altro di questo, essendo andato il Riverendissimo Farnese. Ben mi par che non fosse se non a proposito, quando si abbia da

so-

ſopraſtar quà per queſto conto, che il detto Abate ſe ne veniſſe a noi per ogni buon riſpetto. V. S. Riverendiſſima intenderà dalle lettere di Spagna del Riverendiſſimo Farneſe quello ſopra ciò ſi poſſa deliberare. Noi tutti ſtiamo beniſſimo che Dio ne ſia laudato, e così Monſig. Riverendiſſimo Sadoleto, e tutti li ſuoi, e tutti di cuore baciamo la mano a V. S. Riverendiſſima. La prego ſi degni per me ſalutar il Padre Maeſtro, M. Galeazzo, e M. Daneſio, che Dio tutti in ſua grazia conſervi. Da Carpentras alli viij. di Giug. MDXXXIX.

De rebus Germaniæ audio, quod moleſtiſſime tuli, indictum videlicet eſſe Conventum Norimbergenſem ad Kal. Octobris pro rebus Eccleſiæ componendis, ubi ſunt conventuri Oratores Cæſaris & Regis Chriſtianiſſimi, ſex autem pro parte Lutheranorum, & totidem pro partibus Catholicorum de rebus Fidei diſputaturi, & hoc fieri ex decreto ſuperiorum menſium Conventus Francofordien., in quo nulla mentio fit nec de Pontifice, nec de aliquo, qui pro Sede Apoſtolica interveniret. Vides, credo, quo iſti tendunt. Utinam ego decipiar. Sed hoc prorſus judico; etſi præſentibus conatibus Regis Angliæ maxime ſit obſtandum, tamen non hunc eſſe qui maxime Sedi Apoſtolicæ poſſit nocere. Ego illum timeo, quem Cato ille in Rep. Romana maxime timebat, qui ſobrius accedit ad illam evertendam, vel illos potius timeo (nec enim unus eſt hoc tempore) & niſi iſtis privatis Conventibus cito obviam eatur, ut non brevi major ſciſſura in Eccleſia cum majori detrimento authoritatis Sedis Apoſtolicæ oriatur, quam multis ſæculis fuerit viſa, non poſſum non maxime timere. Scripſit ad me his de rebus primum Nuncius ex Hiſpania, & poſtea certiora de iiſdem ex Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo Farneſio, cum hac tranſiret, cognovi, cui ſententiam meam de toto periculo expoſui. Ego certe talem nunc video Eccleſiæ ſtatum, ut ſi unquam dixi ulla in cauſa cum

cum Isaja, Mitte me, nunc potius si rogarer, dicerem cum Moyse, Rogo, Domine, mitte quem missurus es. In hac vero Germaniæ causa nunquam amor meus erga te, quem scio suum otium libenter amplecti tantum apud me poterit, ut non multo magis pro mea erga Ecclesiam pietate optem, ut tu ad illud negotium te dignum & idoneum maxime extrudaris. Quid vero sperare, aut timere hoc tempore possimus, cum de hoc Germaniæ negotio, tum de Angliæ causa, brevi ut spero ex literis Reverendissimi Farnesii intelligemus; quas ut accepero, tum melius statuere de omnibus poterimus, & clarius meam sententiam explicare. Interim quæ mihi videbantur noluì te ignorare, quoniam tuæ literæ occasionem dederunt. Deus Ecclesiæ suæ unitatem conservet, ac sic Vicarii sui dignitatem tueatur, ut illi ad imperandum, cæteris ad parendum quæ huc maxime conferunt, animus, & facultas suppetant. Christus te conservet Reverendissime Domine.

LXXI.

Gasp. Cardin. Contarini Al Card. Regin. Polo.

HO' *ricevute le lettere di V. S. Reverendissima degli visj. del presente, per le quali ho inteso lei con tutta la sua dabene compagnia esser sana e gagliarda, il che sapere mi è stato di sommo piacere. Noi ancora stiamo molto bene, e ci godiamo il bel palazzo di Monsignor Reverendissimo di Carpi. Insino hora non abbiamo sentiti troppo gran caldi, adesso bene pare che si cominci a riscaldare l'aria, e che da buon senno voglia venir la state. E ben vero che insin'adesso tratto tratto è piovuto qualche poco. In quanto mi scrisse V. S. Reverendissima, io non mancherò di pregare con tutto il cuore Nostro Signore Iddio, che*

che si degni per sua infinita bontà di provedere alla sua afflitta Chiesa, e di indrizzare V. S. Reverendissima alle sue sante vie, e dare felice esito a tutte le operazioni di quella secondo la sua volontà.

Ea quæ Vestra Reverendissima Dominatio scribit se intellexisse ex literis Nuncii ex Hispania, & a Reverendissimo Farnesio, nos hic aliquanto serius audivimus; eandem facio ego conjecturam quam tu videris innuere. Deus optimus nostris rebus prospiciat non in justificationibus nostris, sed propter nomen suum, quod invocatum est super nos. Quantum ad me pertinet, adscribo humanitati & amori tuo singulari ea quæ mihi attribuis, sicuti arrogantis, & temerarii esse existimo, præter cetera pericula & incommoda, hujusmodi quidpiam appetere, ita impium existimarem, si oblatum recusarem nulla etiam habita vitæ ratione. Nam quid optabilius quam mori pro causa ejus, qui nobis veram vitam sua morte comparavit? Orate Deum assidue pro nobis, ac in primis pro Sanctissimo D. N. & pro Collegio nostro. Bene valete omnes in Domino, ac Reverendissimo Sadoleto nostris verbis salutem plurimam dicitote, itemque duobus Paulis, quos vehementer amo. Ex Roma die xxij. Jun. MDXXXIX.

LXXII.

Regin. Card. Polo Al Card. Gasp. Contarini.

HO in due giorni havuto due lettere di V. S. Riverendissima l'una dei xiiij., e l'altra dei xxij. del passato, e hieri che fu il terzo giorno quì arrivò il nostro Sig. Abate di S. Saluto sano per la Dio gratia, e con buona ciera. Ho grandissimo piacer della sua venuta sì per haver una compagnia tale come è la sua, sì per intender delle cose di Roma, e specialmente di V. S.

V. S. Riverendiſſima, con la quale ſpeſſe volte nell'animo mio fo di longhiſſimi ragionamenti, i quali come ſpero un giorno a Dio piacendo farò da buon ſenno. Ho havuto piacer che V. S. non ſia ſtato fiſſo in quella opinione del mio andar in Francia, parendomi per li riſpetti già ſcritti, che non foſſe molto a propoſito della cauſa per hora, e così ho havuto lettere di Spagna di Monſig. Riverendiſſimo Farneſe de' xxi. del paſſato che mi avviſa, che alla ritornata di Sua Sig. Riverendiſs. in quà, la quale ſarà di curto, mi avviſerà quanto ſopra queſto negozio havrà riſoluto, il quale ha commincio a trattare. E così quì ſtarò aſpettando. Noi tutti per la Dio grazia ſtiamo beniſſimo, e così il Riverendiſſimo Sadoleto colli ſuoi, il qual Riverendiſſimo ha avuto molto caro la lettera di V. S. Riverendiſſima, e li riſponderà con la penna, ſiccome hora con il cor, e con l'amor li riſponde, con li quali è ſempre ſeco. Noi ſtiamo alli Frati, luogo devoto, e ſolitario, e molto mi diletta queſta ſtanza, ove ſi trovano de' boni Padri, e non ſiamo lontani dal giardino di Monſig. Riverendiſſimo Sadoleto, ove almeno una volta la ſettimana andiamo a ſtar un giorno tutto intiero, ſenza che ci viſitiamo tratto tratto, e ſpeſſo li ſuoi Nipoti da bene ci vengono a viſitar, e ſpecialmente il Reverendo gentile, e dotto Meſſer Paolo, ch'è tutto di V. S. Riverendiſſima, e humilmente per infinite volte a quella ſi raccomanda, così noi altri tutti, e la prego in mio nome riſaluti il buon Padre Maeſtro, e li ſuoi dotti, ed amati Commenſali, che N. S. Iddio tutti lungamente in ſua grazia conſervi. A Carpentraſſo il primo di Luglio MDXXXIX.

Mi ſcrive il Reverendiſſimo Farneſe, che trovò la Ceſ. M. fiſſa in opinione, ch'io andaſſi in Francia, ma replicandoli Sua Signoria Reverendiſſima, che queſto non era di biſogno per le cauſe, che già ho ſcritto a

X V. S.

V. S. Riverendissima, Sua Maestà lo rimise al suo Consiglio, coi quali mi scrive che havea comincio, e non finito la disputa, e che esso fra pochi dì mi porteria la risoluzione &c. Il i. di Luglio MDXXXIX. di Carpentrasso.

LXXIII.

Il medesimo al medesimo.

TRe dì sono scrissi una mia lunga, e fastidiosa lettera a V. S. Riverendissima, per la quale quella potrà intender tutti li miei pensieri, ed ajutarmi col suo consiglio, ed autorità appresso N. S. in quello li parerà opportuno. Io per me in questo nostro negozio mi so mal spiegare, e più tosto havrei caro poter haver ozio, e voltarmi coi preghi a Dio per tutti noi, che travagliar senza frutto di servirlo con le genti del mondo. Hieri ebbi una lettera del Nuncio di Francia di viij. di questo, per la quale mi avvisà, che la mia andata al Re Christianissimo sarà gratissima andando ben risoluto, e che altramente metteria in sospetto il Re d'Inghilterra senza profitto alcuno, sicchè saria necessario, quando S. S. deliberasse, che io andassi in Francia, che ella disponesse la Maestà Christianissima a contentarsi di ciò, e ad essermi favorevole per tutti li rispetti, e massime per la sicurtà della vita mia. Bisognerà anche, come altre volte ho scritto, che dovendo andar in Francia, o altrove, io sia provisto di denari, perche ne' viaggi si fanno di buone spese, ed io sono senza un quattrino, e non ho molta compagnia ancora, come saria necessario, che io havessi in simil paese. V. S. Riverendissima so che non mancherà di tutto quello potrà. Del resto poi noi stiamo bene tutti per la grazia di Dio, e stiamo alli nostri Frati, che ci fanno bonissima

ſima compagnia, e ſono perſone molto da bene, ne manchiamo per queſto ritrovarci ſpeſſo col Riverendiſſimo, e da beniſſimo Sadoleto. Studiamo qualche poco per paſſare il tempo, ma quel che ſtudia più di tutti è Meſſer Alviſe, che tra' ſtudj di Filoſofia, e d'Iſtoria conſuma una gran parte del tempo, penſa anche di farſi Agricoltore, ma più con l'opera, che con la lezione, ed a ciò l'invita un belliſſimo orto che hanno queſti noſtri Padri con un loro perfetto Ortolano. Il prefato Meſſer Alviſe, l'Abbate, e tutti gli altri baciano la mano a V. S. Riverendiſsima, ed a quella humilmente mi raccomando, e ſaluto più aſſai il buon Padre Maeſtro, e Meſſer Galeazzo, e Meſſer Daneſio, che N. S. Dio tutti conſervi. Da Carpentras alli xvj. di Luglio MDXXXIX.

Mando con queſta la copia della lettera di Francia, a ciò poſſa meglio conſiderar ogni coſa, ne voglio laſciar d'avviſarla come ho ricevuto la ſua delli due di queſto, che molto mi è ſtata cara, ſiccome ſempre mi ſono tutte le ſue, ed inſieme ho havuto la lettera d' Hibernia. V. S. Riverendiſsima per quella può haver viſto, ſiccome quel buon gentiluomo che mi ſcriſſe, ſi metteva in ordine per muover la guerra in Hibernia. Di queſto ſono cauſa queſti rumori, che fanno queſti Prencipi di voler far l'Impreſa; e noi non facendo altro, ſaremo cagione, che tanto più ſaranno li ſudditi oppreſsi da quella tirannide. Dio gli metta la ſua mano. V. S. Riverendiſsima farà beniſsimo a mandar il ſuo libro al Pighio. Quanto a quello ch'ella mi ſcrive del mio libro, che vorria haver il Ramberti, io gli vorrei far maggior piacere che queſto, ma non eſſendo queſto coſa che molto a lui importi, havrò caro non ſi muova parte alcuna fino che non ſia finito, e che io non gli habbia gionto quello ho ſcritto quà, che ſono parecchi fogli; molti altri mi hanno fatto la medeſima

richiesta, e con tutti mi sono scusato, e quando Io dessi ad uno, a gli altri farei ingiuria; e di nuovo bacio la mano a V. S. Riverendissima, e me le raccomando. Adì xvij. di Luglio.

LXXIV.

Il Nunzio di Francia Al Cardin. Reginal. Polo.

IO scrissi alli iiij. a V. S. Reverendissima Illustriss. in risposta d'un altra sua riecvuta quel medesimo giorno, e questa sia per risposta dell'altra del xiiij. del passato, per la quale ricerca il parer mio circa la venuta sua quà, al che rispondendo dico, che non mi essendo voluto tanto fidar di me stesso, laonde io potessi incorrere qualche errore, ed acciò non si havesse da venir a quei medesimi termini, che si venne l'altra volta che la fu quì, il miglior mi è parso chiarirmene con Monsig. Contestabile, col quale ne parlai hier mattina, ne ritrassi altro se non che ne parleria a S. M. Questa mattina poi havendo mandato uno delli miei Secretari per averne la resoluzione ha risposto le formali parole o simili, cioè che haveva parlato al Rè dell'affar di V. S. Reverendissima, e ben consultatolo, e per esser S. M. in buona opinione di far l'esecuzione di quel che io sapevo, tutte le volte, che l'Imperatore fosse del medesimo parere, non gli pareva, che per ora la Signoria Vostra Reverendiss. dovesse venir quà altramente, sì per ovviare a tutte le suspicioni che potriano nascere, come per non dar occasione all'altro di provedersi. Sicchè V. S. Reverendissima la intende, e come savio e prudente si governerà in modo, che le cose habbino il verso suo. La potrà, secondo me, havuto che haverà lettere del Reverendissimo Card. Farnese, considerar bene in che disposizione la ritrova lo Imperatore, e dar-

darmene avviso, che io non mancherò riparlarne di nuovo, e non vedendo io segno alcuno, che costoro siano d'altra oppinione di quella che m'han sempre detto, ritrovandosi l'Imperatore ben disposto, penso che non mancheranno a cosa alcuna, che possa essere a utile, e benefizio della causa. E raccomandomi humilmente in sua buona grazia, pregando Dio che prosperi i suoi santi desideri. Da Parigi alli viij. di Luglio MDXXXIX.

Il Reverendiss. di S. Andrea se ne voleva andare, pure da Monsig. il Conestabile gli è stato detto, che voglia differir, ed aspettare ancora una risposta di Roma, Spagna, ed Inghilterra.

LXXV.

Regin. Card. Polo Al Card. Gasp. Contarini.

PEr bisogno di questi poveri huomini di questo Contado, i quali sono molto angariati, e straciati dalli Giudei. Monsignor Reverendissimo Sadoleto, ed io habbiamo scritto a Monsig. Reverendissimo, & Illustrissimo Farnese, pregando Sua Signoria Reverendissima voglia operar con N. S., che le domande faranno a Roma questi Giudei contra questi poveri non siano esaudite, perchè in fatti questo è un'anno da haver gran rispetto alla povertà, la quale non coglierà grano in questi paesi a pena per seminar. Prego V. S. Reverendissima per questa opera pia, e per amor mio voglia bisognando esser con Monsig. Reverendissimo Fernese a quanto li scrivo, e bisognando dirne una parola a Sua Santità, che sarà una opera santissima, e a noi gratissima, e a lei humilmente mi raccomando che Dio la conservi. Da Carpentras alli xviij. di Luglio MDXXXIX.

Scrivendo questa mia a V. S. Reverendissima ho ricevuto

cevuto una lettera di S. M. in risposta d'una mia che li scrissi condolendomi per la morte della Maestà dell'Imperatrice. E di più S. M. mi fa motto, che del negozio nostro si rimette a quanto ha parlato con Monsignor Reverendissimo Farnese ne altro in dette lettere di S. M. si contiene.

LXXVI.

Regin. Card. Polus.
Ennio Cardin. Philonardo.

Legi particulam illarum litterarum, quas Reverendissima Dominatio Vestra misit ad Reverendissimum Dominum Sadoletum, in quibus Reverendissima Dominatio Vestra pluribus & accuratis verbis agit, ut in ea lite, quam Reverendus Nepos Reverendissimæ Dominationis Vestræ habet cum Domino Bartholomæo Stella, quam ante meum discessum a Roma Reverendissima Dominatio Vestra pro sua erga me, quam tum ostendebat, benignitate, totam arbitrio meo componendam & decidendam permisit, quoniam nunc accepit ab aliis, eundem adversarium gloriari, & nescio quæ dicere, quæ tangunt honorem Reverendissimæ D. V. etiam diminuere velle de summa, quam ego tum signavi solvendam Reverendissimæ Dominationi Vestræ, ob hanc causam rogat Reverendissimum Dominum Sadoletum, ut mecum agat, ut sim contentus, ut lis revertatur ad Judicem, & ab eo pro tribunali decidatur, quod si fiat, tum meo judicio reliquum negocium permittet; sin ego in hoc gravarer, & plus æstimare ostendam unius privati hominis utilitatem, quam honorem Reverendissimæ Dominationis Vestræ, se non posse suo honori deesse, immo sic deliberasse severe agere cum adversario, ut non solum summam capitalem ab eo solvi po-

postulet, sed etiam detrimentum tot annorum, quibus illa pecunia caruit, per eum farciri & solvi faciet. Hæc in summa ex illis litteris accepi, quæ ad me misit Reverendissimus Sadoletus, cum abessem ab urbe Carpentoracti, in secessu quodam prope Urbem, de quibus paulo post Reverendissima Dominatio ejus, cum me in villam suam invitasset, non minus accurate mecum agere cæpit, quam ex litteris facile potuit intelligere, sic eum maxime satisfacturum voluntati Reverendissimæ D. V. Ad quæ cum in summa responderem nihil opus esse, ut quisquam me rogaret, si qua in re potuissem gratificari Reverendissimæ D. V. cui mea sponte omnia officia, pro mea erga eandem observantia, essem præstaturus, tum sic conclusum est inter nos, ut ego illis literis responderem, quibus & voluntatem meam in eo, quod a me postulatur declararem, atque hoc testarer, quam non defuit huic officio Reverendissimus Dominus Sadoletus, quemadmodum nunc per me Reverendissima Dominatio Vestra intellexit. Restat, ut voluntatem meam nunc declarem in eo quod a me postulatur, quod quidem melius facere potuissem, si plene intelligerem fundamentum postulationis. Quod si hoc tantum a me postulatur, ut, quoniam Reverendissima D. V. judicat se ab adversario graviter læsum, ad quem castigandum nullam magis compendiosam viam existimat, quam ut iterum lis ad tribunal Judicis revocetur, quoniam promissum, quod mihi fecit huic maxime obstare videtur, qui meo judicio totam rem permisit, ut hoc obstaculum me libente tollatur, ut scilicet per me promissi vinculis solvatur, & litis decisio reponatur in arbitrio & sententia Judicis, si, inquam, hoc solum a me postulatur, sic quidem respondeo, ex humanitate Reverendissimæ D. V. profectum esse, ut rem meo arbitrio committeret, cujus rei si pœniteat, vel si honori suo magis conducere videatur, ut a me ad Judicem causa transferatur, me

eo-

eodem humanitatis ſenſu ductum omnia eidem remittere, velle autem, Reverendiſſima D. V. ita libera ſit in omnibus, de quibus pro adverſario ego jam rogavi, vel eadem ſua ſponte promiſit, ac ſi nunquam quicquam inter nos de ea re eſſet actum, nihil promiſſum, nihil dictum, in me nullum erit inpedimentum. Hoc ſolum viciſſim poſtulo, quod erit æquiſſimum, & ad utriuſque noſtrum honorem vehementer pertinet, ut ſi non adjumento fuerunt preces meæ cauſæ illius, pro quo rogavi, ut ne ſint detrimento, quemadmodum maxime eſſent, niſi res in ſtatu integro eſſe permittatur, quo erat, antequam ego de compoſitione cum Reverendiſſima D. V. loquerer. Tum autem memini adverſarium a Judice poſtulaſſe, quod mihi ipſe dicebat, non potuiſſe illi negari, ut contra nova quædam objecta tempus concederetur, ad introducendum eas probationes, quas in patria habebat, quibus facile poſſet, quæ opponebantur, refellere. Hoc autem cum inſtare apud Judicem cœpiſſet, tum ego omittere omnem illam inſtantiam feci, adductus ſpe benignitatis Reverendiſſimæ D. V. erga me, quæ meo judicio totam cauſam permittebat. Quare juſſi tum illum omnem curam ſuam abjicere, neque probationes alias quærere, me finem huic liti impoſiturum. Sic enim ut fateri poſſem, humanitas Reverendiſſimæ D. V. fecit, quæ mihi ſine ulla exceptione judicium totius rei permiſerat. Quare ſi nunc meæ tum preces, non modo nihil commodi afferrent, ſed hoc mximum damnum inferrent, ut tempus introducendi, quas tum volebat, & neceſſariæ ſunt probationes, illi auferretur, videri quidem poſſem ipſe nunquam hoc animo fuiſſe, ut illum liberarem a lite, ſed potius ſpecie adjuvandi eum, conſentire cum Reverendiſſima Dominatione Veſtra, ut ſubito, cum nihil minus expectaret, opprimeretur. Quod quam parum convenit vel in meum honorem, vel in honorem Reverendiſſimæ D. V. apertius eſt, quam ut decla-

clarare debeam. Quare hoc ſpatio dato, quod multo minus nunc quam ante negari illi poteſt, de reliquo, in quo poſſum gratificari Reverendiſſimæ D. V. in remittendo quicquid mihi eſt pollicita, facillime patior; quanquam prorſus non poſſum ſine aliquo dolore intelligere apud benignam naturam Reverendiſſimæ D. V. tantum proficere familiaris noſtri æmulos, ut credat illum aliquid poſtea dicturum, quod eſſet contra honorem Reverendiſſimæ D. V., cum nullum prorſus ſit hujus rei teſtimonium, & quicquid in hoc genere fingi poteſt, ſi reus paratus ſit in omnibus ſe ſubjicere mandato Reverendiſsimæ D. V., proſternere ſe ad pedes ejuſdem, veniam petere, ſi minus dignum verbum in calore defenſionis cauſæ ſuæ eo imprudente excidiſſet, neſcio, cur magis ob id ejus cauſa ad tribunal revocari debet poſt permiſſum arbitrium alteri, quam poſt aliquam caſtigationem, eo veniam petente, a benignitate Reverendiſſimæ D. V. abſolvi. Calumniatorum vero & æmulorum ejus, non fautorum honoris Reverendiſsimæ D. V. eſſe hæc verba mihi perſuadent, quæ præterea objiciunt; dicunt enim illum de ſumma pecuniæ, quæ aſsignata fuit compoſitione hujus negotii centum aureos detraxiſſe, cum enim ſumma eſſet tercentum aurei, illum nominare tantum ducentos, qua in re craſſa eorum calumnia manifeſte deprehenditur. Quis enim melius novit ſummam, quam ego, qui taxavi, novit mecum Reverendus Epiſcopus Aquen. quem rogavi, ut ſcriptum compoſitionis conficeret, novit Reverendus Dominus Durantes Epiſcopus Algeren., particularius vero D. Aquen., cum multa cum illo de æquitate rei diſputarem, & hoc dicerem, me, ſi eſſem judex in cauſa, non audere unquam condemnare D. Bartholomæum pro pecunia apud eum depoſita, quam depoſitore exigente ad eum miſiſſet, atque ita ad ſecuritatem proſpexiſſet, ac ſi pecunia fuiſſet ſua, ſi caſu tali, quem

nemo potuit antevidere, qualis fuit direptio Urbis, illa pecunia fuisset amissa, ut eum in hac summa condemnarem, nunquam quidem ipse ausus fuissem, hominem nunquam ante suspectum de tali fraude, & in multo majori summa, & ante, & post, cum eodem depositore inventum integerrimum, & a reliquis omnibus sic habitum. Hoc tamen jure amicitiæ extra judicium potuisse amice invitari, ut partem damni cum amico pro sua facultate solveret, & sic ego condemnavi illum, ut centum aureos solveret in resarcitionem damni, quibus ego ex meis totidem adjunxi. Hæc est sincera veritas, quam Reverendus Vorstius ex me audivit, quem scio non aliter dicturum, quia de ejus conscientia optime sentio, ex quo Reverendissima D. V. potest conjicere, qualis fides in reliquis habenda sit istis calumniatoribus.

Illud vero valde dolui, in iisdem litteris, quod scio ex iisdem calumniatoribus profectum esse, Reverendiss. D. V. potuisse in eam suscipionem de me venire, quasi plus tribuerem utilitati familiaris mei, quam honori Reverendissimæ D. V. & hoc præterea D. Bartholomæum ad meam familiaritatem venisse, ut causam injustam contra honorem D. V. Reverendissimæ melius tueri posset sub umbra meæ familiaritatis. Qua in re hoc primum respondeo (quod quia verum est, nunquam verebor, ne judicetur contra honorem meum, si dicam) sic vero affirmo de illo, cum ad meam familiaritatem veniret, non venisse, quod ille hoc postularet, sed quod ego hoc ab eo & postularem & rogarem, quod feci adductus illorum testimoniis de ejus integritate, & sufficientia, qui eum optime noverant, optime de eo judicare poterant, & mihi fuerunt amicissimi. Hoc autem iterum dico, postquam eum recepi, nunquam me pœnituisse, illis, qui authores fuerunt, ut mihi operam præstaret, sæpe gratias egisse, talem invenisse, qualem illi mihi descripserant, & talem, qualem Reverendissima D. V. judicavit, quando tantam pecuniæ sum-

ſummam illi crediderat, & qualem nunc inveniret, ſi æmulis ejus aures obſtruere vellet, integerrimum, obſervantiſsimum etiam honoris Reverendiſſimæ D. V. ſi illi ſe reconciliari pateretur. Quandoquidem ego contra omnes illos calumniatores dicere non verebor, magis eſſet in honorem ſuum, quam iterum cauſam ad judicia trahere, propter ejuſmodi æmulorum calumnias, quæ non ſunt tam calumniæ in eum, quam in me, ſi talem tueri deberem, qualem illi deſcribunt, & ob talem cauſam, qualem illi fingunt, ut defendant improbitatem ſuam, contra honorem Reverendiſſimæ D. V., in cujus honorem ſponte, & ſcientem me nihil deliquiſſe ſcio, etſi ignorans aliquid feci, de eo edoctus, corrigere ſemper ero paratus. Quare quod ſcribit in iiſdem litteris, ſi ego plus tribuerem meo familiari, quam honori Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ, ſe coactum fore &c., ut ſupra ſcripſi, non potui ſine dolore audire, præſertim, quod erant ſcripta, non ad me, ſed ad Reverendiſſimum illum Dominum, cujus judicium ſic æſtimo, ut nullius magis, ut ex talibus litteris ſcriptis a tali Viro haberet occaſionem ita de me exiſtimandi, me tam rudem omnis officii, & humanitatis eſſe, ut neſciam quid interſit inter hominem privatum, & ſumma dignitate præditum, inter domeſticum meum familiarem, & majorem meum honorandum. Ego certe ex qua occaſione Reverendiſſima Dominatio Veſtra deberet ita de me judicare, prorſus neſcio, hoc ſcio, ſi illud cogitavi, ut liberarem meum familiarem a moleſtia, illud certe non minus cogitavi eadem via me maxime ſervire honori Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ, etſi aliter judicaſſem, nunquam verbum de ea re loquutus fuiſſem, quando hoc ſciebam, ſi talis Vir in ſumma dignitate poſitus vinceret privatum in judicio ex ea re nunqam honorem poſſe conſequi, etiamſi juſtam habeat cauſam, cum illa ſententia nimis ſit vera, de omnibus, qui honore excellunt & potentia,

etiamsi patiantur injuriam, tamen, quia plus possunt, quando cum privatis contendunt, videntur inferre. Quare in hac parte scio me non errasse, ac ne alia quidem quod attinet ad hanc causam, de qua nunquam egi cum Reverendissima D. V. nisi precibus, & talibus, qualibus nunquam apud quemquam Principum ulla in causa me fuisse usum scio, & cum Reverendissima Dominatione Vestra hoc mihi tandem concessisset, ut meo arbitrio res tota committeretur, feci ut Reverendus Dominus Durantes Episcopus Algeren., quem minus satisfactum fuisse ex duratione litis existimabat Reverendissima Dominatio Vestra, ad eandem veniret, ut gratias ageret, quod meo arbitrio statuisset eam finire; quid aliud feci, ex quo oriri posset hæc suspicio, mihi in mentem venire non potest. Hoc scio nihil longius a mea cogitatione abfuisse, quam ut tales literas nunc legerem de hac causa scriptas, de qua potius expectavi, ut occasionem haberem per literas gratias agendi, quemadmodum verbis egi cum scripta omnia perfecta, & signata esse audirem, quæ ea continerent, quæ verbis cum Reverendissima Dominatione Vestra conclusi, quæ etiam hoc tempore expectavi, cogitavique simul & gratias de hac re agere, & per literas gratulari Reverendissimæ Domin. Vestræ de sua honorifica Legatione, id quod nunc facio, atque opto, ut illi felicissime cedat, licet illa pars gratiarum agendi per litteras sit sublata Sic vero concludo: Si Reverendissima D. V. hoc judicat, modo sim contentus, ut tota causa arbitrio Judicis permittatur, in reliquis, id est in summa, quam Reverendissima Dominatio Vestra pro certo habet judicem eum condemnaturum, quantacumque sit, moderationem ejus in mea potestate futuram, & sic mihi satisfacturum, hoc concludens dico, modo detrimentum non afferant causæ meæ preces in eo quod supra scripsi, me maxime contentum qualecumque ante promissum fuit, ut tota causa Judicis arbitrio per-

permittatur, etiam, quod ad me attinet, ſic non refugere illum Judicem, de quo Reverendiſſima Dominatio Veſtra confidere videtur, qui eſt Epiſcopus Aquen. Reverendus Vorſtius, ut etiam promittam, quantum authoritate apud reum valeam, cum eo acturum, ut hujus Judicis ſententiæ, qualiſcunque ſit, ſe facilem ad obediendum præbeat, neque ſuperiores hac de cauſa unquam appellet, & hoc dico, quia ſic de illo Viro ſum perſuaſus, eum doctum, probum, exercitatum in jure, & qui Dei, non hominis faciem, aut perſonam in judicando reſpiciat. Quod vero ad condemnationem attinet, in qua Reverendiſſima Dominatio Veſtra ſignificat ſe mihi gratificaturum, primum incertum eſt poſt introductas, quibus fidit reus probationes, an omnino condemnare velit, an prorſus liberare, deinde ſi condemnaret in aliqua ſumma, quantacumque ea eſſet, in qua me moderatorem Reverendiſſima Dominatio Veſtra eſt contenta habere, hoc nunc dico, me nunquam tale onus in me ſuſcepturum, neque vero hoc unquam fuiſſe, quod impetrare cupiebam, pro reo, quando tantis precibus pro eo ſupplicabam; ſed hoc ante omnia, ut hominem caſu tantum, quem nemo effugere poteſt, non voluntate in offenſionem Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ incidentem in gratiam dignaretur accipere, quod quidem digniſſimum mihi videbatur humanitate Reverendiſſimæ D. V. concedere, & me poſtulare, ut eundem animum erga meos gereret, quem mihi perſuadebam erga me gerere, & mihi conſcius eſſem erga Reverendiſſimam D. V. me habere, ideſt plenum amoris & officii. Quod ſi non impetro, ego quidem nihil impetro, etiamſi totam ſummam mihi remitteret, quod ſine hoc munere reconciliationis nihil prorſus ſum, neque unquam ero accepturus. Utcunque vero Reverendiſſima D. V. de hoc decreverit, hoc ab eadem ſummis precibus poſtulo, ne minus ſibi perſuadeat de mea obſervantia erga ſe, quoniam ſi nihil in tali cauſa

causa impetro, tanto magis conabor omni meo obsequio & opera illam mihi obligare, & mihi demereri, quantum mihi casus hic adversus abstulit, quominus eidem, uti volebam, possem esse obligatus. Et Reverendissimæ D. V. me plurimum etiam ex animo commendo, quæ felix in Domino valeat. Datum Carpentoracti xviij. Julii MDXXXIX.

LXXVII.

Regin. Card. Polus Rever. Vorstio, Episcopo Aquensi.

PRoximis diebus redditæ mihi fuerunt litteræ Dominationis Vestræ, quibus mihi significabat Reverendissimum Cardinalem Verulanum valde cupere ac instare, ut in ea causa, quam cum Domino Bartholomæo Stella habuit, sententiam proferret; quamvis Reverendissima ejus Dominatio nullo pacto velit ab illis conditionibus discedere, quibus cum eodem D. Bartholomæo ante meum ab Urbe discessum convenit, cum hoc honoris tantummodo gratia fieri cupiat. Quod sane mihi novum accidit, quippe qui rem jam ex toto confectam existimabam, nec aliud in ea intelligere expectabam, quam Dominationem Ejus Reverendissimam illam pecuniam recipere, quam hoc nomine Romæ reliqueram. Quod cum, ut intelligo, nondum fecerit, quod D. Vestræ nunc respondeam, nihil aliud habeo, nisi me adhuc valde cupere ac expectare, ut D. ejus Reverendissima reipsa præstet ac perficiat, quod tanta humanitate ac benignitate mihi antea est pollicita. Valeat D. V. meque, ut facit, amet, seque vicissim a me amari sibi persuadeat. Datum Carpentoracti xviij. Julii MDXXXIX.

Scribo brevius Reverendæ Dom. V., quod de hac eadem re fusius scripsi ad Reverendissimum D. Cardina-

dinalem Verulanum; hæc certe res nova mihi, & inexpectata accidit, & nisi totius rei gestæ & pactorum inter nos testem haberem Reverendam Dom. V., quæ optime potest recordari, quæ illi dixerim, & quæ rursus ab ea mihi dicta sunt de hac causa, pluribus cum ea agerem, atque illi familiarem meum, & causam ipsam commendarem. Sed fretus æquitate rei, & integritate & prudentia Reverendæ Dom. V. plura in præsentia non scribo, & eo magis, quod quemadmodum dixi, plenius omnia Reverendissimo D. Cardinali S. Angeli explicavi. Et D. V. me plurimum commendo, quæ felix in Domino valeat. Datum Carpentoracti die &c.

LXXVIII.

Regin. Card. Polus
Gasp. Card. Contareno.

ACcepi tuas litteras tertio Junii datas aspersas pietatis tuæ, prudentiæ & suavitatis notis, quarum ipse virtutum possessionem tenes, quæ me mirifice delectarunt, nec minus Reverendissimum Sadoletum, cui eas legendas dedi, qui in dies magis magisque gustat tuam in omni genere humanitatem, præter cæteras, quas valde in te admiratur, virtutes, maximeque quod egisti de mandatis ejus cum Pontifice, & cum Reverendissimo Theatino gratum habuit. Sed hæc melius ex ejus litteris, nam scripturum non dubito. Ego utriusque summa humanitate, tui absentis, hujus præsentis, non solum recreor, sed sustentor, ille gratiam referet, qui solus potest, quod talibus animis sit dignum referre. Sed redeo ad tuas litteras, in quibus exponis, quæ cum Sanctissimo Domino Nostro egisti de mea in Galliam profectione, quam Cæsar videtur urgere, qua in re cum multa tu prudenter disputes, & ea, quæ cum Pontifice con-

contulisti, ad extremum concludis, etiamsi Pontifex rem totam meo arbitrio permittat, saltem nullam necessitatem imponat prius discedendi, quam aliquid certius de ejus voluntate ex Reverendissimi & Illustrissimi Farnesii litteris intelligam, tamen tibi videri non esse differendam profectionem, afferſque rationem de voluntate Cæsaris. Quare ita judices, optimum factum esse, ut illi primo quoque tempore satisfaciam, nec causam te videre scribis, cur opus sit litteras Reverendissimi Farnesii hac de causa expectare. Hæc tu, quæ scio te scripsisse, cum nihil dubitares de animo Regis Christianissimi, hoc potius tibi persuaderes, quocumque tempore venirem, haud ingratum illi meum adventum fore. At certe litteræ Reverendi Nuntii apud Christianissimum aliter ostendunt, ex quibus caput illud, quod ad hanc rem pertinet, transcriptum istuc misi, quod non potuisti tum videre, quando illas litteras scripsisti, quia tam brevi tempore litteræ non potuerunt afferri. Sed paulo post spero fuisse redditas. Scripsi vero ob hanc causam, & caput illud transcribi feci, quod Nuncius ex Hispania suis etiam litteris meam profectionem non minus urgebat. Vides vero hac in causa quanti momenti sit Regis Christianissimi animum prius explorare, imo in hoc esse omnia. Neque enim eo repugnante, aut non grato animo meum adventum excipiente, ut eo proficiscar, unquam scio suadebis. Quid ergo hic faciendum, ut omnibus satisfiat? Hoc solum quod est facillimum, si Cæsarem sententiam suam clarius explicari patiantur, ut mecum afferre possem certum aliquod testimonium ejus, quod verbis ostendunt. Hujus scilicet, primum Cæsarem contentum esse, ut amborum nomine mittantur, qui Anglo protestentur &c. Deinde hoc clare explicet, quod in omni protestatione intelligitur, Anglo non obediente, se contentum una cum Rege Christianissimo exequi, quæ ad obedientiam Principum Catholicorum pertinent &c.

hoc

hoc ſolum ſi exprimatur, vel teſtimonio litterarum, quas Majeſtas Cæſarea poteſt ad Pontificem ſcribere, quæ ſi ad me poſtea deferantur, cum litteris ejus Sanctitatis, quæ me proficiſci jubeant, jam vides quanto majore cum authoritate omnia fient, & honore Sedis Apoſtolicæ. Et quid minus a Cæſare poteſt poſtulari, præſertim cum verbis hoc jam promittat facturum? At verbis nonne ſatis erit jam teſtari, quod reipſa poſtea per ſuum Oratorem apud Chriſtianiſſimum eſt confirmaturus? Recte quidem, ſi Regi Chriſtianiſſimo ita ſatiſfieret. At vero cum verbis hoc idem de voluntate Cæſaris ad eum deferebatur, referente Abbate S. Salvatoris, tamen cum de eadem re, & de meo adventu poſtea loqueretur Nuncius cum Magno Conteſtabile, hoc tum in meo adventu exigebat, ut aliquid certius afferrem de voluntate Cæſaris; ſignificans interim aliter haud gratum fore meum adventum, & cum hoc gratiſſimum: quod quo pacto fieret, niſi aut Cæſar per litteras hoc ſignificaret, aut certum hominem ex ſuis una mecum, qui hoc teſtaretur, ad Regem mitteret, ipſe quidem nihil video. Quod enim jam proponitur, de quo ipſe agam cum Rege Chriſtianiſſimo, ut cauſam hanc amplexari velit, jam per Abbatem eſt actum, & a Rege ipſo toties reſponſum: Si Cæſar velit in eam incumbere, ſe nunquam defuturum. Qualia ergo erunt mea mandata ad Regem, ſi nihil aliud afferam, qui etiam toties eſt teſtatus ſe paratum eſſe mittere? qui proteſtetur &c. Si Cæſar hoc idem velle ſe oſtendat, omnia ergo in eo ſunt, ut Majeſtas Cæſarea ſe aperte intelligi patiatur, Quod ut eum non ſine magna cauſa cautius agere & occultius non dubito, tamen ſi aliquid in honorem Sedis Apoſtolicæ fiat, quod cauſæ prodeſſe poſsit, ut ſe explicet prorſus neceſſe eſt. At vero curabit, ut Orator apud Regem Chriſtianiſſimum de his certior fiat, & mandata certa habeat, qui in meo adventu mecum aderit

apud Regem. Atque hoc quidem tum expectabam ut fieret, cum Abbas apud Regem hac de causa adesset, promissum enim fuit in meo discessu ab aula, cum nihil aliud de me expectaretur, quam ut recta me ad Regem Christianissimum conferrem, in meo istuc adventu me repertuum Oratorem Cæsaris, qui de omnibus mandata haberet; postea vero cum ipse consilium mutarem, & Abbatem mitterem, cum ille cum Cæsaris Oratore de negotio ageret, ille ne litteras quidem de negotio habuisse respondit. At jam si ipse proficisceretur, non defuturi sunt huic negocio, quin de omnibus mandata certa ad Oratorem sunt missuri; neque de hoc ego diffido, sed omnia, ut supra scripsi, in eo sunt, ut exploretur prius voluntas Regis Christianissimi, & quam ob causam, nihil opus est plura scribere. Vides vero quam parva res sit, quæ addita efficere potest, ut omnia recte & ordine agantur, & cum honore maximo Sedis Apostolicæ, & causæ maximo adjumento, si Cæsar tamen patiatur, ut in mea profectione certum testimonium voluntatis suæ afferri possit, quod paulo post necessario est facturus. Si facturus est illud, in quo scio eum non defuturum, quia promittit, ut protestandi causa mittat, tum enim ut voluntatem suam explicet est necesse, quam si tempore non minus opportuno in mea profectione paulo ante declaret, jam & causæ, & omnibus qui illi favent, erit satisfactum. Utcunque vero erit, ut tandem ipse concludam, quod in meo animo est confirmatum, quodque nunquam celabo: Si me Sanctissimus Dominus Noster ire jubeat, quo penetrare possum, pergere nunquam cunctabor. Quia vero magna ex parte rem meo arbitrio permisit, ad meum officium pertinere judicavi, quid de tota re sentiam exponere, & rationes explicare, quod in his litteris feci, & in superioribus, quas cum ad Reverendissimum Farnesium, tum ad Reverendissimam D. V. scripsi, ut ad ejus Sanctitatem referretis. Quidquid vero

vero sit, quod me ad cunctandum persuadet, id totum volo ejus imperio subjiciatur. Hoc solum si habeo, nulla in re parendi erit mora. Tantum reliquum erit, ut arctius intra mea præsidia me conferam, eorum quos ex filiis Dei in diversis locis, dum Dei causam ago, mihi comparavi, qui manus puras ad Deum pro me levent, quorum cùm Deus caput Ejus Sanctitatem constituerit, qui se libenter in eodem munere mihi in omnibus necessitatibus adfuturum promiserit, nunquam mihi crede, dux aliquis militum virtute confisus, magis speravit se ulla ex angustia potuisse liberari, quam ego miles tali duce, & his commilitonibus fretus, confido me omnes difficultates posse superare, cum tamen superare difficultates tali in causa, potius appellandum sit in mediis difficultatibus occumbere. O si contingeret, modo absit temeritas, de qua nunquam erit, quod timeam apud æquos Judices, ne me projecisse videar, quandiu cognoscatur, cujus imperio adductus me periculis expono, apud illum certe judicem, quem solum timeo, scio vel hoc solo me iri absolutum. Vale Reverendissime Domine, & te ad illos adjunge, qui præsidiis orationum mihi sunt adfuturi. Datum Carpentoracti die xiij. Junii MDXXXIX.

LXXIX.

Il medesimo al medesimo.

L'Ultime mie scritte a V. S. Riverendissima furono di xvij. e di xviij. del passato, e prima alli xiiij. scrissi lungamente a quella tutto il discorso con il senso dell'animo mio in questo nostro negozio. Spero e desidero, che quella lettera sia ben capitata, e sto con desiderio aspettando la risposta per la quale attendo consiglio da V. S. Riverendissima, siccome son certo non mi mancherà del suo ajuto, e favore ove sarà di biso-

gno . Certo io sono forte perplesso , e più desidero di quiete , che altro , e se per le cose pubbliche io non posso far giovamento alcuno con le azzioni , almeno desidero poter haver ozio di pregar Iddio per il bisogno di quelle , siccome per la mia di xiiij. scrissi a V. S. Riverendissima . Penso che a quest'hora N. S. havrà deliberato quello piacerà a S. S. ch'io faccia essendo hormai xv. giorni al conto ch'io faccio , che Monsig. Riverendissimo , e Illustrissimo Farnese , e giunto in Roma , il qual mi disse al passar suo di qui quando tornò di Spagna , che gionto che fosse a Roma , m'avvisaria la volontà di N. S. e d'hora in hora aspetto lettere da Roma , delle quali già siamo parecchi giorni sono stato senza , imperocchè le ultime , che abbiamo , e di V. S. Riverendissima , e d'altri da Roma sono delli due del passato , e quello che mi fa più maravigliar è che intendo da Avignone , che sono in questo tempo passati tre o quattro Corrieri per Spagna , i quali non hanno portato lettere alcune , tutto penso sia fatto a benissimo fine , e per il meglio . Ma pure se fosse possibile vorrei , come ho detto di sopra , esser più risoluto dell'esser mio di quello che sono . Questa suspensione d'animo fra le altre cose mi fa anche meno goder questa quiete , e questa dolcissima compagnia del Riverendissimo Sadoleto , l'amor , e bontà del quale certo è inestimabile , e merita ogni bene . Certo s'io fossi a Roma , ricorderei in buon proposito a N. S. che volesse in alcuna cosa honorevole ricordarsi di S. Signoria Riverendissima , ch'essendo quella la persona virtuosa , e da bene , che è , e dal Mondo molto ben conosciuta , non saria se non cosa lodevole a N. S. che fra l'altre sue Creature honorate da S. S. si ricordasse anche di questa , che non è l'ultima fra tante belle piante fatte da S. S. , alla quale non mancherà modo quando lo vorrà fare adoperandolo o in Germania , o in Italia , o dove meglio gli piacerà . Questo

sto è mio pensiero, nè pensi V. S. Riverendissima, che di ciò n'habbia pur detto una parola col prefato Riverendissimo Sadoleto, ma parendomi, che questo fosse benissimo fatto, non ho voluto tacerlo con V. S. Riverendissima, con la quale uso ogni libertà, anzi la prego, che non potendo io far questo officio con S. S. che quello voglia farlo lei, pigliando quella buona occasione di ciò che li parerà migliore, e così ad un tempo medesimo crescerà onor all'amico suo, e farà beneficio alla causa ove fosse adoperato. Di nuovo qua non s'intende cosa alcuna. Siamo in una mirabile solitudine, e se non ci vengono avvisi da Roma non intendemo cosa alcuna, ed hora mai non dovriano tardar molte hore, non che giorni. Noi stiamo pur alli nostri Frati, e tutti per la Dio grazia sani, e tutti studiamo o poco, o assai, ma sopra tutti il nostro Messer Alvise è quello, che fa il debito, e molto si raccomanda a V. S. Riverendissima, e così il Sig. Abbate, che studia anch'esso in nostra compagnia. Prego V. S. Riverendissima, che saluti in mio nome il P. Maestro, Messer Galeazzo, e Messer Danesio, e tutti, e a lei humilmente per infinite volte mi raccomando, che Nostro Signore Dio sempre in sua grazia la conservi. Da Carpentras alli vij. d'Agosto MDXXXIX.

LXXX.

Regin. Card. Polus Gaspari Cardinali Contareno.

Etsi maxime cupio primum Sanctissimi Domini Nostri pedes coram osculari, deinde ad tuam omnium mihi jucundissimam consuetudinem redire; tamen ut corpus ægrum sæpe animi desideria ne impleri queant, impedit; sic etiam animus æger nonnunquam sua ipsius optata impedit; quod quidem ego ita hoc tempore experior,

perior, ut nunquam magis, qui cum illa exopto, quæ modo dixi, alio tamen me trahit animi ægritudo, ut solitudinem potius quæram, & separationem etiam ab his, quibuscum versari, & quibuscum adesse, (cum non ita animus languebat) fuerat jucundissimum. Neque vero nunc primum hoc in me experior, sed ut tute alias satis ex me intelligere potuisti, quoties me nimius pungebat dolor, huc semper spectabam, ut celebritatem fugerem, & me aliquo abderem, ubi nec negotium, nec homo quisquam me avocare posset, quin totus in doloris remedium incumberem. Quod si antea hoc requirebam, cum minus animo laborarem, & quoties facere licuit, præsens semper in eo remedium inveni; quanto nunc studio eodem recurrere coner, quando simul cum malis dolor ita crevit, ut non jam pungere, sed obruere animum videatur, facilis est tibi existimare, quam mihi scribere. Neque tamen cum hæc de dolore meo scribo, ita te putare velim, quasi tandem omnem spem abjecerim de causa, quam in manibus habeo, idcirco me in dolorem totum esse effusum; nec enim desperare possum quandiu de illius potentia cogito, ad quem magis, quam ad me hæc causa pertinet, nunquam vero, ut spero, capiet me ejus oblivio; etsi enim Patriam meam agnosco esse Provinciam illam, quæ omni genere calamitatis premitur, cujus vicem tam vehementer doleo, tamen non minus intelligo eandem esse portionem Regni ejus, cui data est summa omnis carnis potestas. Cum autem ad propinquos, quos amicos illic habeo, & cives mentem cogitationemque converto, eosdem esse illius servos scio adjectos ad ejus hæreditatem cum reliquis gentibus, quibus nunc laborantibus, si non tam cito succurratur, hoc neque accidit propter tenuitatem potentiæ illius, cui data est omnis potestas in Cælo & in terra, cujus opus est, ut nunquam, & quæcunque illa continent, neque quod illorum bonum nolit, qui

qui pro iisdem mortem subiit; sed quod solus ipse, quod illis maxime conducat, novit, quod nos ignoramus; solus medendi rationem, tempusque illud beneplacitum ante Deum Patrem, & opportunum ad depellenda mala cognoscit. Quod cum nobis prorsus sit ignotum, oportet nos maxime cum patientia id expectare de nulla re desperantes, sed hoc nobis persuadentes, cum tempus illud aderit, nullius amorem illius benignitatem in succurrendo prævenire posse, qui nunquam suorum obliviscitur, nulliusque potentiam illius voluntati obsistere posse. Hæc quidem cum mihi assidue ante oculos propono, sine spe esse non possum, nec tamen sine dolore, nec enim id natura patitur, nec exemplar ostendit incorruptæ naturæ in Domino, & Magistro nostro, qui etiam impendentis calamitatis causa Civitatis suæ muros aspiciens, flevit. Sed hoc tamen fundamentum consolationis mecum circumfero, quod positum est in illius providentia & amore erga suos, super quod stans ipse, eo etiam minus perturbor, quo magis per illius gratiam nihil mihi conscius sum, causam unquam dedisse me, cur in has calamitates hoc ejus Regnum inciderit, sed his, qui eas intulerunt, semper, quantum potui, restitisse, atque ubi occasionis vel minima spes se ostenderet meam operam juvare posse, nunquam defuisse. Hæc fateor, magna esse consolationis semina, & magna doloris remedia sic tamen si possint adolescere, quod ut fiat, temporis tranquillitas & loci solitudo maxime præstant; quod si ad solita negotia rediream eorum, qui hujusmodi doloris malum non sentiunt, vereor illic spinas, quibus hæc semina prorsus suffocentur, quod si non prorsus suffocentur, at certe ne vis eorum retundatur, ut minus valeat ad remedium doloris, quia expertus sum, non possum non timere. Sed quorsum tandem hæc oratio longior quam putaram? Ad te quidem tendit, tanquam ad eum, quem non dubito dolere

me-

mecum, quem justi mei doloris æstimatorem justissimum habeo, & mei amantissimum ut eam ad pedes Sanctissimi Domini Nostri una cum meis precibus prosternas, ne me hoc tempore ad celebritatem istam Urbis vocet, quam si, ut nosti, quantum potui tum declinabam, cum minus animo laborarem, ut minus aptam sanando dolori, quo pacto nunc tandem ferre possem? Accedit præterea causæ ratio, quæ mihi est commendata, si modo ulla nunc causa sit, & eorum, si qui sunt, qui non omnem spem de ea abjecerunt, quam non expediret, ut ipse hoc tempore Romæ conspicerer, quo nihil proficerem, nisi ut meo reditu confirmarem, & palam facerem, non esse quod quicquam de illa amplius speret. Sed utcunque sit de causa, quam nescio, an extincta sit, cum nihil æque opponatur consolationi animi mei hoc tempore, quam si in istam celebritatem post has jactationes venirem: hoc, quæso, pro me procures apud Sanctissimum Dominum Nostrum, ne mihi necesse sit isthuc accedere, ubi nemini prosum, mihi, ut nunc rerum mearum status est, maxime obsum. Non agam pluribus, hæc enim nimis multa sunt, in quibus sentio me longius quam par est oratione provehi. Quidni opus est tot verbis, præsertim apud te, quem non minus meis commodis favere scio, quam me ipsum mihi, & cum non ab alio hoc sit impetrandum, quod ego pro doloris remedio maxime flagito, quam ab eo, cui secundum Deum serviens, me in hos dolores immisi, an vereri debeo, ne multis ei persuadendum sit, ut tantulum doloris solatium ex secessu, & vacatione ab urbanis rebus mihi concedat, ne indignum me judicet post nonnullos ad ejus imperium exhaustos labores, qui brevissimi temporis quietem impetrem? Et quis me magis accuset hujus diffidentiæ, quam tu qui mihi auctor extitisti, ut me & omnia mea ac fortunam domus meæ illi non tam ut publicæ personæ, & nostro capiti, sed ut pri-

privatæ, propter animi generositatem & virtutem sine ulla exceptione committerem, cujus rei me nunquam pœnituit, neque, ut spero, unquam pœnitebit. Itaque erraſſe videri poſſum, qui de hujuſmodi re quaſi diffidenter ſcripſerim; ſed certe nullo modo diffidenter, verum propterea ita ſcripſi, quia litteras Ejus Sanctitatis verbis a Reverendiſsimo Farneſio in hanc ſententiam ſcriptas acceperam, quibus me Romam revocat, etſi non valde tempus diſceſſus urget. Ob id paulo fui vehementior in animo meo & deſiderio declarando, ſed omnia tuæ prudentiæ & in me amori committo; neque vero hic quicquam alienum a dignitate aut extraordinarium peto. Quod ſi hoc concedi ſolet, tum in noſtro Ordine, tum in aliis, ut, qui propinquos, aut caros amiſerint, qui uxorem, qui parentes, qui liberos aliquot dies ad lugendum ſibi ſumant, quibus vacant a publicis muneribus, idque in ſingulis qui faciunt, rite & ordine facere videntur; ego qui non ſingulos, ſed prope univerſos uno momento amiſerim, partim nece, partim captivitate, &, quod omnem cauſam doloris ſuperat, patriæ meæ interitum pene viderim (nec enim aliter dicere poſſum de ea, ex qua fides & religio ſunt expulſæ, quæ florere in ipſa maxime ſolebant, ſine ſpe quantum ego quidem de humano auxilio cogitare poſſum, fore ut illæ nunquam revocentur) an aliquid indecore facere videor, ſi, ut hæc lugeam, mihi licere poſtulem ab Urbe abeſſe, & vacationem ab urbanis rebus petam? Immo indecore facere viderer, niſi hæc flagitarem; qui ſi in tantis calamitatibus, & meorum & patriæ vacationem per omnem vitam peterem, ut orationi & lacrymis totus incumberem, meo fortaſſe & decori & officio maxime ſervirem. Sed utcumque de reliqua vita Deo placuerit ſtatuere, cui illam addixi in obedientiam ejus Vicarii; tamen in tam recentibus & gravibus dolorum ſtimulis, quin aliquam quietem & ceſſationem præſertim

a rebus urbanis, & absentiam ab ista celebritate flagitem, facere non possum, quod hæc maxime ad alleviationem doloris pertinere scio, quia sum expertus. Atqui iterum videor longius provehi oratione, quam sit necesse, cum ad eum scribam, cui scio meam salutem non minus curæ esse, quam mihi, nec minus ab eo meum casum deplorari, quam a me ipso. Quod si ad illum scriberem, a quo sunt impetranda, minus etiam necesse video, cujus benignitatem hac in causa scio esse talem, ut vel gemitus soli, si absque verbis intelligi possent, satis essent ad hæc impetranda, ne dum tam longa oratio meos gemitus referens. Quare finem ad te scribendi facio, quem Deus Pater cum Filio suo, & Sancto Paracleto quamdiutissime ad serviendum honori suo conservet. Dat. Carpentor. die xv. Aug. MDXXXIX.

Post scripta. Scriptis alteris literis, quibus has adjungo, tuas accepi triduo serius quam eas Reverendissimi Farnesii. De mea hic commoratione quod quæris quid sentiam, satis superque ex alteris literis, & si quid desideretur ex tabellario charissimo nostro Abbate cognosces, quem hac de causa isthuc ad S. D. N. pedes mitto, ut procuret, ne mihi sit necesse hoc tempore Romam redire, quo me revocat in suis Reverendissimus Farnesius. De morte Reverendissimi Campegii valde doleo. Christus ejus animam recipiat, idque precabor. Te suffectum esse in locum ejus Protectorem Monachorum Ordinis S. Benedicti Congreg. S. Justinæ multis de causis libenter audivi. De Episcopatu Sarisberiensi quod scribis, doleo equidem non prævaluisse sententiam ne in ullius personam ad meam instantiam conferretur, quanquam non possum non agnoscere S. D. N. in me studium, & promptam ex tali occasione voluntatem de me benemerendi. Sed ita sentio, si res Ecclesiæ in Anglia restaurentur, non posse mihi deesse illic Episcopatus, si modo illis ipse deesse nolim. Sin eodem statu maneant,

neant, quid mihi conferet plus Episcopatus Sarisberiensis, plusquam Antiochenus, aut Alexandrinus, si eodem modo nominarer, non video, adeo ut si commodum spectetur, hic nihil prorsus accedit, sin honor, vides qualem. Imo hoc sentio, si tantum ab adversariis intelligatur, Pontificem in eo Episcopatu me nominasse, materiam se putabunt satis uberem nactos ad calumniam, & ad risum: novi ingenium, & malitiam, & quid eos maxime tali in re movebit. Quare ne divulgetur exopto id quod scribis, quantum fieri potest, te curasse. In summa mea sententia talis est, ut, quod ad me attinet, omnino nolim, ut in tam candido pectore os istud sine succo diutius teneas; quod si integrum, & succulentum esset, mea causa nunquam vellem teneres, nec enim puto te ignorare sententiam meam de hujusmodi re. Dico vero, neque bonis in Anglia hoc satisfacturum, qui sciunt, & quod amiserim, & quod reliquerim, omnia autem istius Sedis Apostolicæ causa, si tandem intellexerint sic mihi prospectum esse (quanquam scio hoc notum fuisse Pontificis animum, cum me nominaret) quasi hoc modo provisum esset de eo, cujus fructus alii comedent, inde occasionem sic interpretandi dabit; mali vero statim materiam ridendi habent, postquam eorum pinguia, quasi carnes Ægypti, recusarim, si quasi ad extremam vitæ subsidii spem (sic enim interpretabuntur) audiant me coactum tandem esse confugere ad illa ossa, quorum carnem, & succum ipsi comedent, qui nullo argumento magis nitebantur, cum me volebant ad se trahere, quam hoc, quod si illos relinquerem, omnia subsidia vitæ relinquerem, qui sic vates videri volebant, quod Curiæ Romanæ experientiam habuere; de qua re Tunstallus ille omnium nostrorum hominum doctissimus, & mihi tum amicissimus, existimatione hominum tum optimus, antequam se ostendisset, partes deserendo; qui Regis jussu scripsit his pene verbis, cum me Romanas partes co-

cogitare vidit : Tu certam spem relinquis pro incertissima, crede mihi experto, simplicitatem tuam fallent. Cui ego rescripsi : Si simpliciter ambulo, fallere non possunt, sin dupliciter, & fallunt, dignam poenam duplicitatis porto, quod puto me alias tibi dixisse. Sed certe, si hæc nunc audient, ad materiam risus trahent, & confirmationem judicii sui, de quo aliquod brevi typis excusum expecto, qui multo ineptiora impressere. Sed ut contemnantur omnia istorum dicta, si illud demum sit beneficium, quod sit gratum animo accipientis, quis te melius norit animum meum hac in re? Sed tamen, ut supra scripsi, non possum non amplecti animum Suæ Sanctitatis, quem ego interpretor talem fuisse, ut quum hic Episcopatus, qui est in patria mea, vacaret in Curia, voluisse primam optionem esse penes me, vel accipiendi, vel recusandi, & hoc suæ erga me benevolentiæ dedisse, quam prorsus libenter agnosco. Sed supra omnes Episcopatus hoc tempore mihi erit, ut tanquam militi vulnerato redeunti a bello locus, & spatium ad curanda vulnera dentur, de quibus scripsi in alteris literis. Si hoc impetrabis, omnia impetrabis quæ hoc tempore possum desiderare, reliqua Deo permittemus, qui te assidue dextera protegat, & spiritu consoletur. Vale Reverendissime Domine. Carpenctor. xvi. Aug. MDXXXIX.

LXXXI.

Il Card. Regin. Polo
Al Card. Gasp. Contarini.

Hieri ricevei le lettere di V. S. Riverendisśima di xxiij. del passato, e tre giorni prima hebbi lettere dal Riverendisśimo Farnese di xxv. per le quali in somma m'avvisa, che io torni in Italia aspettando miglior occasione per le cose d'Inghilterra. Io prima di partir di

di quì ho voluto mandar il nostro Abbate a S. S. per supplicarla, come V. S. Riverendissima vedrà, che per questo verno mi lasci soprastar quì, il che sommamente desidero, e precipue per poter quietamente suspirare, e lugere casum patriæ, & parentum. Oltre che scrivo per compimento delle cose altre volte da me scritte, nella causa d'Inghilterra, & totus sum in eo, e in questo ozio, ed in questa sorte di vita, che io tengo, non sento le miserie del mondo, quæ me circumstarit; onde se fosse possibile non vorrei mutarla, che so bene, che passarò da male in peggio, e desperarò quelli huomini da bene d'Inghilterra, quando mi vedranno ritornar senza frutto, e poi quella carestia, e penuria d'Italia mi spaventa, che essendo come io sono senza provisione, e senza denari, havrò oltre gli altri affanni ancho a combatter con la fame. E quì in questo paese, anchora che ci sia mala raccolta, e carestia più dell'ordinario, pure non è tanta estremità, e ci si trova da vivere ancho a prezzo conveniente, talchè con la provisione ordinaria, che mi suol dare S. S. stando in Roma, io mi potrei intrattener di quà, il che non so come sia possibile se io torno in Italia, che oltre il caro vivere ho bisogno di mille altre spese e in comprar Cavalli, ed altro. E pare che Misser Domenedio m'habbia provisto per consolarmi, che sono alloggiato in un Convento di Frati Minori Osservanti, de' quali io mi trovo tanto contento, che non saprei desiderar meglio, oltre poi la dolcissima, e amorevolissima conversazione del Riverendissimo Sadoleto, e delli suoi, e per tanto per godermi s'io posso questo ozio onestissimo, mando il prefato Signor Abbate alli piedi di N. S. per supplicarlo di questa grazia, alla quale per ottenerla sono certo, che V. S. Riverendiss. mi sarà bonissimo fautor, di che io la prego grandemente. E quando pur a S. S. paresse, che io mi dovessi partir di quì almeno, come ho detto, al

al nostro Abbate, sia contenta donarmi licenza ch'io mi fermi in qualche luogo di Lombardia, ove parerà alli miei, che io tanto non mi discosti da loro, & fruar otio liberiore, & quietiore, quo maxime indigeo. N. S. Dio conservi lungamente V. S. Riverendissima, ed habbia misericordia al suo popolo afflitto. Da Carpentr. alli xvi. d'Agosto MDXXXIX.

LXXXII.

Il medesimo al medesimo.

HO ricevuto insieme le lettere di V. S. Riverendissima dell'ultimo di Luglio, e de' viij. d'Agosto, ed ancho per lettera di Monsig. Riverendissimo Farnese, ho inteso la volontà di N. S. del mio soprastar quì fino, che io non abbia altra commissione in contrario, la qual cosa mi è stata molto grata, perche, come V. S. Riverendissima spero havrà inteso al ricever di questa, ho havuta la lettera, che mi revocava a Roma. Per non mettermi a tal camino mandai il nostro Abbate a Roma, dal quale e per le lettere ch'io scrissi a V. S. Riverendissima saprà tutte le cause, che mi movono a non tornar a Roma, dal qual parere veggio, che quella non si discosta, anzi tengo per certo, che questa conferma, che m'ha fatto ora S. S. tutta sia proceduta da quello che li disse V. S. Riverendissima, di che infinitamente la ringrazio, e così la prego a continuar di far simili officj con Sua Beatitudine, ogni volta, che gli se ne dia occasione, che in verità troppo ho bisogno di riposo, nec afflicto addenda est afflictio. Io non penso, che S. S. sopra questo sia per far difficoltà, tanto più che non la graverò più, che della provisione ordinaria, siccome V. S. Riverendissima havrà inteso dall'Abbate, e da Messer Bartolomeo. Oltre che in questo mezzo, che starò

ſtarò lontano da Roma, potria naſcer qualche occaſione buona per la cauſa noſtra, che mi par'impoſsibile, che tanta tirannia, e ferità ch'ogni dì s'ode maggiore, poſſa molto durare, e ſpero che il Signor Iddio vi porrà la mano, poichè gli homini par che non ſe ne curino. Io ho avuto ultimamente lettere del Nunzio di Francia de' x. d'Agoſto, che mi ſcrive, che il Re di bocca gl'ha detto, che per niente li piace, che io vada in Francia, ma che havendo negozio, e commiſsione alcuna io ſcriva prima, e faccia intender il tutto, perche dice che la mia andata non giovaria ad altro, che metter ſoſpetto al Re d'Inghilterra, e farlo ſtare più proviſto, il che ſaria, non facendo queſti Prencipi eſecuzione alcuna in fatti contro di lui, come non fanno. Io non ſo quello, che mi dir. Molte coſe mi vanno per la mente, e ne ſento anche di fuora via, e dicono, che ſi tratta di dar la Principeſſa all'Imperatore. Faccia Dio quello è per lo meglio. Dubito, che il Re d'Inghilterra darà parole a tutti, & interim quæret ſubterfugia, ed al giudizio mio non ſaria queſta impreſa ſe non facilisſima, purchè li Prencipi conſentano inſieme, a' quali tutti porteria utile, ed onore. Noi tutti per la Dio grazia ſtiamo bene, e pregamo Dio per la Signoria V. Reverendiſsima, e per tutti, così S. M. ſi degni conſervarla in ſua grazia ſempre. E a quella con li felici communi amici mi raccomando, e molto la ſaluto per nome di Monſignor Riverendiſsimo Sadoleto. Da Carpentras alli xxix. d'Agoſto MDXXXIX.

LXXXIII.

Regin. Cardin. Polus Gasp. Cardin. Contareno.

NOs in horas expectamus Montepulcianum, a quo ſimul ac intellexero, quid ex Cæſare afferet, quod ad

ad meum hic discessum pertinet, quoniam ita jubet ejus Sanctitas statim exequemur. Quoniam vero ex quibusdam litteris Nuncii apud Cæsarem, quas in recenti adventu Montepulciani ad aulam Cæsaris ad me scripsit. Accepi illum ex Covo intellexisse, quod ad meum negotium pertinet. Cæsari non displicere, si Pontifex me revocaret, ut mea opera uteretur, sive in Germania, sive alibi. Sed Germaniam nominat. Jam videor maxima ex parte intellexisse, quid afferet Montepulcianus. Itaque me interim ad iter paro in Italiam. Nec tamen quia in foribus cum expecto; sic enim scribit Nuncius post quatuor ad summum quinque dies, quam ille (litteræ fuerunt scriptæ, expeditis negotiis eum discessurum) prius discedam quam veniat, ut plenius ex eo omnia intelligam; & quia litteræ Reverendissimæ D. V. Sanctissimi D. N. verbis scriptæ id jubent. Quamquam credo nihil plus allaturum, quam Nuncius scripsit, qui de profectione mea in Galliam Cæsarem jam cogitationem dimisisse in iisdem litteris adjungit. Quare, ut dixi, paratus ad iter eum expecto, & eo paratior, quam nunc, Deo adjuvante, convaluit Ludovicus tuus, vel potius noster a febre, qui fortasse ad aliquot dies me retinuisset, quia sine eo discedere moleste tulissem. Sed nunc nihil opus est, propterea quod ante quatriduum febris eum reliquit, nec vero ita debilis est, ut non mediocria itinera nobiscum facere possit. Quare nullum tempus interponetur, ut simul ac ille venerit, nos in viam demus. Ut in omnibus pareâmus illius voluntati, cui debemus. Quanquam, ut scripsi, in aliis litteris huic meo tempori & necessitati, nihil fuisset accommodatius, nihil salutarius. Si hoc impetrare potuissem, ne mihi necesse foret hoc tempore in istam celebritatem venire. Nec vero hoc proprium meum desiderium esse video, sed omnium, qui in graviori aliquo dolore sunt constituti, ut celebritatem etiam odio habeant. Ego certe post-

postquam ea quotidie audio, quæ assidue dolorem augent, vix oppiduli hujus Carpentoractensis (sic enim dici potest, si cum civitatibus aliis compararetur) celebritatem fero, & jam tertium mensem intra Monasterii hujus muros me abdo; hac vero solitudine mirifice pascor, ut contra celebritate offendor. Sed si hanc his in locis, ubi maxima frequentia, si cum Roma comparetur, solitudo potius nominari possit, qualem mihi animum Romæ in Theatro Orbis futurum putas, quo pacto ferre posse? Sed omnia vincet mea erga illum obedientia, qui me eo vocat, cui si jampridem majora cessi, quam vita sit, etiam hanc libenter in ejus obedientia relinquam. Unum tamen dicam, ne in ullo mihi defecisse videar, qui secundum Deum animum meum judicem maxime timeo, ut ergo me hac culpa liberem, ne videar me projecisse, si aliquid taceam, quod ad salutem meam videatur pertinere; hoc nunc dicam, ut omittam omnem consolationem, quæ mihi hoc tempore est maxime necessaria, quam in ista celebritate sperare nullo modo possum, & tantum de salute loquar, nullum esse locum, in quo nostri & Dei inimici facilius putarent, se perniciosas suas erga me cogitationes perficere posse, quam Romæ, vel in locis Romæ circumvicinis. Hoc vero non temere nunc, sed quia novi illum, qui hoc tempore emissarius est ad procurandam meam perniciem, quem plus omnibus suspectum habeo, Romam & loca Romæ vicina ad meam perniciem designasse. Quanquam ego eundem puto nullum locum excipere, quo malitia ejus possit penetrare. Sed ita res habet, ut apertius loquar. Cum in Hispania essem, hoc primum accepi ex Granvellii ore, tum etiam ex aliis, sed maxime ille summam impietatem & profundam malitiam illius, qui tum Orator Anglus apud Cæsarem, mihi expressit, id quod etiam nullo dicente, quia hominem ante noveram, cognovi. Sed hoc, quod ad

me attinet, magis cognovi, quod ille Orator publice dicebat: Si Rex Anglus tantum hoc curaret, ut publice in civitatibus Angliæ per edicta hostis judicarer, & liberaret eum a legatione illa, ac illi negotium hoc committeret de mea cæde cum summa decem millium aureorum, se possessiones suas, quibus abundat in Anglia obligaturum, ante sex menses cum illa pecunia meam mortem procuraturum, Romamque & loca maxime vicina tanquam opportunissima ad facinus laudabat; hæc tamen quidem audivi, sed ut temere & impie dicta a furioso juvene. Sed vide, quæ sunt consecuta. Statim a meo discessu a legatione illa fuit revocatus. Ego quod nunquam ante per edictum, ut ille postulabat, publice hostis judicatus sum, ut ex litteris ex Hispania ad quendam meum familiarem scriptis intellexi, quæ simul cum litteris a Nuncio de Montepulciano scriptis, fuerunt allatæ. Nondum in Angliam applicuit, neque quemquam scire, ubinam locorum sit. Quare si huic negotio vacare eum suspicor, quam non temere id facio vides. Quid ergo hic faciendum, quid suadeo, quid postulo? Hoc quidem faciendum primum, ut quam cautissime iter faciam usque in Italiam, dum intra amicorum præsidia veniam, quæ primum Veronæ, ubi in Hispaniam transiens, impedimenta reliqui, me inventurum confido. Deinde hoc postulo & flagito, si ita tamen ejus Sanctitati videatur, cujus semper obedientiæ vitam concesserim, ne mihi necesse sit tam cito (maxime cum adventus meus Romæ expectetur) ad locum prædæ ab inimico & insidiatore destinatum venire. Sed, si veniam, ut tum venire possim, quando nulla erit de meo adventu expectatio. Hoc commodissime fieri potest, si Sanctitas ejus mihi concedat, ut unum & alterum mensem in agro Veronensi cum præsidio Episcopi commorari possim; deinde, si ita necesse sit, appropinquante Natale Domini, venire. Nec enim si usque ad illud tem-

tempus adventum differo, quisquam me tum expectabit, & tanto securius possum venire. Habes quæ ipse ad meam salutem, non tantum consolationem, maxime conferre existimo. Nosti vero in hujusmodi perturbationibus quantum intersit, ut illius animo satisfaciat, quem simul periculi timor & dolor urgent, adeo ut si omnia Romæ tutissima essent, tamen animo refugienti illum locum, de quo inimici fidunt, cum hac suspicione, etsi tutum sit ibi esse, nunquam tamen potest esse securum. Adde quod multum refert quicquid acciderit ad consolationem meorum, (si modo sunt reliqui. aliqui qui mei dici possunt) ut si accidat quod nolint, tamen intelligant, me omnia impetrasse, quæ animus ad salutem vitæ possit desiderare. Ego vero nihil magis desidero hoc tempore, quam quod nunc scripsi, quod neque magnum est. Et quia negocium Germanicum ex his quæ audio in longum trahetur, si de me cogitat ejus Sanctitas in eo negotio, & propterea, ut scribis, vellet me Romæ adesse, ut ab ejus latere discederem; nihil hic peto quod voluntati ejus Sanctitatis non in omnibus consonet, ideo etiam confidentius scribo ad Reverendiss. Dominationem Vestram, cui meam salutem commendo, & per eandem rogo, ut, quæ scripsi, cum ejus Sanctitate communicet, ut saltem fidem meam de mea salute apud me ipsum liberem: quod erit, si omnia proposuero, quæ ad hanc facere in mentem mihi venire possint. De reliquo ita me per gratiam Christi paro, ut si necesse sit hinc migrare, nusquam me inimicus imparatum inveniat. Quod facilius impetrare possum, si Rev.D.V. me oratione adjuvabit, pro quo mea est assidua, & imprimis pro incolumitate Sanctissimi Domini Nostri, magisque, ut spero, assidua erit, cum, quod sæpe interrumpit, hoc corpore exuar, quod si ad gloriam Dei fieri possit, ut quam primum fiat maxime opto; iterum te Christo commendo. Dat. Ex Agro Carpentoracten. Ex Monasterio Montilii xxij. Septembris MDXXXIX.

Si Reverendiss. D. V. impetret quod cupimus, dignetur alicui suorum negotium dare, ut expediatur tabellarius cum litteris, quæ mihi Veronæ occurrant, quas si illic non inveniam, utcumque meo desiderio repugnet, recta Romam iter persequi haboo statutum.

His scriptis, Reverendissime Domine, accepi tuas xviij. datas, quæ me prorsus magno dolore affecerunt, quod oppugnationem narrant illius arcis & oppidi Castelnovi, tum vero cædem illius præsidii militum, in quo prorsus robur Christianæ militiæ fuisse omnes volunt. Ingemui maxime, cum ob ea quæ præterierunt, tum ob ea quæ sunt in expectatione de tam potente inimico, quo tandem se vertet, & quocumque se vertet, cum ad nostrum damnum, & ruinam omnes ejus conatus pertinent, cum ubique simus imparati, nusquam se vertere potest, ut ibi non ruinam aliquam Christiano nomini inferat. Hæc quidem, etsi maxime dolenda sunt, nihil tamen tam dolendum, quam quod illa vera auxilia, quibus superiores contra omnes inimicos nostros esse possemus, non modo dimittimus, sed Dominum illum a quo illa sunt expectanda, in cujus manu est omnis victoria, quotidie magis magisque provocamus, & quid mirum, si per suos inimicos ille de nobis vindicat. Ego certe nihilo meliora in futurum expecto, nisi ad melius nos convertamus, quod per suam gratiam Christus faxit, qui pro nostra salute est mortuus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Ex Reverendissimo Farnesio literas accepi eodem die, quo illæ Vestræ Reverendissimæ Dominationis fuerunt datæ, in quibus præscribit fere tempus meæ hic commorationis usque ad reditum Cubicularii suæ Sanctitatis, qui per Avenionem transiens in Hispaniam eas literas illic mihi tradendas reliquit, qui inter cætera ea mandata habet, ut excuset meam tergiversationem apud eos, quod in Galliam non sum profectus; qua in re adeo non sum

ſum tergiverſatus, ut certe, ſi vel minima ſpes adſuiſſet me, vel utilitati cauſæ, vel honori ejus, qui me miſſurus eſſet, ſervire potuiſſem, proprii certe periculi timore, quod non parvum, neque incertum ſe oſtendebat, nunquam me retinuiſſet. Sed cum meo periculo damnum cauſæ, damnumque honoris ejus cui ſervio conjuncta eſſent, ne tum quidem tergiverſabar, ſed novum mandatum ejus, cujus auſpiciis milito, expectabam, qui ſi præciſe juſſiſſet, nunquam prorſus tardaſſem. At nunc Rex quid reſponderit ex alteris vides, adeo ut nunc ſi maxime vellem, per eum quidem non licebit. Quare cum omnes viæ ad ſerviendum cauſæ ſunt, ut video, interclusæ, hoc quidem opto, quod ſola ejus Sanctitas mihi concedere poteſt, ut ſecedere ad tempus a negotiis liceat, ut orare liceat, ut lugere. Hoc ſive mihi concedat in his locis, ſive in Italia, ubi procul ab urbanis negotiis vivere poſſim, quia celebritatem illam animus reformidat, me in voluntate quidem illius Sanctitatis pono, ſed, ut ſecedere liceat, hoc in meis precibus, in quibus eo plus juris habere videor, quo magis in dies audio quæ me, ut ſub petra me abſcondam, & ut in abſconditum tabernaculum ejus fugiam, cujus cauſa affligor, impellunt. Nec enim ullam aliquam conſolationem reliquam nunc habeo. Audiſti credo de mea matre ad mortem conſilio publico damnatam, ideſt ad vitam, & eam æternam, niſi enim ego ita vere interpretarer, ne vivere quidem poſſem, & ne cum illa quidem firmiſſima animi perſuaſione ſolem intueri poſſem, niſi ſub petra latitarem, & in foramine illo me abſconderem, ubi gloriam Domini tranſeuntem expecto. Nec vero ſolam damnatam mulierem ſeptuagenariam, qua nulla, excepta filia, propinquiorem habet, & ut ille ipſe, qui eam damnavit, ſæpe dicere ſolebat, nec regnum illud ſanctiorem habuit feminam, ſed eum nepote ſuo filio fratris mei puero, ſpe reliqua ſtirpis noſtræ. Vide quo eſt progreſſa

gressa hæc tyrannis, quæ incœpit a Sacerdotibus in quorum ordine nonnisi optimos consumpsit, deinde ad Nobiles, & illic omnium optimos similiter perdidit, tandem ad mulieres est perventum, & ad pueros innocentes, nec enim mea mater sola condemnatur; sed conjux etiam illius Marchionis, qui cum meo fratre est interfectus, quæ ipsa bonitatis fama apud nostros fuit maxime insignis, quam filius parvus ejus est sequuturus. Hæc cum considero & confero ad ea, quæ Turca fecit in Oriente, ne dubitare quidem possum multo graviora pati posse sub hoc Occidentali Turca Christianos, quam sub Orientali, quanquam sub utroque gravia, sed hic gravior Christi hostis, qui nomen Christiani tenens, in servos Christi ita sævit. Ac si dicere debeo, quod sentio, quanquam fortassis parum authoritatis habitura sit hac præsertim in re mea oratio, sed tamen ita judico: si quis Turcam illum in Oriente maxime infestum regnis suis habet, hunc alterum magis infestum regno Christi a sua saltem amicitia rejecisset, magis quidem propitium Deum ad defensionem sui Imperii habuisset. Hoc vero non temere dico, qui video, quam graviter in Scripturis Deus castigat suos, qui cum impiis societatem habuerunt. Vides Josiam illum, etsi maxime charum Deo, quod in multis ejus contra hostes victoriis Dominus ostendit, cum classem præparasset magnam, & eam perdidisset, quod Propheta missus ad eum dixit: *Quia cum homine amicitiam habuisti, cujus multa impie sunt facta, ideo Deus classem tuam destruxit*. Sed in hoc Principe non minus charo Deo eo graviorem Dei iram timeo, quo magis Deum hunc præparasse tanquam instrumentum aptissimum judicavi. Excitare enim, ut nosti, in Scriptura Deus solet adversarios, & hostes contra eos quos Deus vult castigare. Cum vero illum inimicum Dei in impietatem declinantem videbam, primum in honorem Cæsaris, & domus ejus impingentem, quid aliud existimare possem, cum

cum Cæſaris pietas, omnibus eſſet nota, quin Deus hoc modo eum excitaſſet, ut per eum de adverſario ſuo ſe vindicaret, ut nihil dicam de reliquis vinclis, quæ cum regno noſtro habet, amicitiæ antiquæ, quæ merito, ut rebus ejus maxime afflictis ſuccurreret, eum invitare debuerunt; quod donec faciam nunquam certe deſinere poſſum rebus ipſius Cæſaris timere. Sic vero palam dixi cum diſcederem ab aula Cæſaris cum illa tenui ſpe, me non potuiſſe non maxime dolere, non majorem ſpem mihi dari de ope Cæſaris in noſtræ provinciæ rebus ſic afflictis, ſed non minus certe timere rebus Cæſaris propter cauſam, quam jam dixi, quam de rebus noſtris doleo. Quid vero hoc eſt, ut reliqui Principes vicini ſe paratiſſimos offerunt ad vindicandam cauſam Dei, Cæſar vero in quo maximas ſpes fuit &c. Ego hoc unum habeo quo me conſoler, de quo & aliis literis ad te ſcripſi, de providentia Dei, & Chriſti de regno ſuo. Semel loquutus eſt Deus, ſæpius hoc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia qui reddes unicuíque juxta opera ſua. Ad eum ergo, qui ſolus poteſt, preces fundamus, ejuſque voluntatem cum patientia expectemus, quam tribuat Deus per Chriſtum Dominum noſtrum, qui te incolumem ad Eccleſiæ ſuæ utilitatem quam diutiſſime ſervet. Vale Reverendiſſime Domine. Carpentoracti.

De morte Reverendiſſimi Tridentini valde dolui, cum eſſet magna Eccleſiæ columna in illis locis. Mihi in memoriam reduxit, quos præterea Eccleſia Romana, qui inter maximas columnas merito nominabantur, paucis annis amiſit, Card. Leodienſem & Ducem Georgium; ingemiſco prorſus, quoties recordor, quos amiſimus, vim adverſariorum, & quam parum operæ in aliis reſartiendis facimus. Sed Chriſti Eccleſia eſt, ipſe fundavit. Iterum in Chriſto vale, ignoſce lituris.

LXXXIV.

LXXXIV.

Il Card. Regin. Polo Al Card. Gasp. Contarini.

ALli xv. di questo giunsi in Verona sano e salvo con la compagnia, ove trovai le lettere di V. S. Riverendissima del primo d'Ottebre, le quali mi hanno portato quella gratissima nova della licenza mi da N. S. che io possa soprastar quì fino a Natale, la quale quanto mi sia stata cara lascio pensar a V. S. Riverendissima, la qual conosce tutto il senso, ed il cor mio, onde di tanto beneficio, il qual reputo grandissimo io la ringrazio infinitamente, siccome quella ch'è stata causa, e mezzo del tutto. Ho scritto a Monsig. Riverendissimo Farnese pregandolo, che in mio nome ringrazj N. S. e così prego V. S. Riverendissima, che si degni a luogo, e tempo fare il medesimo officio con Sua Beatitudine. Io mi starò quì questo verno a Dio piacendo godendo la solitudine accompagnata dall'amorevolezza, e bontà infinita di questo dabenissimo Vescovo. La mia stanza sarà per quanto havemo pensato con li Monachi bianchi luogo molto bello, ed al proposito mio. Scriverò spesso a V. S. Riverendissima avvisandola di Noi, così la prego, che quando potrà con commodità sua si sdegni di scrivermi, e salutar in mio nome li amici communi, ed a lei molto mi raccomando, che N. S. Iddio lungamente la conservi. Da Verona alli xvij. d'Ottobre MDXXXIX.

LXXXV.

LXXXV.

Regin. Card. Polus Gasp. Card. Contareno.

QUantum me exhilararunt literæ tuæ, Deus novit, apud quem ſtatim illis lectis gratias egi, & abſentem te animo ſum exoſculatus; tale enim certe beneficium hoc de meo ad tempus receſſu agnoſco, quale nullum mihi ſalutarius, aut gratius, ut nunc ſunt tempora, ab ejus Sanctitate potuiſſem expectare. Reliquum eſt, ut, quod unum deeſt ad cumulum hujus gaudii, quod in eo poſitum eſt, ſi una cum me ipſo in Chriſto tua exoptatiſſima conſuetudine frui potuiſſem. Quod hæc tempora excludunt, crebrioribus literis reſarciam, quod de me polliceri, de tua religione ſperare poſſum. De noſtra manſione, quod ſupra ſcripſimus nos cogitare in Monaſterium nos abdere, hoc quidem tunc cogitavi, cum in recenti huc meo adventu magnam partem ædium Epiſcopi a Principe Urbinate occupatam reperiens, exiguam ſpem habebam ea ſolitudine hic fruendi, cujus nunc animus eſt maxime appetens, præſertim cum de ejus diſceſſu nihil habebam compertum. Nunc vero poſtquam eundem biduo diſceſſurum intelligo, ſi illa ſit ſolitudo, quam animus æger maxime deſiderat, ut certe eſt, ſi me ipſum recte novi, receſſus ab his negotiis, & hominibus, quæ animum a Deo avocant, aptiorem meo deſiderio, & ægritudini ſolitudinem, quam ſit Epiſcopi domus, ipſe quidem me invenire poſſe haud ſpero, nec Monaſterium, quod cum hac domo conferam, in qua ipſe dux totus in Deum incumbens, & pietatis ſtudio ardens, idque non verbis tantum, quantum operibus declarans, reliquos omnes ſuos tanquam adoleſcentulas ſponſum ſequentes eodem trahere videtur. Quare, quod tempus Nativitatis Chriſti ad fruendum hoc otio ejus Sanctitas

ctitas præscribit, ita prorsus judico, si stellam ducem habuissem, ut domum ejus natalem invenirem, quam maxime quæro, non alio me hoc tempore, quam in hanc domum me conducturam, ubi magna cum spe vivam videndi, & fruendi hoc Rege Israel, non tantum in Nativitate, sed in Resurrectione, & Ascensione. Sed hujus rei deliberatio tota penes Regem esto. Ludovicum tuum, unum ex pignoribus tui in me amoris, si tardius reddo meo in illum amori ascribito, qui cum a me divelli ægrius patitur, nec de separatione audire vult antequam ipse ad te veniam, ac nescio quidem, an tum æquo animo ferat, sed interim eum retinendi facultatem me habere sibi persuadet, confisus tuo in me amore. Vale Reverendissime Domine in visceribus Christi, in quo te quotidie ante oculos habeo, & ut eodem communi Domino tu me commendes, per ejus amorem te obsecro. Dat. Veronæ in Ædibus Episc. xix. Octob. MDXXXIX.

LXXXVI.

Il Card. Regin. Polo
Al Card. Gasp. Contareni.

SCrissi l'altro giorno a V. S. Riverendissima, avvisandola della mia giunta in Verona, ove trovai le gratissime lettere di V. S. Riverendissima con quella bona nova di soprastar quì fino a Natale, della quale parecchi mesi sono ch'io non hebbi la migliore. Ma Messer Bartolomeo nostro importunamente con lettere di xvij. mi turbò ogni cosa, scrivendomi come Monsig. Durante li ha detto, che saria meglio a venir a Roma di lungo, e cosa più grata a S. S. Io sono restato attonito da questa cosa, la qual tanto mi molesta, quanto mi consolò la nova di restare, ne mi so imaginare donde sia, che N. S. habbia così tosto mutato parere, e non lo posso

posso credere, che quando pur così fusse, mi par che da Monsig. Durante, e da Monsig. Marcello almeno dovria haver qualche avviso, e perciò faccio scriver a Messer Bartolomeo, che meglio intenda da Monsig. Durante la volontà di N. S. la qual sempre sarà la mia, e scrivo anche a Monsignor Riverendissimo Farnese, pure sopra ciò pregando Sua Signoria Riverendissima, che non havendo sua Santità statuito di volermi al tutto a Roma, sia contenta d'intercedermi, e d'ottenermi questa licenza già impetrata da V. S. Riverendissima per queste poche settimane, che in verità n'ho gran bisogno, oltre che sono quasi costretto a farlo dalla carestia di Roma, e dalla provision, che ho fatto quì. Quando V. S. Riverendissima veda ordine alcuno di potermi con bona grazia di N. S. ottenere questa licenza già concessa, la prego a far ogni opera per continuar il beneficio ch'ha comincio a farmi, lo quale quanto mi sia caro, V. S. Riverendissima lo sa senza che altramente lo scriva. Quando ancho paresse a quella, che questo fosse importunar Sua Santità senza frutto alcuno, io mi rimetto in tutto al suo prudentissimo giudizio. Quella sa tutto il desiderio mio per il quale ancho faccio scriver a Monsig. Marcello, col quale V. S. Riverendissima potrà parlare, parendoli che sia per esser a proposito. Noi tutti per la Dio grazia stiamo bene. Messer Alvise è a Venezia, e Monsig. il Vescovo bacia la mano a V. S. Riverendissima, ed io similmente, che Dio sempre la conservi in sua grazia. Da Verona alli xxv. d'Ottobre MDXXXIX.

LXXXVII.

Regin. Card. Polus Petro Card. Bembo.

GAudeo equidem vehementer mihi oblatam occasionem tecum eodem officio fungendi in ista tua dignitate, quam nuper intellexi a Summo Pontifice ex amplissimi Collegii assensu tibi datam, quo tu mecum, cum ad eandem vocarer, ante paucos annos es functus. Quamquam tu quidem, cum mihi amantissime per litteras fuisses gratulatus, tum etiam, quod maximi faciebam, adhortationem adhibebas, ut dignum tali munere, quod non parva virtute indiget, me gererem, paucis illam quidem verbis scriptam, sed qua animum valde accensum sentiebam. Ego vero, qui non minorem de ista tua dignitate voluptatem capio, hoc solum scribere possum, me tibi vere & ex animo gratulari, adhortari non audeo, quia ætas prohibet. Nec enim decorum esse judico, ut ipse qui puer sum, si ætate tecum conferar, & multo magis si reliqua comparentur, gravissimum senem de suo officio admoneam, quod te quidem maxime erga me decebat, & mihi fuit gratissimum. Hoc tamen quia ad fructum hujus gaudii maxime pertinet, adscribere, ut spero, non dedecebit, me maxime abs te expectare, ut exemplar ante oculos ejus virtutis habeam, qua maxime conservatur hæc dignitas, ad quam tu me verbis paulo ante incitasti. Quod cum de te sperem fretus tua pietate, & divina erga te benevolentia, atque ad cumulum gaudii pertineat, quod ista tua dignitas mihi attulit, prætermittere non potui quin scriberem. Vale. Dat. Carpentoracti, ubi ut in difficillimis negotiis, quibus hactenus implicitus fui, & quæ impendere, & instare videntur, jucundissimo ad tempus otio fruebar cum tuo olim, & nunc iterum non minus amore, quam Ordine

dine conjunctissimo Collega Reverendissimo Sadoleto, qui nullum erga me humanitatis genus prætermittit. Iterum valebis.

LXXXVIII.

Petrus Card. Bembus Regin. Cardinali Polo.

Quam jucundæ mihi fuerint litteræ tuæ, humanissime, amantissimeque scriptæ, quibus mihi de mea dignitate gratularis, puto te intelligere, etiam tacente me. Qui quantopere te amaverim propter tuam quidem primum nobilitatem, moresque sane regios, deinde propter studiorum utriusque nostrum similitudinem, cum te optimis deditum pulcherrimisque artibus, atque in iis magnos progressus facientem quotidie viderem, facile profecto cognovisti. Accessit ad hæc usus inter nos non sane infrequens, & necessitudo perfamiliaris, quæ nos jam conjunctos, atque amantes inter nos magnopere devinxit. Mitto voluptatem illam meam, quam quidem cepi maximam, atque optatissimam, cum te Cardinalem esse factum cognovi, quemadmodum ex meis ad te datis literis scire non obscure potuisti. Sed omnino, ut & ipse quod sentio etiam profitear, nihil mihi gratius potuit afferri tua gratulatione, tuisque literis. Ego vero, Pole, te magnopere lætatum esse isto de Cardinalatu meo nuncio, ut scribis, sane puto. Habebis enim posthac tu quidem me, non laudatorem modo tuarum virtutum longisque in locis, ut adhuc post tuam ad Urbem profectionem habuisti, sed in Collegio & factorum pulcherrimorum testem, & optimorum consiliorum socium; a quo ea omnia erga te officia & studia expectanda tibi sint, quæ a germano fratre tuo, si is collega tibi esset, consideres profectura. Neque enim com-

committam, ut a quoquam in te amando vincar. Reliquis in rebus fortasse vinci potero ab iis, in quibus plus inerit ad eas res conficiendas facultatis. Voluntas erga te quidem mea erit ejusmodi, ut ab uno Sadoleto se æquari patiatur, superari, ne ab illo quidem sit passura, qui cum te Carpentoracti nunc esse, valde gaudeo; neque vereor, quin & itinerum suspectissimorum, & curarum maximarum recentes labores tui, isto in otio doctissimi, amantissimique hominis convictus compensatione suavissime leniantur. Quod scribis, non audere te adhortari me senem ad ea, ad quæ ego te juvenem sum hortatus, ut scilicet ita te gereres, ut dignus eo munere, quod tibi nunc deferebatur, viderere: tu vero & hortari me, & monere, & objurgare etiam liberrime semper potes, eum præsertim hominem, quem jam ætas in plerisque segniorem, & obliviosiorem fortasse fecerit. Sed miratus sum me tibi ejusmodi quicquam scripsisse. Itaque, ut verum fatear, concidi animo tuas literas legens. Quid enim ineptius facere, aut etiam impudentius potuissem, quam si te virum maximum, atque amplissimum, omnibus bonis artibus excultum, omnibus virtutibus perornatum, magna prudentia, magna rerum experientia præditum monuissem? Quare sumpsi mearum literarum exemplum, quod cum legissem, recreatus sum. Nihil enim in eo erat ejusmodi, ut monitoris personam egisse videri tibi debuerim. Afferam verba ipsa, quæ suspecta tibi esse potuerunt. Sunt autem in extrema pagella hæc: Tu vero longe ornatior atque illustrior factus, non Italiam modo, sed Britanniam etiam tuam, atque ipsum cœli verticem tuarum laudum splendore fac impleas. *Hic profecto est, non tam hortandi, aut monendi, quam laudandi, orationis quidam color lususque, magna atque præclara de eo, ad quem scribimus, sperantis atque pollicentis. Itaque laudavi te verius, non monui, ut mihi sane videor: volui quidem certe. Idem*

Idem si tibi quoque deinceps videbitur, erit mihi gratum. Sed de his hactenus. Ego hic æstatem conficiam: jam enim mihi Pontifex uti facerem permisit. Autumni primis mensibus Romam, si valebo, proficiscar, eoque libentius, quod te, & Sadoletum idem facturos puto, quos videre atque complecti, & cogitationes meas conferre discupio. Valete binæ meæ animæ, optimæ omnium & suavissimæ. Priolo tuo, vel nostro potius, Paulo Sadoleto certe nostro, Ludovico Bononiensi, multam salutem. Undecimo Calen. Junias MDXXXIX. Patavio.

FINIS EPISTOLARUM.



Ad

Ad calcem Epist. XXXIX.

SEd Sanctitas Ejus optimam spem etiam concepit de pace, quam non cessat sollicitare, & per novos Nuncios suos quos, post meum huc adventum misit ad utrumque Principem, & per Venetos, qui etiam ex suis (quod alias non fecerunt) duos Nobiles per equos dispositos ad utrumque eum Principem miserunt, ac S. D. N. Civitatem Vicentinam Concilio celebrando maxime idoneum locum concesserunt. Hoc volui Illustrifs. & Reverendifs. D. V. scribere de rebus, quas hic habemus, hoc autem concludens de me ipso, ut, si velit quæ erga me contulit beneficia gratiora reddere, in omnibus in quibus possum & valeo, sine ulla hæsitatione sic opera mea utatur, ut nihil tam grave esse putet, quod pro Illustrifs. D. V. susceptum mihi non sit futurum jucundissimum, & quo graviora, eo jucundiora, sed apud talem Principem pro Illustrifs. D. V. ut supra scripsi, nihil grave esse potest, quare admonere Sanctitatem Ejus tantum opus erit. Reliqua Ejus Sanctitatis amor in Illustrissimam D. V. sua sponte faciet. Diutissime & felicissime valeat Illustrifs. & Reverendifs. D. V. cui me iterum quam humillime commendo. Dat. Rom. iij. Nov.

SYNOPSIS.

SYNOPSIS EPISTOLARUM
QUÆ HOC VOLUMINE COMPREHENDUNTUR.

OMNES NUNC PRIMUM LUCEM ASPICIUNT, TRIBUS TANTUM EXCEPTIS,

Nimirum binis P. Bembi, & unis Jac. Sadoleti.

I. *Andreas Griti Dux Venetiar. &c. Reg. Card. Polo.*
Gratulatur Polo ex delata ei Cardinalatus dignitate, collaudatque Pontificis Max. consilium, sapientiamque in collocandis in excelso dignitatis gradu Viris doctrina, & morum sanctitate excellentibus. Addit, se mandasse Laurentio Bragadeno, Legato Veneto, ut harum literarum gratulationem suo sermone subsequatur. *Venetiis die quinto Januar. Indict. undecima MDXXXVI. M. V.*

II. Regin. Card. Polus Andreæ Griti Duci Venetiar.
Narrat quam valde exhilaratus fuerit officia primum Laurentii Bragadeni, deinde Serenitatis Suæ literas accipiens, in quibus scilicet sibi visus fuerit Patriam gratulantem agnoscere, quod majorem prope ac meliorem ætatis suæ partem apud Venetos transegerit. Poscit, ut amplissimus Senatus omnia a se expectet, quæ de suo Cive expectare posset. *Romæ MDXXXVII.*

III. *G. Ascan. Sfortia Legat. Bonon. Reg. Card. Polo.*
Gratulatur delatum ei Cardinalatum. Dolet, se Roma eo tempore absuisse, nam optasset, ut ille sui præsentis observantiam, potius quam absentis lætitiam intelligere posset. *Bononiæ III. Cal. Januarii MDXXXVI.*

IV. Reg. Card. Polus Card. S. Floræ Leg. Bonon.
Fatetur se in hujus literis facile agnovisse quam alte in ipso virtutis amor radices egerit, quem scilicet de alieno & ignoto concepta probitatis opinio ad tantas verborum in gratulando faces accenderit. Extollit Pontificis Max. & Card. Alexandri Farnesii erga se benignitatem, quæ effecerat, ut vel ipsum Sfortiam absentem tanquam præsentem in se agnoverit. Hortatur eundem, ut Bononiensem Legationem sancte gerat, spondetque se ob eam causam perpetuo supplicem futurum apud Deum.

V. *Petrus Bembus Regin. Card. Polo.*
Lætatur Poli virtutem magna a Pont. Max. auctam fuisse dignitate, hortaturque ipsum, ut laudum suarum splendore jam non Patavium modo, unde discesserat, Romam petens, sed

Britanniam etiam suam, atque ipsum Coeli verticem impleret. *Patavio III. Calend. Januar. MDXXXVI.*

VI. Reg. Card. Polus Cosmo Gerio, Fanensi Episcopo.

Causam reddit, quod sero respondeat ejus officio ob susceptum Cardinalatus munus, affirmans eam unice tribuendam Aloysio Priolo, qui Gerii Epistolam a se vix lectam ad communes amicos legendam miserit, e quorum manibus nonnisi post multos dies ad suas reversa fuerit. Eam collaudat ex singulari elegantia, summaque erga se humanitate, & multo magis ex pietate, quam eximiam in Christum, & Ecclesiam præseferebat; & Gerio ob ista, magis quam sibi ob Cardinalatum, profitetur gratulandum.

VII. *Georgius Selva Vauren. Episc. Reg. Card. Polo.*

Respondet ejus literis, quæ non extant, ac persuasum omnino sibi esse profitetur, illum ad novum genus vitæ, scilicet ad Cardinalatum, non suo consilio, sed Dei voluntate traductum esse. Addit, gratissimum sibi fuisse cognoscere quomodo id acciderit ex ejusdem ad Marchionissam Piscariam literis. *Venetiis III. Non. Januar. MDXXXVI. M. Ven.*

VIII. *Lazarus Bonamicus Reg. Card. Polo.*

Gratulatur ipsi ad Cardinalatum evecto, indeque religioni Christianæ, illius ope in priscam dignitatem vindicandæ, tandem Paulo Pontifici, qui omnia ad rem Christianam constituendam referret. Salutem impertitur Priolo, & Rullo. *Patavii III. Cal. Januar. MDXXXVI.*

IX. Reg. Card. Polus Laz. Bonamico.

Respondet Lazari literis, & quoniam iste declaraverat, se potius quam verba, res a Polo expectare, spatium sibi iste concedi postulat, ut de suo debito Lazaro satisfaciat, huncque præterea exorat, ut suis ad Deum precibus advocatum se præbeat egestati suæ. *Romæ IV. Cal. Februar. MDXXXVII.*

X. *Lampridius Reg. Card. Polo.*

Occasionem capit & ipse illi gratulandi, quod a Calandra, qui suo Principi a secretis erat, intellexisset, Polum ipsius ad eundem Calandram carmen cum voluptate legisse. Salutem dicit Flaminio suo. *Mantuæ tertio Cal. Jan. MDXXXVI.*

XI. Reg. Card. Polus Benedicto Mon. Ferrar.

Respondet gratulatoriis ejus literis, quæ non extant. Narrat, quam ægre Cardinalatum acceperit hortante Contareno. Se ejus-

ejusdem, fratrumque ipsius, qui sui etiam fratres forent, precibus commendat, ut quæ in spe erant, ad Dei honorem, & patriæ salutem reipsa implere valeret. *Romæ.*

XII. ***Stanislaus Hosius Polonus Reg. Card. Polo.***
Subrusticum pudorem causatur, quo deterritus, illi adeptam dignitatem gratulari distulerat. Maximam gratulationi suæ causam subesse declarat, quod dignitatem illam obtinuerit a Pontifice, ut Summo, ita summa prudentia, sapientiaque prædito, quodque cooptatus fuerit cum Sadoletis, & Contarenis, Roffenses quoque, & Erasmos collegas habiturus, nisi mors hunc illis honorem invidisset. *Cracoviæ VII. Id Apr. an. Dom. MDXXXVII.*

XII.* Reg. Card. Polus Stanisl. Hosio Polono.
Post triennium dumtaxat glatulatoriis ejus literis respondet, causam afferens, quod, quo tempore illæ sibi redditæ fuerant, difficillimis quibusdam negotiis foret implicitus, iisdem quæ postea se in eas provincias longe abduxerant ab Urbe, ut nulla literas ad eum dandi sibi esset opportunitas. Fatetur, se ejus indolem ad omnem pietatem, virtutem, atque doctrinam agnovisse florescentem, quum Patavii simul literis operam darent. *Rom. XIX. Nov. MDXL.*

* Numerus ex incuria Typotheræ repetitus.

XIII. ***Gasp. Card. Contarenus Reg. Card. Polo.***
Dolet Polum initio itineris, quod ultra montes ob Reip. Christianæ bonum, ac præsertim suæ Nationis susceperat, aliquid incommodi sensisse, ut sibi narraverat Ludovicus Beccatellus Romam redux. Monet, ut valetudini suæ consulat, ac proinde in victu adhibendo, esuque piscium pareat consiliis Mattæi Giberti, qui ipsi datus fuerat a Spiritu Dei ejus itineris comes, itemque Aloysii Prioli. *Rom. XV. Februar. MDXXXVII.*

XIV. Reg. Card. Polus Gasp. Card. Contareno.
Hujus literis respondens, spondet se Giberti consiliis pariturum in valetudinis suæ negotio, imo & Prioli, erga quem liberaliter jocatur. Causas affert, ob quas primis itineris sui diebus valetudinis detrimentum senserit, quin tamen ullum diem intermiserit, in quo non aliquantum viæ, & quantum per equos licebat, confecerit; subdit, se robustiorem ad labores omnes jam factum, cum omni diligentia properaturum, quo Christi causa vocabat. Salutem impertitur Cardinalibus Decano, Sanctæ Crucis, Theatino, & Carpentoractensi, insuper Ma-

gistro S. Palatii, & Lactantio. *Bononiæ ultimo Februarii.*

XV. Idem Eidem.

Novis Contareni literis de valetudinis negotio acceptis, magis magisque spondet, se in eodem, quemadmodum in reliquis rebus, Veronensi Episcopo omnino pariturum, fassus, vires suas, postquam ex eorum consilio victum mutaverat, confirmatas fuisse. Sperat Pontificis orationum subsidium, quod ab eo discedens unice postulaverat, consiliis suis maxime profuturum, & plura habet de orationis vi, & dignitate. Se gratum profitetur Cardinali Hipporegiensi, scilicet Bonifacio Ferrerio, Eporediensi in Valle Augustana olim Episcopo, quod ab ejus Nepote, Placentiæ Vicelegato, omnia humanitatis officia accepisset. *Placentiæ.*

* Idem Eidem

* Epistolæ huic deest numerus ex incuria Typothetæ.

Queritur de angustia rei pecuniariæ, quam significari postulat Sanctitati Suæ, & de qua Priolo negotium dederat, ut distinctius scriberet. *Lugduni XXIV. Martii MDXXXVII.*

XVI. *Gaspar Card. Contarenus Reg. Card. Polo*

Respondet superioribus literis, Polumque certiorem facit, Pontificem recepisse se provisurum, ut quamvis ei nihil defuturum speraret a Cardinale Leodiensi, pecunia tamen, qua indigebat, per alios trapezitas ei redderetur, subventionis tamen nomine, quod nollet quingentorum aureorum summam, quæ stipendii, seu impensarum nomine Legatis ultramontanis dari, consuevit, augere, ne res traheretur in exemplum ab aliis. Dolet Henrici Angliæ Regis casum, quin tamen desperet, reductum iri ad ovile ovem pulcherrimam, quæ deeraverat. Refert Pontificem aggressum esse Reformationis negotium, cœpisse a se ipso, elegisseque quatuor Cardinales Simonetam, Ginnucium, Theatinum, & se, ut corrigerent ea quæ expediri consueverunt per Dateriam, addens, omnes fere Cardinales favere Reformationi. Causam affert, cur Concilium Mantuæ indictum, fuerit dilatum ad Calendas Novembris. Subdit, se, quum literas illas jam ante quindecim dies scripsisset, interim intellexisse quæ Polus scripserat Lutetia, & quod profecturus foret Cameracum, & quam gravis difficultas ei immineret in rebus provinciæ Christianæ sibi commendatæ. Tandem ad Bini literas susiores se remittit. *Romæ die XII. Maii MDXXXVII.*

XVII. Reg. Card. Polus Rod. Pio Card. Carpensi.

Dolet præcisam sibi spem cum in Galliis conveniendi, ac proinde

de opus habere, ut ejus consilia exquirat ope Veronensis Episcopi, qui se ultro obtulerat ad iter accipiendum; multoque acerbius queritur de temporum iniquitate, qua fieret, ut adeundi Regis Galliarum facultas sibi denegaretur. Explicat quænam foret summa rerum a se cum eo Rege agendarum, scilicet de Pace, de Concilio, de Angliæ religione. Pluribus ostendit, qualis ipse sit Regis Angliæ proditor, & quales ejusdem proditores sint, qui ipsius mentem depravarunt. Se excusat, quod verbosius scripserit, ut resarciret quæ videbatur perdidisse cum Cardinale Rodulpho colloquia. Tandem affirmat omnem suam spem in divinam providentiam conjecisse, ac proinde suum animum eundem esse, qui antea fuit, scilicet tranquillissimum, ac semper paratum pro Dei causa sanguinem effundere.

XVIII. Reg. Card. Polus Erardo Card. Leodiensi.

Narrat qui sit, a quo missus, quibus de causis, & quibus instigantibus, immo compellentibus, affirmatque, nihil magis novum accidere sibi potuisse, quam quod post constituta legationis suæ consilia ex Oratorum Cæsaris sententia, & voluntate, sibi, ut primum Cæsaris ditionis fines attigisset, facultas præcluderetur vel unum ex suis Bruxellam mittendi, qui literas ipsi Card. Erardo deferret. Omnibus narratis ejusdem Cardinalis consilium, & operam implorat. *Cameraci XXVII. April. MDXXXVII.*

XIX. Reg Card. Polus Paulo PP. III.

Jussus a Pontifice (quippe qui vidisset res in Anglia nec spem nec occasionem ullam afferre) ut reditum in Italiam maturet, Concilio Mantuæ celebrando adfuturus, fuse exponit quæ faciunt tam ad ejus reditus celeritatem, quam ad eundem remorandum, nihil ipse præscribens, sed omnia integra Sanctitatis Suæ judicio relinquens. In eam tamen sententiam, quæ Veronensis Episcopi etiam foret, propendet, ut expediat ad aliquod tempus in mediis periculis subsistere ad capiendas omnes occasiones rei bene gerendæ, quas defuturas non sperat. Subdit, nullum se majus donum a Christo seu optare, seu petere, quam ut Ecclesiæ aut vivus, aut mortuus prodesset. *Cameraci XVIII. Maii MDXXVII.*

XX. *Gasp. Card. Contarenus Reg. Card. Polo.*

Dolet Regem Angliæ quotidie longius recedere ab Ecclesiæ unita-

tate. Quoad Poli reditum in Italiam, censet moderationem esse adhibendam, ne scilicet vel cum ignominia properarent, vel cum indignitate diutius delitescerent. Subdit, ingentem classem a Turcis parari, de qua valde timendum foret, quod Principes Christiani mutuo se conficerent. *Romæ die XXII. Maii MDXXXVII.*

XXI. Reg. Card. Polus Paulo PP. III.

Certiorem facit Sanctitatem Suam, se Leodii jam subsistere, ibique ex benignitate, & studio Cardinalis Erardi ea sibi beneficia impendi, ut a nemine majora expectare potuisset; extollit præterea ejusdem singularem obedientiam erga Sanctam Sedem. Subdit, reliqua quæ ad negotium pertinerent, proximis diebus diligenter perscripta fuisse ab Episcopo Veronensi ad Protonotarium Ambrosium. *Leodii X. Jun. MDXXXVII.*

XXII. Reg. Card. Polus Sacro Collegio.

Significat se tandem locum tutum invenisse, quo se reciperet, Leodium nimirum, in quo nihil ipsi desit neque ad salutem, neque ad dignitatem tuendam, idque ex benignitate, & authoritate Cardinalis Erardi, quorum beneficiorum memoriam gratam in Cardinalium omnium animis servari deposcit. Subdit, de exitu causæ, propter quam in eas regiones ablegatus fuerat, Deum assidue orandum, ut Sanctitatis Suæ, Sacri Collegii, & omnium bonorum votis respondeat. *Leodii X. Jun. MDXXXVII.*

XXIII. *S. R. E. Cardinales &c. Reg. Card. Polo.*

Lætantur quod in eas partes salvus pervenerit, laudant ejus prudentiam, sagacitatem, & reliquas virtutes, hisque freti sperant divinam bonitatem optatum exitum daturam ei causæ, quam fatentur asperam admodum, & duræ tractationis. Tandem eum monent, se literas mittere Cardinali Leodiensi, quæ hujus benignitati, & hospitalitati gratum Sacri Collegii animum testentur. *Romæ die ultimo Junii MDXXXVII.*

XXIV. Reg. Card. Polus Gasp. Card. Contareno.

Significat, se ejus literas accepisse datas die XII. Maii, atque ex iis intellexisse quæ amantissime monuerat de impensis contrahendis, circa quas eum rogat ne pigeret ex Prioli literis percipere quanta foret sua, & Veronensis Episcopi sollicitudo. Mittit exemplum literarum, quas ad Pontificem scripserat de rerum Angliæ statu, subditque, de hisce distinctius ipsum edocen-

cen-

cendum ex Prioli literis. Addit, se Regis Angliæ insidias non vereri, quod Deum ducem haberet. Lætatur tandem de optimo Pontificis animo quoad Reformationem. *Romæ die ultimo Junii MDXXXVII.*

XXV. Idem Eidem.

Scribit, se ejus literas datas XXII. Maii accepisse, & insuper exemplum literarum, quas XII. ejusdem mensis dederat. Quod spectat ad rem nummariam, se refert ad ea, quæ ex Prioli literis intelligeret. Quod vero spectat ad suum reditum, se refert ad ea, quæ scripturus ei foret per proximum forte tabellarium. Innuit tamen, in ea se sententia persistere, suam diuturniorem commorationem nulla ex parte dignitati posse obesse, causæ autem Christi conducere posse *Leodii XXIX. Junii MDXXXVII.*

XXVI. *Gasp. Card. Contarenus Reg. Card. Polo.*

Affirmat, sibi traditas fuisse literas Leodii X. Jun. datas, insuper quas Sanctitati Suæ scripserat, & quas miserat Collegio Cardinalium. Ægerrime fert, quod videt eum constitutum in maximis difficultatibus, ac periculis. Subdit, Pontificem nihil de rebus Angliæ sperare, prudenter expendentem Christianæ Reip. statum, & Principum consilia, ac præterea Turcarum motus. Urget ejus in Italiam reditum, præsertim ut Concilio Mantuæ celebrando interesset. *Ex Roma pridie Calend. Jul. MDXXXVII.*

XXVII. *Jac. Card. Sadoletus Reg. Card. Polo.*

Causas affert, cur nullas ad ipsum literas dedisset post ejus discessum. Laudat Pontificis consilia, & sapientiam in comparandis præsidiis adversus Turcas. Dolet Poli conatus non eum habuisse exitum, qui optabatur. Sperat occasiones alias non defuturas, quod eundem statum tenere diu non possint, quæ maxime sint commota. *Romæ IV. Non. Julii MDXXXVII.*

XXVII. Reg. Card. Polus Gasp. Card Contareno.

Lectis ejus literis X. Jun. ad Priolum datis agit de difficultate itineris Italici arripiendi, cui tamen paratus foret se dare, quippe Sanctitatis Suæ imperio in omnibus subesset, etsi certe religionis negotium, quod sua salute antiquius esse debet, ad manendum potius hortaretur. Mittit ei exemplum literarum, quas a quodam Anglo, qui Lovanii studiis operam dabat, acceperat. Reliqua subdit ex Prioli literis ipsum intellecturum. Hactenus quum scripsisset, refert, novas Pontificis literas

literas sibi tradi, quibus jubetur primo quoque tempore reditum in Italiam parare, eisque se promptissimo animo pariturum, & quod spectat ad securitatem itineris, Leodiensis Cardinalis consilia, opemque petiturum. Tandem poscit, ut Veronensis Episcopus Romam usque iter prosequi non cogatur, sed Veronæ subsistere valeat. *Leodii XXI. Julii MDXXXVII.*

XXIX. *Excerpta ex literis Angli, de quibus supra.*

Optat non ita cito Polum in Italiam remeare, quod contra longiorem in iis regionibus commorationem Britannicæ Ecclesiæ salus postularet. Plura proponit, Jejunia, Supplicationes, Scripta, quibus prospici posset religionis utilitati adversus Læi, & Tonstalli Antistitum, itemque Cromuelli de ea evertenda cohatus.

XXX. *Gasp. Card. Contarenus Reg. Card. Polo.*

Monitus a Bino tabellarium post horam in Belgium profecturum, paucis lineis ei significat, Blosio datum fuisse a Pontifice negotium, ut pro tuto Poli reditu scribatur ad Regem Romanorum, Regem Galliæ, & Archiepiscopum Coloniensem. *Romæ die XXI. Jul. MDXXXVII.*

XXXI. Reg. Card. Polus Gasp. Card. Contareno.

Extollit studia erga se Cardinalis Leodiensis, quæ quum in commodum, & honorem cedant Sanctitatis Suæ, & Sacri Collegii, omnino promereantur, ut ejus precibus, de quibus Antistes Veronensis Carolo de Fano scribebat, facilis ab Apostolica Sede præberetur assensus, præsertim quod spectarent ad provinciam, cui ille summa vigilantia præest, in fide, atque obedientia ejusdem Sedis retinendam. Subdit, se expectare reditum ipsius Cardinalis Leodiensis ab Aula Reginæ, statimque eo salutato iter arrepturum. *Leodii X. Aug. MDXXXVII.*

XXXII. *Gasp. Card. Contarenus Reg. Card. Polo.*

Scribit, se ejus literas die XXII. Jul. datas, una cum iis quas destinaverat ad Pontificem, nec non cum exemplo Epistolæ ab Anglo, Lovanii literarum studiis operam dante, conscriptæ accepisse, & curasse, ut omnium copiam faceret Pontifici, qui in Vaticanum diverterat, Ambrosius Protonotarius, & ab hoc sibi postea significatum fuisse, tabellarium in Flandriam statim profecturum, qui ad eum delaturus foret literas nomine Pontificis scriptas, quarum summa foret, Pontificem, quoniam intellexerat, non inutilem Dei Ecclesiæ, & conservandæ pietati

tati Anglorum diuturniorem in iis regionibus commorationem ipsius futuram, ejusdem judicio permittere vel reditus, vel mansionis consilium. Plura postea habet de Turcarum motibus. *Romæ die XII. Aug. MDXXXVII.*

XXXIII. Reg. Card. Polus Domino de Prat.

Gratias agit ob propensam ipsius erga se benevolentiam, quam sibi testatus fuerat Antistes Veronensis primum, deinde Leodiensis Cardinalis. Hujus mirabilem erga se deprædicat liberalitatem, quæ tanta fuerit, ut omnes fere thesauros, arcasque suas secum voluerit esse communes. *Leodii XII. Aug. MDXXXVII.*

XXXIV. Reg. Card. Polus Corn. Scerperio Cæs. Conf.

Cum eo iis ipsis officiis fungitur, quibus functus fuerat in literis ad Dominum de Prat. *Leodii XII. Aug. MDXXXVII.*

XXXV. Reg. Card. Polus Archiepiscopo Panormit.

Paria prorsus officia hæ quoque literæ complectuntur. *Leodii XII. Aug. MDXXXVII.*

XXXVI. Reg. Card. Polus Gasp. Card. Contareno.

Fatetur se ægre divelli ex iis regionibus, in quibus paratus esse potuisset ad omnes occasiones pro utilitate Ecclesiæ; subjungit, se crastina tamen die iter fuscepturum, cujus securitati prospexisset Cardinalis Leodiensis. Hujus munificentiam, & vere Regiam erga se liberalitatem debitis encomiis exornat. *Leodii XXI. Aug. MDXXXVII.*

XXXVII. Idem Eidem.

Scribit, se jam Tridentum pervenisse, antequam sibi redderentur literæ Ambrosii Protonotarii, in quibus, verbis Sanctitatis Suæ, significabat, integrum suo judicio relinqui, sive hybernare vellet in provincia Leodiensi, sive ad Urbem proficisci; jamque ex Tridento Bovolonam, Veronensis Episcopi villam, advenisse, quæ non longe ab Hostilia, oppido agri Mantuani in ripa Padi posito, distaret, unde Ferrariam secundo Pado navigaturus foret, & post eodem flumine usque Ravennam, ea ratione Lauretum via maxime compendiosa petiturus. Narrat, nullum fuisse officii genus, quod a Veronensi Episcopo non acceperit; ab eo Ferrariæ se relinquendum; tandem Veronam ad se salutandum accessisse Thomam Contarenum, & Matthæum Dandulum, quos dum amplexaretur, eo genere gaudii animum sibi perfundi sensisse, quo solebat perfundi parentes, & propinquos ex longo intervallo videns. *Trid. Cal. Octobr. MDXXXVII.*

XXXVIII. *Isidorus Monachus Reg. Card Polo.*

Gratulatur ei reditum e Legatione, sed dolet se frustratum tot mensium spe, eundem scilicet in Cœnobio suo Mutinensi recipiendi, & fruendi ejus colloquiis, unde ingens sibi suppeditaretur materia ad omnium virtutum progressus. Subdit, se non dubitare, quin ejus Romam accessus prodesse debeat ad rem Christianam instaurandam. *Mutinæ ex Cœnobio nostro Divi Petri Non. Oct. MDXXXVII.*

XXXIX. Reg. Card. Polus Erardo Card. Leodien.

Romam delatus, gaudet statim sibi occasionem dari ei inserviendi in impetrando Brevi ad majorem declarationem facultatum Legati de Latere, de qua re secum egerat Dominus Benedictus, ejus Agens. Omnia ei pollicetur de animo Sanctitatis Suæ, quemadmodum de officiis Cardinalium Campegii, Ginuccii, & Contareni, & præterea Domini Ascanii, Ariminensis Episcopi, & Domini Durantes, Cubicularii Sanctitatis Suæ. Affirmat tamen, hos concorditer censere novam eam declarationem non esse necessariam, quod omnis potestas super Exemptos collata ei intelligatur per primum Breve, quodque extaret exemplum in pari facultate Cardinali de Mantua concessa. Laudat ejus animum pro urgenda Reformatione, testaturque maxime commendari a Pontifice, cujus pariter egregia foret cura in obtinenda universalis Ecclesiæ Reformatione, quæ tamen multo plures hostes haberet, quam peculiaris Ecclesiæ Reformatio. Aliqua addit de sacro fœdere adversus Turcas, de Concilio Generali, de Pace inter Principes Christianos. *Romæ III. Novembr. MDXXXVII.**

* Perperam impressum pagina 96. *MDXXXVIII.*

XL. Idem Eidem.

Agit iterum de facultatibus Legati de Latere, atque iterum inculcat in iis comprehendi potestatem super Exemptos. Refert, se de ejus cura in reformando Clero egisse cum Cardinale Farnesio, huncque valde gavisum esse de tam sancto proposito; cui præterea narraverit, quænam forent instrumenta, quæ sibi ad opus illud selegisset, scilicet Dominum Tungrensem, & Dominum Theodoricum, & insuper optimum juvenem Dominum Joannem Vitten. Tandem aliqua subdit de Concilio Vicentiæ convocando, de Pace Principum, de iis quæ Veronensis Antistes utiliter insinuaverat pro removendis impedimentis, Leodiensem Reformationem remorantibus, ac tandem de facto cujus-

jusdam incarcerati, quem ejus honori inimicum esse audierat, circa quod Sanctitas Sua aperte declaraverat, se nullam compositionem admittere velle, quæ non fieret cum Dominationis ejus voluntate. *Romæ die festo S. Catharinæ MDXXXVII.*

XLI. Idem Eidem.

Gaud.r, eum non amplius novam declarationem quærere, sed contentum esse iis facultatibus, quæ in corpore juris habentur, quæ fuerat communis omnium amicorum ejus sententia. Spondet, se omni industria vigilaturum, ut qui Leodiensis Cleri Reformationem oppugnant, compescantur. *Romæ XXVII. Decembr. MDXXVII.*

XLII. Idem Eidem.

Post octo fere horas in Consistorio consumptas, scribit, breves se ad ipsum literas dare ex subito tabellarii discessu, atque in iis eum monet, se una cum Cardinalibus Campegio, & Simoneta eum Sanctitate Sua egisse de reprimendis conatibus eorum, qui Reformationi Leodiensi resistunt, Pontificem vero spopondisse, nulla in re se defuturum, quæ pertineret ad commissam ei Legationem tuendam, ac confirmandam, indeque jussisse, ut Breve in ampliori forma conficeretur. *Romæ VII. Januar. MDXXXVIII.*

XLIII. Idem Eidem.

Gratulatur ei magis magisque pium desiderium Cleri reformandi, quod certe vicinis provinciis optimum exemplum præberet. Commendat ei negotium viri docti Alberti Pighii, Trajectensis Præpositi, idque se facere affirmat etiam ex jussu Sanctitatis Suæ. *Romæ XXV. Januar. MDXXXVIII.*

XLIV. Idem Eidem.

Scribit, postquam transmissa ampliori declaratione satisfactum fuerat ejus desiderio, id superesse, ut certiorem se faciat, sublata animi anxietate liberum ipsum tam a morbo, eujus rumor invaluerat, quam a convalescentia jam reperiri. Extollit industriam, & diligentiam Domini Benedicti Gentilis. *Romæ XXVIII. Februar. MDXXXVIII.*

XLV. Reg. Card. Polus DD. Theodorico & Tongren.

Gratulatur eorum pietati sibi satis ante perspectæ, & quam recens in eorum literis recognoverat, quamque sollicite laborare conspiceret in negotio Reformationis in Cardinalis Leodiensis Diœcesi. Spondet, in eo negotio se quoque diligentem operam navaturum, jamque confecta fuisse diplomata ad eam formam, quam

quam ipsi proposuerant. Excusat naturæ suæ sive lenitatem, sive ignaviam in malis castigandis, exemplo Pauli Apostoli, qui in gravissimis etiam delictis filiorum virgam quatiebat, antequam castigatio per illum exerceretur. *Romæ XXVIII. Januar. MDXXXVIII.*

XLVI. Idem Eisdem.

Scribit maxime sibi cordi esse causam, quam commendaverant, Alberti Pighii, additque, quaternas hujus literas Romam se absente fuisse perlatas, & in recenti suo reditu sibi redditas. *Romæ in Festo SS. Simonis & Judæ MDXXXVIII.*

XLVII. Reg. Card. Polus Alberto Pighio.

Scribit, se accepisse duos ejus libros, unum adversus Lutheranos calumniantes indictionem Concilii Mantuæ celebrandi, ab ipso compositum, alterum in eandem sententiam a Rege Angliæ editum, & Pighii manu descriptum. Hortatur eundem, ut in tuenda Christi Ecclesia perseveret, etsi fraudatus his præmiis, quæ debita videri possint, & quæ cæteri minori negotio consequi solent. Spondet, mortuo Cardinale Capuano, ejus patrono, hujus voluntatis heredes habiturum alios Cardinales, & præ ceteris Cardinalem Sanctæ Crucis. De negotio Federici Skenchii, quod sibi commendaverat, petit a principio rem sibi narrari. Gratulatur ejus contubernium cum Tongrensi, & Theodorico. *Romæ XX. Novembr. MDXXXVII.*

XLVIII. Idem Eidem.

Plura habet de negotio Skenchii, qui scilicet contendebat liberatum se fuisse a solvenda pensione Card. Simonetæ ob recompensationem huic traditam a Papa Clemente. Dolet, ejus quietem turbari, ut ex proximis literis intellexerat, polliceturque se cum Cardin. S. Crucis diligenter inspecturum, quantum remedii afferri posset. Hortatur, ne per cujusquam injuriam tepescat ejus ardor in causa Ecclesiæ tuenda. *Romæ XVII. Decembr. MDXXXVII.*

XLIX. Idem Eidem.

Scribit, ejus negotium, quod pendebat coram secreto Cæsaris Consilio, ex Pontificis jussu commendatum fuisse Cardin. Leodiensi, ad quem propterea confidenter confugere ipsum oporteret; negotium autem Skenchii non ita se habere, ac sibi narratum fuerat, contendente Card. Simoneta, nullam unquam se pensionis recompensationem accepisse. Suadet, ut res ista arbitrio

trio

trio Card. Leodiensis committatur. Gaudet eundem ab ea causa liberatum, unde ignominiæ nota ei fere inurebatur. *Romæ XXVIII. Januar. MDXXXVIII.*

L. Idem Eidem.

Romam reversus, scilicet ex itinere Niciensi, scribit, se ibi reperisse quaternas ejus literas, quibus omnibus satisfacere videretur, si postremis V. Octobr. datis responderet, in quibus petebat, ut impetraret a Pontifice literas commendatitias ad Reginam Hungariæ Mariam. Subdit, eas literas, jubente Pontifice statim confectas fuisse, ut post alterum diem discedenti publico tabellario dari possent. Certiorem eum facit, ipsius pietatem, ingenium, & doctrinam magni fieri a Pontifice, cui quæ nondum data fuerat occasio ejus libros offerendi, cito tamen adfutura esset tam sibi, quam Cardinali Sanctæ Crucis. Gaudet, Decanum Antuerpiensem, qui Romæ negotia Reginæ procurabat, ei valde amicum esse, & multo maxime Tongrium, & Theodoricum, quorum communes literas acceperat, eam benevolentiam testantes. *Romæ XXVIII. Octobr. MDXXXVIII.*

LI. Reg. Card. Polus Card. Scotiæ.

Affirmat, neminem se libentius ejus honori favisse, quum scilicet actum fuit de ipso in Cardinalium Collegium cooptando. Gratulatur ob eam cooptationem universo Scotiæ Regno, cui, ut in fidei puritate maneret, data esset Romanæ Ecclesiæ columna. Subdit, exemplo Christi, qui Ecclesiam sibi desponsam pretiosissimo suo sanguine lavit, paratos esse debere Cardinales omnes sanguinem effundere ad ejusdem Ecclesiæ honorem, ac utilitatem. *Romæ Calend. Januar. MDXXXVIII.*

LII. *Geor. Selva Vauren. Episc. Reg. Card. Polo.*

Per Galliam iter facturo offert domum, & res omnes suas, suorumque fortunas. Subdit, se de eodem scripsisse ad Magnum Franciæ Magistrum, quæ tempori convenire judicasset. *Venetiis IV. Cal. Mart. MDXXXVII.*

LIII. *Idem Eidem.*

Commendat ei Petrum de Nuptiis, Franciscanum, virum non solum doctrina, sed etiam moribus Christianum, de cujus negotio ad Card. Sanctæ Crucis copiosissime scripserat, quod cujusmodi foret intelligere posset de Danesio. *Vauri Calend. Januar. MDXXXVIII.*

LIV.

LIV. Reg. Card. Polus Domino de Granvella.

Commendat res Anglicas, de quibus horrenda erant quæ ferebantur, fidei, & pietati Cæsaris, apud quem nosset quanta foret ejus authoritas. *Romæ ult. Novembr. MDXXXVIII.*

LV. Reg. Card. Polus Confessario S. C. M.

Causam eandem & ipsi commendat. *Romæ ultimo Novembr. MDXXXVIII.*

LVI Reg. Card. Polus Camillo Ursino.

Significat ei animi benignitatem, qua exceperat Sanctitas Sua consilia in ejus literis exposita, & a se, ut ipse optaverat, cum Cardinalibus Contareno, & Theatino communicata, tam circa pacem Ecclesiæ, quam circa bellum contra Infideles, præsertim autem de succurrendo rebus Dalmatis, quod maxime flagitare ejusdem literæ videbantur. Addit, præter omnium spem statutas fuisse inducias, quæ tamen verius pacis, quam induciarum nomen habere possent inter Carolum Cæsarem, & Franciscum Regem. Tandem multis explicat, quam valde animus suus recreatus fuerit acceptis ejus literis tanto fidei lumine, & charitatis fervore redundantibus, ut earundem tantum scribam Camillum fuisse, authorem vero illum, qui mutos loqui facit, & ora disertorum obstruit, facile intellexisset; queriturque, ejus colloquiorum fructu fraudari sibi contigisse, dum ex Legatione in Italiam reversus, eundem Veronæ minime repererat. *Rom. XIV. Januar. MDXXXVIII.*

LVII. Idem Eidem.

Fatetur, se ex ejus literis, in quibus scilicet Christus splenderet, tantam consolationem accepisse, ut majorem non meminerit sibi unquam ex homine, vel hominis potius ministerio contigisse. Æque laudat literas, quas ad Regem Christianissimum scripserat; monet tamen opus esse, ut consideret, sibi sermonem esse cum iis, qui in tenebrosa valle habitant, scilicet cum Principibus hujus mundi. Addit, se hujuscemodi literarum cupere esse tabellarium, dum paratus jam foret Vicarium Christi comitari, qui ut illis Principibus pacem evangelizaret, proficiscebatur. *Romæ XXI. Mart. MDXXXVIII.*

LVIII. Reg. Card. Polus Marco Monacho S. Just.

Scribit, se plures ejus literas, postquam ab ipso discesserat, accepisse, quibus suaviores, & Christiana eloquentia copiosiores nullus

nullus amor exprimere possit. Petit, ut perseveret eo se pabulo reficere, ostendatque sibi qua in re, & quo pacto Domini voluntati servire possit. Salutat Lombardum, cujus quoque literis, ceu cibo e mensa Domini, sæpe pascebatur. *Romæ XXVI. Februar. MDXXXVIII.*

LIX. Idem Eidem.

Fatetur, sibi facile compertas fuisse querelas amantis in iis verbis, quibus usus fuerat suam orbitatem, & suam indigentiam deplorans, quippe quæ designarent, eum ita appellare absentiam illius, in quem effundere dona gratiarum solebat. Petit, ut easdem abundantius quam antea effundere dignaretur, quod perspiceret, se in eo loco esse constitutum, unde ipse olim fugerat, cum mundi omnia invitamenta suspecta haberet. Id ipsum rogat per amorem, & lacrymas filiorum ejus, qui secum erant, videlicet Aloysii, Fiderici, Lumbardi, & Bernardini, quibuscum quando quotidie versabatur, cum ipso Marco versari sibi videretur. Salutat Bernardinum Presbyterum, & Benedictum Ferrariensem. *Romæ IX. Nov. MDXXXVIII.*

LX. Reg. Card. Polo al Card. Gasp. Contarini.

Gode d'aver'inteso dalla di lui lettera, che si trovi in buona salute, quantunque fiacco l'avesse reso il fastidioso cammino. Lo ringrazia del cortese invito di essere a passare con lui qualche giorno, il che dice che farà volentieri subito ritornato da Venezia il Signor Luigi, e ciò anche per vedere il diletto di lui gregge. Si rallegra delle buone nuove della Pace. Gli partecipa di godere la compagnia d'un buon Padre con tanta avidità con quanta mai agnello da latte *sugens ubera matris suæ*. Saluta la di lui dolcissima compagnia, cioè il fratello, ed il cognato. *Data a Treviille IV. Agosto MDXXXVII.*

LXI. *Gasp. Card. Contarenus Reg. Card. Polo.*

Certiorem eum facit colloquii, quod sola cum solo secum instituit de Reformatione Compositionum Sanctitas Sua inter deambulandum prope Villam, quæ dicitur fuisse diversorium quoddam Luculli; pariterque libelli, quem de eo argumento ipse conscripserat, quemque Pontifex secum detulerat, atque legerat antelucanis horis. Optimam inde spem concipit esse aliquid boni Deum acturum. Cupit de his omnibus certiores fieri Card. Theatinum, & Magistrum S. Palatii. *Ex Ostiis Tiberinis die XI. Novemb. post prandium MDXXXVIII.*

LXII.

LXII. Reg. Card. Polus Gasp. Card. Contareno.

Ei significat, Bononiam se incolumem pervenisse, etsi nullo unquam tempore passus fuerit tantam vim frigoris, quanta sibi toleranda fuit in transitu Apennini, nec propterea invalidum factum ad labores itineris, quos omnes sperabat pietatem superaturam. Mentionem facit jucundi hospitii quod ceperat in ea Urbe apud Beccatellum. *Bononiæ in Festo Epiphaniæ MDXXXIX.*

LXIII. Idem Eidem.

Scribit, statim ac Placentiam accesserat, a Cardinale Legato redditas sibi fuisse ejus literas conjunctas cum iis, quas Sanctitas Sua scripserat ad utrumque Principem, hasque de meliori nota. Narrat, se in eadem Urbe reperisse Veronensem Episcopum, qui se ibi ad aliquot dies expectabat, ut secum condoleret de gravi casu suorum; hocque tam cari amici officium opportunissimum sibi fuisse, quod recentes literæ sibi nunciassent fratris natu majoris ad mortem damnationem. Addit, eundem Antistitem in multis liberaliter prospexisse quæ ad itineris sui commoditatem pertinerent. Æque commendat Cardinalis Legati erga se liberalitatem, & de hac petit certiorem fieri Card. Farnesium, & Sanctitatem Suam minime celari. Se commendat tam ejus, quam Magistri S. Palatii Orationibus. *Placentiæ X. Januar. MDXXXIX.*

LXIV. *Gasp. Card. Contarenus Reg. Card. Polo.*

Deo gratias agit, quod ex ejus literis Placentiæ datis intellexisset & incolumem ipsius ad eam Urbem adventum, & imperturbatum animum in his procellis, quibus a fortuna exercebatur. Laudat pietatem Episcopi Veronensis, & multa se debere profitetur Cardinali de Monte pro officiis quæ erga ipsum præstiterat. Narrat Camerini restitutionem jam factam fuisse, & Principem Auriam pervenisse ad Urbem. Ait, nihil gratius sibi futurum, *quam si vineam nostram repurgaremus. Romæ XXIII. Januar. MDXXXVIIII.*

LXV. Reg. Card. Polus Gasp. Card. Contateno.

Scribit, se desiderio affici aliquid de ipso audiendi, cui tamen aliqua ex parte satisfactum sit ex iis literis, quas Sadoletus sibi legendas dederat, & in quibus ille quid de libro de Substructione Ecclesiæ conscripto ab eodem Sadoleto sentiret, exposuerat. Laudat mirificum ejus animi candorem in sen-

sententia illa ferenda, eamque amantissime, & maxima cum animi æquitate a Sadoleto exceptam fuisse testatur. Subdit, sibi, haud minus quam Sadoleto, molestum esse, quædam ex eo libro præpropere in vulgus jam sparsa fuisse, quæ apud ignaros rei veritatis inurere Sadoleto possent infamiam proditæ Doctrinæ Catholicæ. Petit a Contareno, ut illum ubique, & apud omnes, atque apud ipsum Pontificem, si opus sit, defendat. Transit ad res suas, de quibus id unum significat, se incolumem pervenisse ad ædes Sadoleti post varios labores, quos cognosceret ex Beccatelli literis. Addit, causæ successum non alio modo juvari posse, quam Orationibus. *Carpentoracti XXV. Mart. MDXXXIX.*

LXVI. Il medesimo al medesimo.

Scrive di mandar a Roma il suo Abate di S. Saluto, il quale era stato in Spagna, e di poi andato alla Corte di Francia, affinchè potesse Egli chiaramente esporre lo stato de' suoi affari, per i quali non aveva trovato l'Imperatore così ben disposto, come scritto si era da quel Nunzio. Soggiunge far di bisogno operare con l'Imperatore, che voglia unirsi col Re Cristianissimo, al qual fine giudica che sarebbe buono l'istesso Abate, e si dice pronto di passar poi esso in persona a far la Capitolazione con le loro Maestà riguardo le cose d'Inghilterra. Parla della gravezza delle spese per tali corse necessarie farsi a Toledo, in Francia, ed a Roma. Gli raccomanda un affare del Vescovo di Girona vessato nella Curia di Roma da alcuni Preti disubbidienti, che avevano fatto ricorso all'Auditor della Camera, del qual affare dice esser ben informato il Signor Carlo da Fano. *Carpentras VIII. d'Apr. MDXXXIX.*

LXVII. Il medesimo al medesimo.

Gli raccomanda una facenda d'un Religioso di S. Domenico che se ne veniva a Roma per conto del suo Capitolo generale, *Carpentras XXIV. Apr. MDXXXIX.*

LXVIII. Il medesimo al medesimo.

Sentendo dalle di lui lettere come s'era risoluto di non partire da Roma per non abbandonare la causa di Dio da lui protetta, lo ringrazia grandemente e ne ringrazia Dio, che prega voler'assistere la medesima causa contro tanti impedimenti e vecchj e nuovi. Si riserba a parlar'in altra lettera di

ciò che riguardava l'Epiſtola di Sadoleto *ad Gebenuenſes*, e l'altra *ad Sturmium*, godendo di veder da eſso fatto per tutte due le dette lettere l'officio di dotto, e caro amico di Sadoleto. *Carpentras XII. Maggio MDXXXIX.*

LXIX. *Gaſp. Card. Contar. Reg. Card. Polo.*

Ejus literis una cum literis Sadoleti acceptis pauca reſpondet ob improviſum diſceſſum illius, cui ſuas traderet. Gaudet, in columem perveniſſe ad Sadoletum, & Paſchales apud eundem dies tranſegiſſe. Teſtatur, Pontificem non tantum probare, verum etiam admirari prudentiam ejus, ac animi præſentiam. Refert, ſe novies ad eum ſcripſiſſe, & unam tantum ejuſdem accepiſſe Epiſtolam. Salutat Sadoletum, aitque, nullum ſuum huic defuiſſe officium, quod faceret ad ejus dignitatem tuendam, ſive apud Pontificem, ſive apud Cardinales, nec dubitare de recto ejuſdem ſenſu in iis quæ ſcripſerat. *Romæ XII. Apr. MDXXXIX.*

LXX. Reg. Card. Polo al Card. Gaſp. Contarini.

Lo avviſa d'avergli ſcritto da Avignone, ove era andato per ritrovarſi con il Card. Farneſe, e per parlargli delle coſe d'Inghilterra, che reſtavano ſenza riſoluzione, nè ſapere coſa più prometterſi d'eſſe, quando non ſi conchiudano per l'andata di eſſo Cardinale. Si dichiara pronto a paſſare in Germania ſecondo il ſuggerimento che da lui era ſtato dato al Pontefice. Deſidera che ſe ne ritorni da Roma il Signor Abate di S. Saluto. Saluta il Padre Maeſtro, M. Galeazzo, e M. Daneſio.

Poſtſcripta. Aliqua addit de rebus Germaniæ, & de rebus Conventus Norimbergenſis, unde timenda foret ſciſſura maxima in Eccleſia. Tandem optat, Contarenum ex otio Romano ad grave aliquod negotium extrudi. *Carpentor. VIII. Junii MDXXXIX.*

LXXI. *Gaſp. Card. Contarini al Card. Reg. Polo.*

Gode d'aver inteſo dalle lettere di lui che ſe la paſſi bene con la ſua dabbene compagnia, e lo avviſa ch'Egli pure ſtava bene con i ſuoi, godendoſi il bel palazzo del Card. di Carpi: Addit, ſe adſcribere ejus humanitati, quæ ſibi attribuerat, nec quidquam fore recuſaturum, nulla habita vitæ ratione. Salutem impertitur Sadoleto, & duobus Paullis. *Rom. XXII. Jun. MDXXXIX.*

LXXII. Reg. Card. Polo al Card. Gaſp. Contarini.

Si rallegra d'aver ricevute due mani di lettere, e del ritorno

no da Roma del Signor Abate di S. Saluto, e che finalmente sia svanito il pensiere della sua andata in Francia. Soggiunge d'attendere il ritorno da Spagna del Card. Farnese, da cui rileverà se vi sia risoluzione sopra il negozio. Descrive il suo soggiorno in un luogo divoto, e solitario di Frati, non lontano dal giardino del Card. Sadoleto, ove andava a passare un giorno almeno per settimana, oltre il visitarsi tratto tratto con il Card. Sadoleto, e veder spesso i due suoi Nipoti da bene. Saluta il P. Maestro, ed i dotti ed amati Commensali. Lo avvisa con Poscritta, che il Card. Farnese avea trovato l'Imperadore fisso in opinione della sua andata in Francia, e che resistendo a ciò detto Cardinale, era rimessa la cosa al Consiglio Cesareo. *Carpentr. il I. di Luglio MDXXXIX.*

LXXIII. Il medesimo al medesimo.

Dice d'avere scritto tre giorni prima una lunga e fastidiosa lettera spiegandogli tutti i suoi pensieri, e chiedendogli consiglio ed assistenza appresso Sua Santità. Soggiugne d'aver ricevuto una lettera dal Nunzio di Francia con la solita risposta, che l'andata sua in Francia sarà gratissima a quel Re, quando l'affare sia ben risoluto, e che altrimente partorirebbe quella più male che bene. Rende conto del piacere che godeva nel suo ritiro, e delle frequenti visite che correvano con il Card. Sadoleto, e finalmente dei fruttuosi studj che si facevano da M. Alvise, e dal Signor Abate, che tutti salutavano Sua Signoria Reverendissima, com'Egli salutava il buon P. Maestro, M. Galeazzo, e M. Danesio. Gli trasmette la copia della lettera del Nunzio di Francia, e lo avvisa che i rumori d'Irlanda non erano per aver buon' esito, attesa l'incertezza de' Principi in far l'impresa meditata. Approva, che mandi il libro al Pighio, ma non così crede di dover' Egli mandare al Ramberti quello, che non avea per anche finito, qual' istessa scusa avea adoperato con altri, che glielo aveano richiesto, a quali farebbe torto, se lo communicasse al Ramberti. *Carpentr. XVI. Luglio MDXXXIX.*

LXXIV. *Il Nunzio di Francia al Card. Reg. Polo.*

Lo avvisa d'aver parlato dell'affare con Monsignor Contestabile, e d'aver ricavato per risposta, che quando l'Imperadore sia ben disposto, il Re non mancherà a cosa alcuna in benefizio della causa, ma che senza detta fissa disposizione la venuta sua non servirebbe, che a far nascere dei sospetti. *Parigi VIII. Luglio MDXXXIX.*

LXXV. Reg. Card. Polo al Card. Gasp. Contarini.

Gli raccomanda la povera gente del Contado d'Avignone angariata, e straziata dai Giudei, sopra il qual'affare scriveva Egli unitamente con il Card. Sadoleto al Card. Farnese, pregandolo d'interessarsi appresso Sua Santità in quest' opera santissima. *Carpentr. XVIII. Lug. MDXXXIX.*

LXXVI. Reg. Card. Polus En. Card. Filonardo.

Fuse tractat de pecuniario dissidio inter Bartholomæum Stellam familiarem suum, & inter nepotem Dominationis suæ Rmæ, tueturque sinceram veritatem, & ad eam testandam nominat Dom. Durantes, Episcopum Algerensem, judicandam vero libenter remittit Dom. Vorstio, Episcopo Aquensi. *Carpentor. XVIII. Jul. MDXXXIX.*

LXXVII. Reg. Card. Polus Rev. Vorstio Ep. Aquen.

Agit de eodem pecuniario dissidio, & instat, ut res componatur, quemadmodum conventum fuerat ante suum ex Urbe discessum, subdens de eadem re se scripsisse susius ad Cardin. Verulanum. *Carpentor. XVIII. Jul. MDXXXIX.*

LXXVIII. Reg. Card. Polus Gasp. Card. Contareño.

Gratias agit de literis quas ab eo acceperat, aspersas pietatis, prudentiæ, & suavitatis notis. Fuse disserit de sua ad Regem Franciæ aditione, pro qua omnino necesse fore dicit, ut antea Cæsar mentem suam de toto negotio indubio aliquo documento, quod ipse secum in Galliam deferret, Regi Christianissimo compertam faceret. Addit documentum illud parvam rem esse, quæ tamen addita efficere possit, ut omnia recte, & ordine agantur. Omnem spem suam collocat in Servorum Dei Orationibus. *Carpentor. XIII. Jun. MDXXXIX. (Cubat error in*

LXXIX.* Il medesimo al medesimo.

* Cubat error in nota, & forte reponendum aut XXIII. aut XIII Julii.

Lo prega sempre più del suo consiglio, ed ajuto, giacchè si trova grandemente perplesso, ed affatto desideroso di quiete, conoscendo di non poter far giovamento alcuno con le azioni. Spera d'aver quanto prima lettere del Card. Farnese, che in passando per Avignone gli promise di fargli sapere le risoluzioni di Sua Santità subito che fosse restituito in Roma. Gli dichiara il suo pensiere circa la persona del Card. Sadoleto, con dire che potrebbe render gran servizio alla causa di Dio, quando dal Pontefice fosse impiegato, o in Germania, o in Italia, o dove me-

glio

glio gli piacerà. Parla del suo buono stare alli Frati, de studj tanto suoi che di Messer Aloise, e del Signor Abate, e finalmente saluta al solito il Padre Maestro, Messer Galeazzo, e Messer Danesio. *Carpentr. alli VIII. d' Agosto MDXXXIX.*

LXXX. Idem Eidem.

Fuse explicat quietis, & solitudinis desiderium, quo tenebatur, ac proinde eum rogat, ut a Sanct. Sua impetret, ne in Italiam reversus, in Urbis celebritate subsistere cogatur, sed potius ut doloris solatium ex secessu, & vacatione quærat, præsertim quod, præter patriæ suæ interitum, lugendus sibi foret universæ familiæ suæ casus. *Carpentor. XV. Aug. MDXXXIX.*

Post Scripta. Acceptis ejus literis, & literis Card. Farnesii, addit, opportunum sibi videri Romam mittere Abbatem suum ad pedes Pontificis, ut procuret, ne sibi necesse sit eo tempore Romam redire. Dolet de morte Card. Campegii, in cujus locum gratulatur eundem electum fuisse Protectorem Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis. Plura habet de Episcopatu Sarisberiensi, ad quem nominatus fuerat a Pontifice, probatque, eam nominationem bonis Anglis minime satisfacturam, malis vero materiam ridendi præbituram. Tandem concludit, supra omnes Episcopatus eo tempore sibi futurum, ut tanquam militi vulnerato redeunti a bello locus, & spatium ad curanda vulnera detur. *Carpentor. XVI. Aug. MDXXXIX.*

LXXXI. Il medesimo al medesimo.

Avvisato dalle lettere del Pontefice, e del Card. Farnese di doversene ritornare in Italia, aspettando miglior occasione per le cose d'Inghilterra, insiste sempre più per la grazia di poter continuare nell'onestissimo ozio che godeva, o almeno di trattenersi in qualche luogo di Lombardia. *Carpentr. VI Ag. MDXXXIX.*

LXXXII. Il medesimo al medesimo.

Lo ringrazia della licenza impetrata da Sua Santità di poter continuare la sua dimora, ove attualmente si trovava. Lo avvisa d'essergli stato scritto nuovamente dal Nunzio di Francia che quel Re s'era dichiarato che niente gli sarebbe piaciuta la sua andata in Francia, mentre da essa sarebbe unicamente provenuto che il Re d'Inghilterra si sarebbe meglio provisto. Accenna la nuova, che correva delle nozze della Principessa di Francia con l'Imperadore, e dice che il Re d'Inghilterra darà parole a tutti, cercando sutterfugi. *Carpentr. XXIX. Agosto MDXXXIX.*

LXXXIII

LXXXIII. Idem Eidem.

Scribit, se expectare adventum Montepulciani ex Hispania, a quo statim ac intelligeret quid ex Cæsare afferret, quod ad suum discessum pertineret, paratus foret Sanctitatis Suæ imperio parere; nihil autem dubitare de eo quod allaturus ille foret, quippe qui ab Hispaniæ Nuncio jam monitus fuisset, Cæsari non displicere, si a Pontifice revocatus, ad Germaniæ res adhiberetur. Addit, cautissime sibi iter Italicum faciendum, quod certis nunciis edoctus fuisset de insidiis quæ suæ vitæ parabantur, ac proinde cavendum ne Italiam ingressus, Romam, seu loca Romæ circumvicina adeat, in quibus, facilius quam alibi, insidiatores cogitationes suas perficere possent. Petit ergo, ut sibi liceat Veronæ subsistere, Romamque accedere dumtaxat appropinquante Natali Domini. Quoad negotium Germanicum, affirmat Pontificis voluntatem sibi pro lege futuram. *Ex agro Carpentoract. ex Monasterio Montilii XXX. Sept. MDXXXIX.*

Post Scripta. Dolet de oppugnatione arcis, & oppidi Castelnovi. Secessum in Italia, & vacationem a publicis negotiis se magis optare profitetur, postquam accepisset matrem suam ad mortem consilio publico damnatam fuisse. Deplorat Henrici Regis tyrannidem, queriturque de ea reprimenda parum aut nihil Cæsarem cogitasse, quamvis Principes vicini paratissimi se offerrent ad vindicandam causam Dei. Dolet ex morte Cardinalis Tridentini, magnam columnam amisisse Ecclesiam, quæ brevi alias pariter columnas amiserat, nempe Cardinalem Leodiensem, & Ducem Georgium. *Carpentoracti.*

LXXXIV. Il medesimo al medesimo.

Lo avvisa d'esser giunto in Verona, ove si sarebbe fermato fino a Natale secondo la permissione ottenuta da S. S. e che pensava di starsene con i Monaci bianchi. *Verona XVII. Ottobre MDXXXIX*

LXXXV. Idem Eidem.

Scribit, hospitium suum jam esse, non quidem apud Monachos albos, sed in ædibus Episcopi, quas vacuas reliquerat Princeps Urbinas. Petit, ut æquo animo ferat, si Ludovicum Beccatellum apud se retineat, donec secum ad Urbem accedendi tempus adveniat. *Veronæ in Ædibus Episc. XIX. Octobr. MDXXXIX.*

LXXXVI. Il medesimo al medesimo.

Si mostra turbato per aver avuto lettere, che lo chiamano a Roma

Roma di lungo, per far cosa grata a S. Sant. dicendo essergli così stato scritto da Bartolomeo Stella per avviso avuto da Monsignor Durante. Si raccomanda al Cardinale Contarini, e dice di far l'istesso con il Card. Farnese, affinchè possa godere della licenza già impetrata. *Verona XXV. Ottobre MDXXXIX.*

LXXXVII. Reg. Card. Polus Petro Card. Bembo.
Ei ad Cardinalatum evecto officium gratulationis rependit, quo honestatus ab illo fuerat ante paucos annos ex eadem causa; abstinet tamen ab iis verbis hortatoriis, quæ ab illo secum adhiberi maxime decuisse dicit, nulla vero ratione decere se posse, qui puer esset, si ætate cum illo conferatur. *Carpentoracti.*

LXXXVIII. *Petrus Card. Bembus Reg. Card. Polo.*
Gratias agit ob officium gratulationis, excusatque orationem a se adhibitam, dum par illi impenderet, non hortantis certe, sed laudantis, & magna, ac præclara de eodem sperantis, atque pollicentis. Salutat Card. Sadoletum, item Paulum ejus Nepotem, Priolum, & Lodovicum Bononiensem. *Patavio XI. Cal. Junias MDXXXIX.*

Finis Synopsis Epistolarum hujusce Voluminis.

MONITUM.

Quemadmodum Tomus, qui præcessit, ita quoque præsens iste Appendicula concluditur. Binas ea Epistolas complectetur ipsius Poli, primam ex Codicibus MSS. non tamen Vaticanis, alteram ex Gallicis monumentis Editis a Guillelmo Ribier, scilicet ex eorundem Tomo I. pag. 409. deprompras.

Re-

Reginaldus Polus Card. Angliæ Benedicto Ramberto.

QUod hanc meam honoris accessionem tanta mihi lætitia gratularis, eas tibi ago gratias, quas debeo; quod vero ea de re literas adeo & graves miseris, & elegantes, gratulor tibi vicissim, quantoque te amore idcirco prosequi debeam, plane non ignoro. Quod autem ad reliqua pertinet, quæ scribis, (quæ tua est voluntas erga me) a Deo sperare videris, & expectate, cum ex Dei voluntate ea pendeant omnia, inque unius illius potestate sint posita, nihil est, quod magnopere respondeam. Siquid tamen in me fuerit, fidei saltem ac pietati spero me non defuturum: quod non modo a me præstari ut possit, sed a cæteris etiam, quibus id vere junctum, communisque omnium salus, & christiana religio cordi est, Deum Opt. Max. omnes deprecari supplices debemus. Vale, ac siquid acciderit, in quo mea hæc vel auctoritas, vel dignitas tibi aut honori, aut commodo esse unquam possit, tantum tibi de ea pollicere, quantum tua primum virtus, istaque in me postulat animi propensio. Ex Urbe Idibus Januar. 1537.

Le Cardinal Pole au Connestable
Illmo Sig.

POiche mi è stato necessario tardar la venuta mia alla Maestà Christianissima, poiche io non pensava & desiderava di far quando mi partì di Roma, & che per avventura non aspettava sua Maestà per le lettere, che io scrissi a quella nel partir mio, per non mancar al debito in quel che io posso, ho mandato questo mio Gentilhuomo il Reverendo Abbate di Turnio con ogni diligenza con lettere a Sua Maestà per renderli conto di questo mio tardare, & a l'istesso fine scrivo hora a V. S. Illustrissima. Son certo quella averà inteso prima si come la Santità del Papa vedendo crescer ogni dì più la enorme vexation della Chiesa di Dio in Inghilterra incominciata, prima contra li Sacerdoti, poi contro il popolo, & tandem pervenuta alla nobiltà, in tal modo,

do, che tutto quello, che con estrema crudeltà & avaritia con le arme in mano contro disarmati si puo fare hora si vede esser stato fatto in quel Regno; ne di questi termini contenti li inimici de Dio hanno havuto ardir di. incrudelire fino nelli Santi suoi, i quali la Majestà divina per tanti testimonj de miracoli ha significato regnare seco in cielo già trecento anni; li santissimi Corpi de quali hora sono stati con ogni opprobrio tratti del Sepulcro, brusciati, & al vento sparse le cenere con nominarli scelerati & traditori in dispregio de Dio, & della sua religione. Le quali cose vedendo sua Santità & riguardando a l'officio & debito suo verso Dio, & la Chiesa non parendoli più tempo di dissimular o differir, vedendosi chiaramente l'intention del principal autor di tante enormità non esser altra che di totalmente extinguer & anichilar in quella Isola insieme con la Nobilità ogni lume di vera pietà e religione, si come ha fin qui in gran parte fatto con extremo danno della Chiesa & poco rispetto delli Principi Christiani figlioli, & defensori di quella; delibera sua Santità di publicar le debite censure contra di quello manifestando maggiormente ad ognuno la extrema impietà & malitia che usa con pretesto di religione & di chiamarsi deffensor di quella, essendo veramente un lupo crudelissimo, che ad altro non attende che a devorar il gregge di Dio. Et per tal causa, Sua Santità minviò alle due Majestà Cesarea & Christianissima come alli principali nella Chiesa di Dio, alli quali si apartiene & che possino facilmente, stando maxime la presente loro unione, liberar la Chiesa da così perniciosa intestino inimico, non avendo alcun dubbio che li loro religiosissimi animi non abborrischino così impij & enormi fatti & debbino esser pronti con ogni loro forza & industria a rimediarli. Et vedendo la Cesarea Maestà occupata al presente nella preparation della guerra contra il Turco, con ogni diligentia volse prima che io mi conferissi a quella invitandola & exhortandola a voler convertirsi prima a rimediar unitamente con la Maestà Christianissima alli molti mali inte-

ſtini della Chieſa, & a queſti d'Inghilterra principalmente, che attender a quelli di fora poſſendo in queſto mezzo far' qualche tregua col Turco. Queſta è ſtata la ſumma della commiſſion mi diede Sua Santità alla Ceſarea Majeſtà, aggiungendomi, che ritrovandola riſoluta a far quello a che Sua Santità l'invitava doveſſi poi per concluder la coſa conferirmi alla Majeſtà Chriſtianiſſima, la quale Sua Santità è perſuaſa dover eſſer prontiſſima a queſta così ſanta impreſa, deſiderando Sua Santità chel tutto ſi faceſſe con ſummo conſenſo & union di loro due Majeſtà. Con queſta commiſſion con quella maggior diligentia c'ho poſſuto, ſon venuto alla Majeſtà Ceſarea, la quale ho ritrovata prontiſſima di animo, ma quanto alla execution non così, allegando ſua Majeſtà da un canto la guerra del Turcho, che li ſtà ſopra le ſpalle, alla qual e neceſſitate attender al preſente, & da l'altro il riſpetto de Lutherani, dubitando non ſi moveſſero a far più moto a diſturbo della Chriſtianità, quando vedeſſero le coſe d'Inghilterra trattare con quella ſeverità che meritano; onde ſi riſolſe non veder modo dal canto ſuo ſtando le coſe ne i termini che ſono di poter attender hora a queſta impreſa, non dimeno ſapendo la commiſſion mia eſſere di far l'iſteſſo officio con la Majeſtà & il ſuo Conſiglio, in concluſione, che quantunque per li riſpetti detri dal canto ſuo non vedeſſero ſe non impoſſibilità per adeſſo, pure quando dalla Majeſtà Chriſtianiſſima, la qual non ſi ritrovava così impedita, fuſſe excogitato & ritrovato qualch'bon mezzo ſi potria deliberar più maturamente di quanto haveſſe a fare. V. S. Illuſtriſſima vede intendendo queſta riſpoſta della Majeſtà Ceſarea ogni ſperanza di rimediar alli extremi mali del' Inghilterra, e liberar la Chieſa da tanta oppreſſione eſſer riposta nella ſumma pietà & prudentia della Majeſtà Chriſtianiſſima, tal che ogni bon principio di queſta ſanta impreſa biſogna procieda da ſua Majeſtà, la quale ha ad eſſer quella, che habbia a moſtrar la via & aprir la porta, per la quale ſua Majeſtà inſieme con la Majeſtà Ceſarea habbiano ad entrare per far queſto

ſi

si gran bene al honor de Dio & utile della sua Chiesa, il che è molto conforme alli preclari fatti delli suoi gloriosissimi antecessori, li quali per special gratia di Dio hanno meritato in ogni grande impresa a beneficio della Christianità & defension della Chiesa, & della Sede Apostolica di esser sempre principalissimi autori, si come hora si aspetta da sua Majestà Christianissima dala quale io spero ogni gran cosa ad honor de Dio & liberatione di quella parte, e dal'autorità di V. Signoria Illustrissima, la quale come è notissimo a tutto il mondo ha sempre nelli soi Consigli exhortato & animato sua Majestà Christianissima a far quello che sia ad honor de Dio & beneficio della sua Chiesa, il che son certissimo farà ancho al presente. La causa perch'io non sia hora venuto in persona a trattar questa istesso negotio con sua Majestà è questa, che essendo la ferma speranza & opinion di sua Santità, che avanti l'arrivar mio alla Cesarea Majestà, over non molto da poi, le censure di sua Santità dovessero esser publicate in Spagna & il medesimo aspettando intender fusse fatto in Francia, & su questo committendomi ch'io andassi in Spagna, & ritrovando la causa matura per concludere il tutto col consenso de loro due Majestà mi dovessi trasferir alla Majestà Christianissima; essendo al presente la causa in altri termini di quello pensava & sperava Sua Santità, quando io mi parti da lei, come V. S. Illustrissimu vede, per questo mi e parso necessario aspettar novo ordine & nova commission da Sua Santità, non essendo conveniente in una causa di tanta importantia far cosa alcuna senza suo expresso commandamento; oltre che se io venisse di longo al presente non havendo la cosa altra maturita dubitaria facilmente di far poco servicio alla Santa Sede Apostolica, & li tempi potriano per aventura esser tali che ne anche la venuta mia saria al proposito di Sua Majestà Christianissima. Per queste cause ho deliberato firmarmi in camino dando del tutto notitia a Sua Santità per aspettar d'intender la volontà sua & secondo quella governarmi, & in questo mezzo per satisfar al debito mio verso la Majestà


 Chri-

Christianissima ho mandato questo mio Gentilhomo a Sua Majestà per rendergli conto del tutto, al qual ho dato commissione habbia principal ricorso a V. S. Illustrissima, si come haveria fatto io medesimo, per la confidentia c'ha Sua Santità nella experta bontà & pietà di quella, propensa sempre a tutte le cose pertinenti al honor di Dio & beneficio della religione. Prego dunque quella, che si degni impetrarli quella oportuna audientia li parerà, ne altramente mi extenderò a ricommandarli questa causa, la quale son persuasissimo li habbia ad esser da se raccommandatissima, essendo tutta pertinente al honor di Dio & beneficio della religione, & havendo per essa sua Majestà Christianissima così pronta & bella occasione di obligarsi in perpetuo quella Isola, di maniera che tutte le antiche dissensioni si convertischino in una indissolubile conjunctione di amicitia & amor perpetuo con sua Majestà & con il regno di Franza, recevendo da quella un tal beneficio, di esser per mez zo suo liberata da si grave oppressione: Oltra che l'impresa da se considerando tutte le circostanze e tanto honorevole & gloriosa, quanto alcuna altra fatta dalli suoi Antecessori preclarissimi & religiosissimi, & farà un ottimo & gran principio a rimediar alli molti mali intestini & externi della Chiesa, la qual al presente si ritrova essere più afflitta & travagliata, che in molti seculi non è stata. Et da questo meritamente si può aspettar risulti maggior honor appresso Dio, & li homini al Rè Christianissimo & al Regno di Franza che alcun altro mai habbia hauuto, del che il Signor Dio ne faccia gratia a Sua Majestà Christianissima & a tutta la Christianità. Prego il Signor Dio che inspiri V.S. Illustrissima & li apra la via in questa & in ogni altra causa a far sempre quello, che più sia ad honor suo & beneficio della religione conservando & augmentando V.S. Illustrissima nella sua gratia, alla qual con tutto il core mi raccommando. Da Girona alli XVI. di Marzo MDXXXIX.

Di V. Signoria Illustrissima — Deditissimo

Ranoldo Cardin. Polo.

IN-



INDEX EORUM
a quibus scriptæ Epistolæ hoc Volumine comprehensæ.

Bembus (Petrus) Reginaldo Card. Polo Epist. V. pag.	7
Idem Eidem. LXXXVIII.	205
Bonamicus (Lazarus) Reginaldo Card. Polo. VIII.	10
Cardinales S. R. E. Reginaldo Card. Polo. XXIII.	63
Cantarenus (Gasp. Card.) Regin. Card. Polo. XIII.	19
Idem Eidem. XVI.	38
Idem Eidem. XX.	50
Idem Eidem. XXVI.	70
Idem Eidem. XXX.	79
Idem Eidem. XXXII.	82
Idem Eidem. LXIV.	141
Idem Eidem. LXIX.	145
Il medesimo al medesimo. LXI.	156
Il medesimo al medesimo. LXXI.	159
Griti (Andreas Dux Venet.) Reg. Card. Polo. I.	1
Hosius (Stanislaus) Reg. Card. Polo. XII.	16
Isidorus Monachus Regin. Card. Polo. XXXVIII.	91
Juvenis Angli literæ. XXIX.	77
Lampridius (Benedictus) Regin. Card. Polo. X.	13
Nuncio di Francia al Card. Regin. Polo. LXXIV.	164
Polus (Reginaldus Card.) Petro Card. Bembo. LXXXVII.	204
Idem Benedicto Monacho Ferrarien. XI.	14
Idem Lazaro Bonamico. IX.	11
Idem Sacro Collegio. XXII.	61
Idem Confessario S. C. M. LV.	121
Idem Gaspari Card. Contareno. XIV.	20
Idem Eidem. XV.	23
Idem Eidem......	28
Idem Eidem. XXIV.	64
Idem Eidem. XXV.	65
Idem Eidem. XXVIII.	73

Idem

Idem Eidem. XXXI. 80
Idem Eidem. XXXVI. 88
Idem Eidem. XXXVII. 89
Idem Eidem. LXII. 142
Idem Eidem. LXIII. 143
Idem Eidem. LXV. 146
Idem Eidem. LXXVIII. 175
Idem Eidem. LXXX. 181
Idem Eidem. LXXXV. 201
Il medefimo al medefimo. LX. 139
Il medefimo al medefimo. LXVI. 150
Il medefimo al medefimo. LXVII. 153
Il medefimo al medefimo. LXVIII. 153
Il medefimo al medefimo. LXX. 157
Il medefimo al medefimo. LXXII. 160
Il medefimo al medefimo. LXXIII. 162
Il medefimo al medefimo. LXXV. 165
Il medefimo al medefimo. LXXIX. 179
Il medefimo al medefimo. LXXXI. 188
Il medefimo al medefimo. LXXXII. 190
Il medefimo al medefimo. LXXXIII. 191
Il medefimo al medefimo. LXXXIV. 200
Il medefimo al medefimo. LXXXVI. 202
Idem Erardo Card. Leodienfi. XVIII. 41
Idem Eidem. XXXIX. 92
Idem Eidem. XL. 96
Idem Eidem. XLI. 99
Idem Eidem. XLII. 101
Idem Eidem. XLIII. 102
Idem Eidem. XLIV. 103
Idem Ennio Card. Filonardo. LXXVI. 166
Idem Cofmo Gerio, Fanenfi Epifcopo. VI. 8
Idem Domino de Granuelle. LIV. 120
Idem Andreæ Griti, Duci Venet. II. 2
Idem Stanislao Hofio. XII. 18
Idem Marco Monacho S. Juft. LVIII. 135

Idem



Idem Eidem. LIX. 136
Idem Paulo PP. III. XIX. 46
Idem Eidem. XXI. 59
Idem Archiepiscopo Panormitano. XXXV. 87
Idem Domino de Prat. XXXIII. 84
Idem Alberto Pighio. XLVII. 110
Idem Eidem. XLVIII. 112
Idem Eidem. XLIX. 113
Idem Eidem. L. 115
Idem Redulpho Pio Card. Carpen. XVII. 33
Idem Cornellio Scerperio Concil. Cæs. XXXIV. 86
Idem Card. Scotiæ. LI. 117
Idem Guid. Ascan. Card. Sfortiæ. IV. 5
Idem Theodorico, & Tongren. XLV. 105
Idem Eisdem. XLVI. 108
Idem Camillo Ursino. LVI. 122
Idem Eidem. LVII. 123
Idem Vorstio, Episcopo Aquen. LXXVII. 174
Sadoletus (Card. Jacobus) Regin. Card. Polo. XXVII. 72
Selva (Georgius) Regin. Card. Polo. VII. 9
Idem Eidem. LII. 119
Idem Eidem. LIII. 120
Sfortia (Guid. Ascan. Card.) Reg. Card. Polo. III. 4

In Append.

Polus (Regin. Card.) Benedicto Ramberto. 232
Il medesimo al Contestabile di Francia. 232

Finis Secundi Voluminis.

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la fede di revisione, ed approvazione del P. F. Girolamo Giacinto Maria Medolago, Inquisitore del S. Offizio di Brescia, nel Libro intitolato: ***Epistolarum Reginaldi Poli S. R. E. Cardinalis &c.*** non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, & buoni costumi, concedemo licenza a Gian-Maria Rizzardi Stampatore di Brescia, che possi esser stampato: osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 18. Agosto 1744.

Gio: Emo Proc. Rif.

Marco Foscarini Cav. Proc. Rif.

Registrato in libro a c. 41. n. 272.

Michiel Angelo Marino Segret.

